FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Franckesche Stiftungen zu Halle

Dissertatio Inauguralis De Veterum Et Recentiorum Obtrectationibus, Veritatem Religionis Christianae Non Labefactantibus, Immo Confirmantibus

Scharp, Jan

Duisburgi, [1799?]

VD18 13003569

[II.]

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downladed and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-217870

Visual Library

SECTIO I.

De
obtrectationibus Rabbinorum Iudaeorum, veritatem religionis Christianae confirmantibus.

CAPUT I.

§ 1.

Quum animus humanus plerumque ita sit comparatus, ut δεκτικὸς τῦ πονηρῦ in malam partem pronior sit, atque ex conviciis calumniatorum facile quid haereat, iam olim disputatum fuit inter eruditos, qui quidem optime de re Christiana fuerunt meriti, num recte faciant, qui incredulorum scripta polemica, famosa Iudaeorum inprimis in lucem prodire iubent, quippe quorum vel nuda nocere solet lectio. Hinc est, qui suadeat, venenorum instar, tolli ignique tradi, non legi aut promulgari, quicquid, ex odio in Opt. Max. IESUM nostrum, criminationum evomuit gens apella. Qua de re omnino legendus Pl. Rev. P. NIEUWLAND, qui cum, quid de combustione librorum apud Vett. et Recentt. tenendum sit, inquirit, *Lect. Mem. T. IV. p.* 297-302. tum, quid in republ. libera ad compescendam nonnullorum nimiam licentiam conveniat, *T. II. p.* 417-431. At melius ii instituisse mihi quidem videntur, qui cum Cl. BASNAGIO, *Hist. des Iuifs, Tom. V. C. XIV. P.* 243. *Edit. A.* MDCCXVI, non pru-

dentum esse docuere, eiusmodi libros, pestilentissimos etsi, nimis anxie occultasse, ne scilicet curiosorum hominum legendi appetitus excitetur, neve obtrectatores quicquam iis contineri glorientur, quod refutari a Christianis nequeat. Quid autem maiorum aetas in hoc negotio suaserit, nec ne, nos iam non inquirimus, verum in ea, proh dolor!, incidimus tempora, quibus nihil est tam absurdum ac sanae rationi contrarium, quod, ne religioni parcatur, non statuerit ψευδοσοφῶν novandi pruritus, quin ipsa illa Iudaeorum commenta, atque in adorandum Sospitatorem iniurias, hisce nostris diebus a BAHRDTIO, aut in *Guelpherbytanis Fragmentis*, aut libro *Vom zwecke Jesu*, et aliis innumeris eiusdem commatis libellis, recoctas, atque pro novis facetiis et eruditionis, nescio cuius, speciminibus venditatas, legamus. Unde istiusmodi obtrectationes tacuisse iam nihil expedit: ut et nimium probaturi, hoc qui instituunt, mihi videntur, siquidem nullos unquam errores tum recensere licebit, cum tamen inconcussa religionis veritas ex opposito suo splendidissimam lucem lucretur, nec ipse Spiritus S. criminationes Iudaeorum in N. T. reticuerit. Quare et nos illorum convicia nec hodie reticenda duximus, simul tamen demonstraturi, nihil inde detrimenti cepisse veritatem Euangelicam, verum magis lucratam, et maiori luce splendidam tali ex proelio nunquam non victricem rediisse, et in posterum redituram.

§ 2.

Obtrectatorum dicta qui iuste perpendat, ante omnia inquirat, necesse est, *Quis* et *Qua ratione inductus* convicia dixerit? Hinc enim quid verum, quid falsum, quid solidum, quid fucatum sit, facilius constat

ſtat, ſi nempe recte conſideraveris, an pravis affectibus indulgentes, ex odio, vel ex coecitate vel male conceptis opinionibus, agant, qui obloquuntur. Neque etiam iuſtos rerum arbitros facile negaturos eſſe iudico, pleraque tam veterum, quam hodiernorum in Chriſtianam religionem convicia, et ignita quaſi tela ex odio et praviſſimo affectu profluxiſſe, ita ut, ſi, quae ſcripſerint, ex affectu auctorum examinentur, multa, quae vel maximam veri ſpeciem mentiuntur, evaneſcant, coram illis ſaltem, qui doloſo carent oculo, nec fumum ſibi ab iis vendi patiuntur, qui omnem quaſi ſapientiae nervum in temeritate conſtituunt, ſibique ſoli ſapere videntur, ac religionem, omnigenae ſalutis et verae conſolationis fontem uberrimum, tanquam perverſae mentis iugum, intolerabile prorſus, pravorum affectuum ſervi, exoſi ſunt et adverſantur. Haec iam ſi ad *Iudaeos* applicueris (de ceteris *Sect. II et III* idem patebit) docent ipſorum ſcripta polemica, et, quantum ab antiqua Israelitica veritate aberraverint, et quam coecum ſit eorum erga CHRISTUM noſtrum odium, et in Chriſtianos male ſana rabies atque invidia; quae ſi bene perpenderis, conſtat, quam iniqui, quam indigni ſint plerique veritatis obtrectatores, qui, canum inſtar lunam adlatrantium, *iram ſuam* (uti eſt in Comico *Adelph. Act.* 3. *Sc.* 2) *omnem* in religionem, ſine huius tamen detrimento ullo, *evomunt prae aegritudine:* nec mirum adeo, ſi (quod recte Cl. WAGENSEILIUS *Praef. ad tela ign. p.* 96 ſcripſit) ipſi *horreant tremantque, cum vident omnia ſua emanare ſecreta in publicum - - et ſi quidquam unquam, certe verſiones horum librorum* (quibus calumniae ſuae et convicia continentur) *aegerrime ferunt et ſe plane proditos clamant, cum talis aliqua in lucem prodit.* Avita ſcilicet haec fuit gentis Iudaicae perverſitas atque

malitia, quod voluntaria ignorantia ac contumaci odio veri rectique laborare, quam divinam admittere veritatem, maluerint. Testis est MOSES, qui cygnea sua cantilena, quae est *Deut.* XXXII, coelum terramque perversitatis suae gentis testes perennes invocavit, quod nec ipsi Rabbini negare sustinent, uti videre est in Cl. IABLONSKII *Pentateucho glossato.* Hunc excipit IESAIAS Vates, qui toties morosam veritatis ignorantiam atque odium suis exprobravit, Iudaeis hinc perquam exosus, quod unico probaturi sumus exemplo. *Cap. VI* Iehovae Messiae gloriam vidit sacer Vates, ita ut, laetantibus angelis, gaudio personuerint omnia: quam exegesin IOANNES Euangelista non solus probavit *C. XII:* 41, sed et Chaldaeus IONATHAN, qui h. l. Iehovam esse מלך המשיח contendit. Conf. LIGHTFOOT. *Hor. Heb. ad* IO. *l. l.*, MAIUS *in Theol. Ies. p.* 114. et MICHAELIS *de nominibus Chr.* § 5. Quod quidem tam aegre tulerunt Gemaristae, ut ob hanc ipsam visionem IESAIAM a MANASSE Rege serra aut securi dissectum fuisse (his non adeo improbantibus) docuerint. vid. LIGHTFOOT *l. l.*

Neque aliam, aut minus perversam, illis hodie sedere mentem, ex ipsorum scriptis polemicis colligere licet. Tanta enim illorum rabies, ut ne, quae refutanda sibi sumunt, ipsi legant Euangelia: sic v. c. R. IECHIEL disputaturus cum NICOLAO, apud WAGENSEIL. *pag.* 18, asserit, nostris in Euangeliis *Mariae* sponsum dictum fuisse IOACHANANEM, sive IOANNEM, clarissimo indicio, illum non Euangelia, sed suum אוון גילין (*Avon Gillaion*) inspexisse tantummodo.

Eant ergo Iudaei, oderint et obtrectent, veritas tamen tantum abest ut detrimentum inde patiatur, ut potius ex eo ipso tanquam veritas cognoscatur: qui

qui enim soli irascitur, velamina conquirat; nihil tamen efficit, nisi quod se ipsum istius radios ne quidem ferre posse omnibus testetur. *Qui invidet*, ait PLAUTUS, *eget; quibus invidetur, rem habent:* nec aliter CICERO, *Obtrectatio*, inquit, *aegritudo est ex eo, quod alter potiatur quoque eo, quod ipse concupierit. Tusc. IV. c.* 8. Quare si ignorantiae atque odio veritatis adeo indulserint Iudaei, ac Deus, Iustissimus Iudex, eos siverit suo abundare sensu, non potuit non omnium errorum colluvies mentem illorum occupare, quae ubi obtinuit, eo magis excoecat, exacerbat, obdurat, unde lubentes subscribimus *Grotianis* illis, *Annot. in* MATTH. XXI: 43: *Inter poenas* (inquit vir vere clarissimus) *Iudaicae gentis nulla est nobilior, quam quod post* CHRISTUM *repudiatum non modo prophetiae dono omnino sunt privati, ita ut illud ipsum lumen olim et sidus peculiare gentis Hebr. ex eo ad Christianos transierit, sed quod et omnis scientia illa legis, quae humanis praesidiis comparari poterat, versa est in putidissimas fabulas, quibus scatet Talmudicus liber, tales certe, ut, qui fidem adhibeat iis, iudicandus sit non modo divino spiritu, sed magna etiam parte sensus communis esse destitutus.*

§ 3.

Neque hoc unum urgemus, Iudaeorum obtrectationes, tanquam odio et coecitate voluntaria exortas, ne quicquam detrimenti religionis Christianae veritati attulisse, neque allaturas unquam; verum et ideo falsos esse Iudaeos defendimus, quod avitam veterum Abrahamitarum doctrinam atque religionem spreverint, et hominum nugacissimi non nisi per sophismata disputent, carpentes, arrodentes, torquentes hunc illumve N. T. locum, et statum controversiae

aut istud, in quo rei cardo vertitur, rarissime tangentes.

Neque tamen, quae iam posuimus, longa demonstratione indigent. Veteris enim purioris theologiae Iudaicae quasi centrum, oculum et nucleum fuisse de Messia, eiusque redemtione doctrinam, quis negat cordatus? Otium hic nobis fecerunt GROTIUS, LIGHTFOOTUS, EISENMENGERUS, MAIUS, MICHAËLIS *in Dissert. de rege Hiskia*, plurimi denique post RAYMUNDUM, quibus nostro aevo accessit Rev. DUYTSCHIUS in tertio, quod non diu ante obitum edidit, Tomo operis, quod *Israëls verlossing* Belgice inscribitur. Iam vero quantum mutati recentiores Iudaei! qui, quid de Messia, eiusque origine, officio et regno credant, aut non credant, ipsi parum sciunt, dum quisque fere Doctor Rabbinicus novum sibi de Messia finxit articulum; nec legisse pigebit, quae hac de re scripserunt BASNAGIUS, *Hist. des Iuifs*, *T. V. C. III. p.* 217. et EISENMENGER, *Part. II. C. XIII.* Hinc illa praesertim Christianae religionis dogmata impugnant, de quibus maiores inter illorum et nos quam maxime convenit. At, quo tandem modo illa insectantur? isto sane, ut quivis iustus rerum arbiter, nostra si dogmata cum Iudaeorum refutationibus conferat, optime de veritate possit convinci. Nunquam enim totam fidei analogiam aggrediuntur, sed (quod omnium recentiorum commune esse vitium, suo posthaec loco demonstrabimus) hinc illinc tantum aliquid dilaniatum torquent et obtrectant, in cuius rei exemplum provocasse sufficit ad famosissimum illud R. ISAACI *Munimen fidei*, in quo omne suum refugium et robur situm esse opinantur miseri, qui illa maxime N. T. loca ursit, quae ad statum *inanitionis* pertinent, ut veram divinitatem CHRISTI impugnaret, eandemque crambem iterum iterumque ad nauseam usque

appoſuit, cetera Euangeliſtarum et Apoſtolorum effata, quibus myſterium unionis hypoſtaticae fulcitur, malitioſe ignorans, quaſi et ipſi nos non confiteremur Illum, qui ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δέλε λαβὼν, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος. *Philipp. II*: 6, 7. Nec memoraſſe vacat abſurdiſſima illa in Hiſtoriam, Chronologiam, S.S. concentum, et fidei analogiam, peccantia, quibus ſcatet, quicquid de religione aut ſua aut noſtra ſcripſere Iudaei, praeſertim Polemici; nugas, contorta gloſſemata, fabulas aniles, blaſphemias, mendaeia, praetereaque nihil, inveniet operum eorum ſcrutator, olei et operae iacturam cito deploraturus et nobiscum aſſerturus, quod, quicquid in Opt. Max. Servatorem, in Euangelia atque omnem Chriſtianam religionem evomuerint Iudaei, nihil unquam detrimenti veritati attulerit, aut afferre queat, atque adeo ſtatuet, arma illorum nulli rerum perito nocuiſſe vel nocitura, ſed et ipſam veritatem Euangelicam iis ipſis eo magis fulcitam fuiſſe et roboratam. Merito itaque Iudaeorum ille Profligator eximius, *Praefat. ad Tel. Ign. pag.* 87. *Nos Chriſtiani*, inquit, *ex lectione eiusmodi librorum - agnoſcamus* ἐνέργειαν πλάνης, *quam Deus Iudaeis immiſit; agnoſcamus illam* πώρωσιν, *illud* κάλυμμα, *quod oculos eorum veritatem intueri non ſinit. Perpendamus diligenter et ſtupeamus, quam nihil remiſerit recentior Iudaeorum natio, etſi multis afflicta malis, à priſcorum, qui* CHRISTI *aevo vivebant, impietate, ita ut ſemper uſque et uſque progenies vitioſior prodiiſſe videri queat, et ideo indies magis magisque in* γεννήματα ἐχιδνῶν *quadret acerba* STEPHANI *obiurgatio* Σκληροτράχηλοι *&c. Simul noſſe licet illam, de qua* CHRISTUS *in Apoc. queritur* τὴν βλασφημίαν τῶν λεγόντων ἰουδαίους εἶναι ἑαυτοὺς, καὶ οὐκ εἰσὶν, ἀλλὰ συναγωγὴ τοῦ

σατᾶ

τατανῶ, *ut eam perpetuo fugiamus, exhorreſcamus et abominemur; ut tanto magis in amorem Numinis rapiamur. Siquidem tum demum vere noſtra intelligimus bona, cum Iudaeorum contemplamur miſeriam et inanias; illorum tenebrae faciunt, ut maiore quodam fulgore coruſcet Chriſtianae doctrinae flammeum iubar. Huc reſpiciens S.* AUGUSTINUS Lib. de vera relig. C. 6. *eleganter ait: Eccleſia utitur gentibus ad materiam operationis ſuae; haereticis, ad probationem doctrinae ſuae; ſchismaticis, ad documentum ſtabilitatis ſuae; Iudaeis, ad comparationem pulchritudinis ſuae.*

§ 4.

Quo magis autem veritas Euangelica ſtabiliatur, nec Iudaeorum in CHRISTUM contumeliae animum pium concutiant, in hoc unum prius attendi velim, quam ad nonnullas Iudaeorum obiectiones ſequenti Capite accedam, ipſum nempe illud in CHRISTUM odium, atque Iudaeorum gentis coecitatem nobis, qui divinae revelationi fidem habemus, pro religionis Chriſtianae veritate novum et inconcuſſum ſuppeditare argumentum. Tantum enim abeſt, ut fides noſtra illorum cavillationibus nutet, ut ex utroque S. Codice illud Meſſiae verum fore κριτήριον, edoceamur.

Hoc enim, ſi quid aliud, maxime mirum videtur, gentem Iudaeorum a primis inde temporibus ab Euangelica veritate adeo alienam fuiſſe, et verum Meſſiam, tam diu exſpectatum, promiſſum et adumbratum, reieciſſe et reiicere adhucdum, tot licet tantiſque miraculis ſe, fatentibus ipſis, probaverit; cum contra ſpurios illos Meſſias, qui ex eorum indole ſe finxerunt, ſemper proni ſequerentur, atque iis quoque adhaeſerint, qui, quales eſſent, facile poſſent digno-

ſci.

ſci. Ceſſet vero haec, quae primo intuitu adeo iuſta videtur, illius rei admiratio, dum ex vaticiniis conſtat, hoc veri Meſſiae characterem eſſe et ipſum criterium, quod nempe a Iudaeis reiiciatur, conviciis petatur, illiusque praeconium a ſuis flocci pendatur. Quid multa? a MOSE, *Deut. XXXII:* 15 *coll. comm.* 18, 19, Iſraëlitae ſerio per ſpiritum propheticum monentur, a contemtu Meſſiae ſibi caveant ſedulo; quin et Targumiſtae, IES. *VIII:* 13, 14, illum יהוה צבאות *fidelibus ſanctuarium futurum et offenſionis lapidem domui Iſraëlis de* מלך המשיח explicabant ipſi; add. *Cap. LIII.* — nec minus de ἀπιστίας poena antiqui vates cecinerunt, v. c. IES. *III:* 8, ubi plenariae ablationis regni et ſacerdotii, quae באחרית הימים (i. e. ultimis reip., quae initiis N. T. coincidunt, temporibus coll. *C.* 2: 1.) exſequenda praedicitur, haec cauſa affertur, quod *lingua et opera ipſorum ſint contra Iehovam Meſſiam*, quae et *N. T.*, nec minus ex *Talmude*, *Nizzachon*, *Told. Ieſu*, *Munimine fidei*, aliisque Polemicis Apellarum illuſtrari poſſunt. Itidem de καλύμμαλι occoecante praefatur idem IESAIAS, *C. VI. audiendo audite* vel (uti LXX, MATTHEUS *C. XIII* et LUCAS *Act. XXVIII imperativum* per *futurum*, ex genio Hebraico, explicant) *audiendo audietis* Euangelium Meſſiae, *videntes videbitis* ipſum Meſſiam vos inter degentem, ſed *non intellecturi eſtis*, contra, per dicta et facta Meſſiae magis exacerbati *pingue facietis*, ſive livore obdurabitis *cor veſtrum*, et *aures obturabitis*, quo minus ne, quid dicatur, audiatis quidem: qui ſenſus verborum minime anceps, nec locutio plane incognita Exoticis fuit; Simili enim ratione PLUTARCHUS περὶ παίδων ἀγωγῆς *C. XVIII* § 7. ὡς ἔνια τῶν πραττομένων ὁρῶντας μὴ ὁρᾶν, καὶ μὴ ἀκούειν ἀκούοντας. *Ut quaedam, quae facta ſunt, videntes non*

videant, et non audiant audientes. Plura dabunt ALBERTI *Obſerv. p.* 94. WETSTEENIUS *in N.T. p.* 401, et quos laudat WOLFIUS *in* MATTH. *XIII:* 13. Haec iam ſi cum exitu conferantur, ſtat inconcuſſa Chriſtianae religionis veritas. Cecidit per Romanos reſpublica et templum, atque in hunc uſque diem τὸ αὐτὸ κάλυμμα ἐπὶ τῇ ἀναγνώσει τῆς παλαιᾶς διαθήκης μένει, μὴ ἀνακαλυπτόμενον. 2*Cor. III:* 14, ita ut verus et a praeconceptis opinionibus inmunis Chriſticola, quoties Iudaeum videt, miſerrimum patria exſulem, aut illum obtrectantem quoties legit vel audit, toties pro veritate ſuae religionis fulcrum inveniat et argumentum.

Quod ut omni dubio liberemus, huic Paragrapho finem faciat, quod Rabbinorum Aquila MAIMONIDES, vi veritatis convictus, ſcripſit *Cap. Ult. Hilk. Melachim*

אותו שרמה שיחיד המשיח ונהרג בבית דין גרם לאבד ישראל בהרב ולפזר שאריתם:

Is, qui viſus eſt Meſſias, et a Synedrio occiſus, in cauſa fuit, ut Israel periret, et reliquiae illius ſint diſperſae. Haec enim, quanquam ipſe dixerit odioſe, nobis tamen ex MATTH. *XXVII:* 25 pro Euangelica veritate invictum ſuppeditant argumentum. Ceterum, de cauſis tantae in Iudaica Gente ἀπιστίας conferantur, quae ſcripſi in *Hiſtoria infeliciſſimi iuvenis* F. C. MEIJER, *in Notis ad Pag.* 311-314.

CA-

CAPUT II.

Praemonitis iis, quae *priori Capite* disputata sunt, nunc, quae *in genere* probavimus de *religionis Christianae veritate per Iudaeorum obtrectationes magis stabilita*, ad specialiora progredientes, per partes demonstremus.

§ I.

Criteria inter, quibus verum Messiam, θεάνθρωπον et mundi Sospitatorem, conspicuum fore, cum Prophetarum oracula, tum rei ipsius natura postulant, non postremum est *supernaturalis*, *ex virgine intacta*, *conceptio*, quod criterium, cum in Opt. Max. IESU inveniamus, illum Messiam profitemur ac pia mente veneramur, de quo MOSES et *Prophetae* praefati sunt.

Illud iam primarium nostrae religionis Caput maxime obtrectationibus suis petunt Iudaei, paulo accuratius examinandis, quo firmior stet Euangelicae narrationis, atque adeo coelestis nostrae religionis, inconcussa veritas.

Ordine vero ut mea procedat dissertatio, prius illorum Sophismata in criterium ipsum et Prophetarum oracula, dein vero in illius in IESU nostro adimpletionem, videbimus.

Ne tamen longus sim, varia mitto, quae a nonnullis huc adduci solent, oracula, sed de quorum genuino sensu, atque utrum recte huc trahi queant nec ne, inter optimos Exegetas disputatum fuit. Unicum vero, et maxime momentosum IESAIAE vaticinium, *Cap. VII:* 14, הנה העלמה הרה וילדת בן וקראת שמו עמנואל; ex professo exponam.

Ab ovo autem, quod aiunt, ut rem exordiamur, posteaquam ACHAS, rex *Iudae*, bello petitus fuisset a REZIN rege *Syriae* et PEKAH rege Israëlis, Hierosolymae ab iisdem obsessae, atque mire cives anxii fuerunt et consternati; quo infaustissimo reipublicae statu Regem adit, ita iubente Numine, IESAIAS vates, monetque eum, sepositio metu, sit securus, cum neuter hostium urbe potiturus esset, atque, ne fides ACHASI nutet, optionem illi dat petendi alicuius signi, quo et ipse et populus confirmetur, *comm.* 11. At vero ACHAS, hypocrita, insigne illud oblatum sibi beneficium respuit *comm.* 12, nec eiusmodi signum petere ei volupe fuit; vultu fidem suam maiorem esse mentitus, quam ut hisce fulcris indigeret, re vera tamen, ne gloria Iehovae, miraculo novo, nationi suae appareret, et ut liberationis gratiam vel Baäl, vel sua ipsius prudentia, fortitudo et experientia apud cives suos iniret: in quam pessimi regis impietatem graviter invehitur IESAIAS, *comm.* 13, propterea quod, benigne adeo ad veri atque unius Dei agnitionem allectus, spreto, quod oblatum erat, signo, pervicacia et diffidentia non solum peccaret, sed et in alios maxime esset iniurius. Quapropter, quum in populo Iudaico multi adhuc darentur fideles, partim ad confirmationem illorum, partim ad convincendum Regem cap. seq. addit Propheta, Deum, non obstante impietate ACHASI, editurum signum, quo instantis liberationis certiores redderet omnes, *intactam nempe virginem parituram prius filium, quam domus Davidica corruat unquam*, atque adeo nullus antea, quam signum illud edidisset Deus, de excidio stirpis Davidicae sit sollicitus. „ Vos o „ Iudaei! (inquit Vates) vos praesertim prosapia Da„ vidica! in animum revocate, quae de benedicto „ Mulieris semine, de Messia, inquam, Regis ex sa-

„ mi-

„ milia oriundo, praedixit olim Deus veracissimus, „ Nondum stetit promissis, quod suo quidem faciet „ tempore Deus ille noster: num igitur fieri posse „ putatis, ut hostis familiam Davidicam, quod illi „ intendunt, exstinguant? Certius est quam quod „ certissimum, fore, ut ipsi dudum perierint, cum „ hoc acciderit. Hoc enim, si forte vobis veterum „ haud intelligantur oracula, vobis a parte Dei si- „ gnum do et spei vestrae fulcrum, *virginem quan-* „ *dam, Regis Davidis stirpe oriundam, Dei miraculo,* „ *gravidam fore, illamque eum parituram esse filium,* „ *qui ceu alter et eminentior David prioris vindex exsi-* „ *stet atque assertor*, ita ut nunc omnis animo scru- „ pulus, omnis angor excidat prorsus." Hunc enim oraculi sensum genuinum agnoverunt non soli veterum Iudaeorum Doctores, ut in sequentibus docebimus, sed nobis Christianis extra dubium posuit MATTHAEUS Euangelista, *C.* 1: 23. Nec insistere lubet quaestioni, utrum MATTHAEUS, an ipse Angelus locum attulerit: priorem sententiam tuentur ROB. BOYLIUS, *de stilo S.S. p.* 98. GUSSETUS *in Vesperis Groninganis, p.* 420. Sit ita: hoc tamen constat, locum hunc tum temporis a tota Ecclesia Iudaica de Messia fuisse expositum, ita ut, nemine negante, ad illum provocare potuerit MATTHAEUS, quam in rem omnino consulendus cl. TILLIUS in *Commentario*, aureo sane pro stabilienda Rel. Christ. veritate opusculo. Ceterum ne Auctorum nominibus et scriptis enumerandis fucum facere videamur, conferantur, quos laudat cl. KOECHERUS in *Analectis. T.* 1. *p.* 26, nec tamen, pro instituti ratione, praetermittendum, quod famosissimus liber *Told. Iesu* narrat, „ Servatorem „ nostrum illud IESAIAE apophtegma ad se adplicas- „ se, se esse illum, quem vates notavit, Messiam ex „ virgine natum, et *hac ratione*, additis miraculis,

„ populum in suas partes traxisse," quoad *thesin* igitur et usitatam tunc temporis exegesin IESUM Opt. Max. (atque adeo et Euangelistam) recte locum adduxisse innuens, quanquam *hypothesin* falsi criminetur.

§ 2.

Ad hanc vero, verissimam licet, vaticinii explicationem tumultuantur Iudaei, variis exceptionibus imperitam multitudinem ludentes; quarum *prior* est „ *de voce* אות, quod de *signo praesenti liberationis* a „ coniuratis hostibus REZIN et PEKAH, qui *in praesenti* Iudaeos adorti erant, accipiendum esse con„ clamitant, quippe quod non *miraculum* notet, atque „ absurde de *signo tot demum seculis post liberationem* „ *eventuro* explicetur." Sic R. MORDOCHAI NATHAN in *Concordantiis* אות interpretatur per סימן *signum*, *notam*, *memoriale*, uti ABARBANEL, *Comm. in h. l. fol.* 19. *col.* 3. „ Appositе loquitur Propheta אות „ (*signum*) neque usurpat vocem נס (*portentum*) „ neque פלא (*miraculum*) neque מופת (*prodi„ gium.*)"

Non equidem ille sum, qui negem, אות quandoque notare *memoriale* vel *signum*; saepius tamen ponitur pro *re nova*, *inaudita*, *insolita*, passim enim coniungi solent מופתים et אותות *signa et miracula. Deut.* IV: 34. VI: 32. VII: 19. XIII: 3. XXVI: 8. XXVIII: 46. XXIX: 2. XXXIV: 11. ut et NEHEM. IX: 10. *Ps.* CXXXV: 9. IES: VIII: 18. IEREM. XXXII: 20, 21. Unde R. D. KIMCHI in *Schoraschim*, *Litt.* א. *fol.* 4. *col.* 16. אות quidem explicat per סימן *signum*, postea vero, *Col.* 210. *fol.* 43. Rad. יפת scribit, omne מופת esse אות, sed non contra. Ita enim ille: „מופת idem signifi„ cat

„ cat quod אות, nisi quod vocula אות exstet, iis „ locis, quibus non potest esse מופת, v. c. *unus- „ quisque super vexillum suum insignis.* (Num. II: 2.) „ *Et erit in signum foederis* (Gen. XVII: 11.) in his „ et similibus locis non posset esse significatio מופת. „ מופת enim tale quid est, quod *videtur*, ut inde „ certius evadat aliud quidquam simile ei, quod „ adhuc videbitur. אות autem *in eadem significati- „ one accipitur*, verum *aliquando* nudum denotat *si- „ gnum*, quo sensu מופת nunquam venit." Quod autem nostro in loco אות non notet nudum *signum*, sed stupendum *prodigium*, id indicat particula sequens הנה, *Ecce*, attentionem *ad rem inauditam* excitans, quod ex antecedentibus ipse probat R. SALOMO, „cum Propheta dicit, *comm.* II. *Profunda pe- „ titionem vel eleva te ipsum in altum*, ideo dicit *Pe- „ te tibi* אות &c. quod Targumista exprimit: „ יתעבר לך נס על ארעא "

Neque valet quod urgent, „signum confirmativum „ tempore praecedere actualem divinarum sive pro- „ missionum, sive comminationum exsecutionem." Hoc acriter defendunt Rabbinorum plerique, quorum loca latinitate donata adscribimus, ne *characteribus* chartas, *rebus* potius destinatas, repleamus vani eruditionis ostentatores. Sic R. ABRAHAM BEN IEHUDA, *Comm. in b. l. fol.* 36. *Col.* 2. ולהשיב &c. *Ut respondeam haereticis; quale illud fuisset signum* ACHASO, *quod plusquam* CCCC *annis post accidisset?* R. MOSE ISSASCHAR LEVI, cognomine SCHERTEL, in *Letach tof. comm. in b. l.* הפרשה &c. *Sectio haec repugnat verbis eorum* (Christianorum) *in interpretatione.* ACHAS *enim metuit sibi a duobus illis regibus, ne occuparent Hierosolymas. Datum vero ei fuit signum, unde confideret, ne occuparent. Quod si igitur signum*

il-

illud fuerit, quod ipsi perhibent, quale quaeso id signum fuisset ACHASO, *quod eveniret post plusquam* CCCC *annos? quomodo confirmaretur cor ipsius in eo, quod non accideret aetate sua?* ABARBANEL *denique Comm. in h.l. fol.* 20. *Col.* 2. איך יאמר &c. *Quare diceret Scriptura:* Ecce העלמה &c. *de eo, quod futurum esset secuturis aevis? potius oportuit eam dixisse* in extremo dierum *aut simili phraseologia, quae tempus remotum expressisset.*

Verum enim vero MOSI, diu refragato ingredi ad PHARAONEM, et dubitanti, an a Deo ad adeo potentem tyrannum, bonis avibus, mitti queat, *Exod. III:* 11, quo accedat confidentius, promittitur *signum* (ipso quidem nostro vocabulo האות) longo tempore post eidem actu exhibitum, *comm.* 12, *Hoc habebis signum, quod miserim te, nempe quum eduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo in monte isto.* Sic, quum HISKIAE liberationem a SENNACHERIB iamiam instantem polliceretur Deus, proponit ei signum valde remotum, et longo intervallo post subsatam obsidionem eventu confirmandum, IES. XXXVII: 30, itidem voce האות expressum. Neque aliter MICHAEAS et ELISAEUS Prophetae, 1 *Reg. XXII:* 28 et 2 *Reg. VII:* 2 confirmaturi, id, quod in praesens loquantur, esse verbum Dei, proponunt signa post editum vaticinium demum implenda, alter cladem Iudae et Israelis, alter mortem satellitis regii. Cui adiicias velim, Spiritum S. ore Prophetarum loquentem per praedictiones rerum paulo post futurarum fidem sibi feciſſe eventuum remotiorum; uti h. l. cum liberationem ab instanti periculo asserit, statim nascituri ex intacta virgine Messiae oraculum subiungit; nec praeter consuetudinem: SAMUEL namque, praedicendo repertos fore asinos, fidem facit vaticinio de SAULE Rege futuro 1 SAM. X. DANIEL explica-

cato iam Regis somnio subiungit oraculum de Monarchiis *Cap. VII.* et de Messia, *Cap. IX.* Quin ipse noster IESAIAS, *Cap. XI.* prophetiae de exscindendis Assyriis annectit insigne illud de virga e stirpe Isaï proditura vaticinium. Nullum itaque scrupulum offendimus h. nostro in l., ubi IESAIAS ab una parte docet, „Qui aliquando maiora largiturus est, eaque „ difficiliora, stupenda atque inaudita prorsus, illud, „ quod minus est, scilicet ut liberemini a duobus „ istis hostibus, non denegabit:" — ab altera: „Ni„ hil metuendum est ab illis, qui stirpi Davidicae „ interitum minabantur, quippe quae haud esset tol„ lenda, donec ex illibata eiusdem familiae virgine „ prodiret, quem DAVIDI promiserat Deus verax si„ mul et potens, Messias exoptatissimus." — Nec male cohaerent ista cum antecedentibus, *Com.* 7-9, quorum hic mihi sensus videtur non adeo, ut plerique questi sunt, difficilis: „Non consistet horum „ Regum consilium, nec unquam rerum Iudaicarum „ porituri sunt, sed ut Damascus est et manebit Sy„ riae caput et metropolis, ita REZIN caput et do„ minator Damasci. Quod ad Ephraïmitas: post LXV „ annos non manebit ille populus ab Assyriis debel„ landus, quicquid iam nunc minitatur Ephraïm; „ interea tamen Samaria caput ut Metropolis Ephra„ imi, et PEKAH, REMALIAE filius, caput et Rex „ Samariae manebit. Vos autem, Iudaei! nisi cre„ datis, nec ipsi diu manebitis incolumes, quan„ quam et tunc non peribit familia Davidica, usque „ dum ex illa Virgo gravida filium pariat, qui sit „ θεάνθρωπος et divini favoris specimen luculentissi„ mum." — Atqui dices, quid ergo sibi volunt *comm.* 15 *et seqq.*? Mala praenuntiantur, quae Iudaeis *incredulis*, adeoque ex *comm.* 9 *non permansuris*, successu temporis essent eventura, non quidem

per hos Syrorum reges et Ephraïmitarum, sed per Assyrios et Babylonios, de quibus *comm.* 17 *et* 20.

Plura qui cupit, variasque Interpretum exegeses conferre studet, ALTINGIUM, VITRINGAM, et omnem tam veterum quam recentiorum in IESAIAM Commentatorum turmam adeat, non oblitus eorum, quae Belgico idiomate in hoc Caput, uti solet, id est docte et nervose, scripsit Doctiss. HASAEUS, Theol. Doct. et Amstelaedamensium, vigilantissimus, ac iure Ecclesiastico, Pastor legitimus.

§ 3.

Maxima tamen Iudaeorum παρερμηνεία est in voce עלמה, utrum *virginem*, an in genere *iuvenculam* notet, unde altera pendet quaestio, in qua omnis rei cardo vertitur, num de Messia, an de alio quopiam sermo sit. Cum vero hic mire discrepent Iudaei, hac §., quid illorum docuerint Magistri acutissimi, videbimus, sequenti, quid proprie עלמה sit, investigaturi.

1.) *Primo* quidem; pars maxima Rabbinorum vaticinium interpretatur de matre HISKIAE, quo IMMANUEL esset ipse HISKIAS. Hanc tamen exegesin solide refutat ipse ABARBANEL, *Comm. in h. l. fol.* 20. *Col.* 1. הספק &c. *Dubium primum est, quod si* עלמה *haec fuerit uxor* ACHASI, *puer natus esset ipsius filius* HISKIAS. *Atqui obstat, quod jam fuerit natus, antequam edita esset haec prophetia. Ergo hoc non quadrat &c. Ad hoc iam respondeo ego, quemadmodum modo explicavi, quod* Immanuel *non fuerit* HISKIA, *hic enim natus erat IX annos, antequam regnaret* ACHAS *pater ipsius*, coll. *fol.* 19. *col.* 3.

2.) R.

2.) R. SALOMO IARCHI ad uxorem IESAIAE refert, *Comm. in h. l. fol.* 450. *col.* 2. הנה העלמה &c. *Ecce* העלמה *uxor mea gravida est hoc anno, qui fuit annus quartus* ACHASI, cui suffragantur ABEN ESRA in l. R. ISAAC *in Munim. fid. p.* 185. et MANASSE BEN ISRAEL *in Concil. p.* 13. Cuius expositionis inconvenientiam cum senserit R. D. KIMCHI, hac duplici ratione eam confutavit „ העלמה ista uxor Prophetae „ est, aut potius ACHASI, quod certum est: Quod „ si enim intelligeretur uxor Prophetae, nuncupa„ retur *Prophetissa*, ut *C. VIII:* 3. Insuper cum di„ cit, *plenitudo latitudinis tuae*, *C. VIII:* 8, enuntiat, „ quod filius futurus sit Regis." Idem respondet ABARBANEL, *fol.* 19. *l. l.* „*Raschi* explicat hoc הנה „ העלמה הרה de ipsa uxore Prophetae, et signum „ illud esset, quod paritura esset filium atque voca„ tura nomen eius *Immanuel*, in characterem, quod „ Deus adiuturus esset ipsos ac liberaturus. Quae „ interpretatio difficultate non caret, eo, quod „ ipsam, quam vocat עלמה, rectius vocaret *Pro„ phetissam*, uti postea locutus est. Igitur rectius „ exponitur de uxore ACHASI, aut filia eius." Regerit quidem R. ABRAHAM BAR IEHUDA, *Comm. in b. l. fol.* 36. *Col.* 2. „ *Prophetissam* non nuncupari uxorem „ Prophetae, nisi et ipsa iam prophetaverit, atque „ adeo illam, *C. VIII*, eo nomine insigniri, quod „ Spiritum S. statim ante conceptionem acceperit, „ et hoc ipsum fuisse illud אות." Iam vero quam haec dicantur sine ullo fundamento, facile constat, unde nihil mirum, quod nullos fere sequaces invenerit R. ABRAHAM, cum illa interpretatio vocis עלמה non tantum nostrae, quae recte *Virgo* vertit, sit contraria, sed et Rabbinicae isti, quae per *iuvenculam*; quia uxorem Iesaiae tunc temporis adeo iu-

venem fuisse ac nullos liberos peperisse, atque adeo, quam Rabbini vocant, *iuvenculam*, nullo idoneo testimonio fulciri potest.

3.) *Tertia* denique, quam ex dictis iam eruere licet, illa est *Kimchiana* exegesis, quam et ABARBANEL tuetur, nempe hic cogitandum esse de altero ACHASI uxore, vel de filia eiusdem. Ita enim *Don* ISAAC ABARBANEL *l. l.* האות הזה הוא אמרו הנה העלמה &c. „*Signum illud hoc est, quando dicit.* Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabis nomen eius Immanuel, *nempe quod uxor* ACHASI, *aut filia eius, qua delectabatur, conceperit ab initio impraegnationis suae, idque* FORTE *nesciverit hactenus* ACHASUS. *Itaque indicavit ei, quod ea conceperit et paritura esset filium, et ipsa vocatura nomen eius Immanuel. Idque ipsi fore signum et characterem, quod Deus cum ipso futurus sit, eumque adiuturus ac erepturus è manu istorum regum,*" additis vero quibusdam, ita pergit: אבל העלמה &c. „*Sed* עלמה *fuit coniux secunda, quam duxerat* ACHAS *post matrem* HISKIAE, *et natulus ille fuit huius filius. Aut* עלמה, *uti dixi, filia fuit* ACHASI, *quae fuit maritata exiguo hoc dierum spatio, fuitque minorennis filia Regis adamata antea illi. De ea vaticinatur, quod sit gravida, id quod hactenus ignoraverat.* Lepide! at cui nasuto vaferrimi Iudaei non subolet vanitas? Insçius ipse, utrum *filia* fuerit, an *uxor*, secundas Regis nuptias finxit, de quibus ne שׁיע quidem apud Historicos, quorum nullus illam, aut alteram ACHASI uxorem, aut filiam illam, cum suo Immanuele filiolo, novit unquam; coniecturarum figmentis se ergo implicuit ABARBANEL, ex particula אולי FORTE cuilibet facile apertis. Hoc scilicet Christianos refutare dicit, audacter nempe fingere fabulam, et quicquid in buccam venit, eru-

cta-

ctare impudentius. Quin, si vera fuisset, quam somniavit, historia, non tamen עלמה de marita scripsisset ISAIAS, ut deinceps videbimus. Liceat modo in antecessum provocare ad BEAUSOBRE, qui עלמה τῷ Graecorum παρθένος respondere evincit, *Remarques. p.* 8, unde et apud IOSEPHUM non nisi de virgine intacta, inviolata, intemerata, usurpari, auctor est OTTIUS *in Spicilegio, sive Excerpt. ex Iosepho, p.* 2. Ne addam, Hebraica, proprie vertenda, *virgo concipiendo praegnans et pariens filium*, male ABARBAN. de uxore *iam actu gravida* interpretatum fuisse.

Nec ipsum nostrum Rabbinum fugit interpretamenti sui imbecillitas, cum obiectionem quasi sibi finxerit ex *Cap.* 8. *Comm.* 8., ubi est: *fore extensionem alarum istius plenitudinem latitudinis terrae Immanuelis.* Ad quae verba scribit, *l.l. fol.* 20. *col.* 1. „*Cum vero Scriptura refert*, Plenitudo latitudinis terrae tuae Immanuel, *non id docet*, *Immanuelem fore dominum terrae*, *ut perhibent* (Christiani) *verum litteralis Scripturae sensus est*, *transituras copias* SENNACHERIB *per Iudam.*" Adeoque *terram tuam* explicat de *terra Iebudae*, cuius latitudinem impleturae essent alae copiarum Assyriorum, a quibus nihil metuendum foret Iudaeis, nam *Deus esset cum illis.* Qua exegesi Christianorum obiectiones evitasse sibi videtur, qui Filium ACHASI, sive ex coniuge, sive ex filia, ignorant, cui Immanuelis nomen, vel qui ἀνώνυμος (praeter HISKIAM) terram Iudaicam possederit unquam, quippe quem ignorat omnis historia. Fumum lectoribus suis facit Iudaeus, quasi nos Immanuelem dominum fore terrae latissimae exsculpamus e voce מלא et כנפיו, cum tamen plerique nostratium textum istum non aliter atque ipse ABARBANEL accipiant, et מטות כנפיו מלא non de *amplitudine imperii Im-*

manuelis, sed de *celeri adventu et copiis Assyriorum* accipiant, hac in re veterum exegesin secuti, nempe HIERON. *in* IES. *L. III. fol.* 17. *col.* 3, 4, et CYRILLI *L. I. Orat.* 5. *Opp. T. V. fol.* 99, 100; stat tamen, in quo cardo rei vertitur, רוחב et ארצך in regimine positum, atque adeo vertendum esse: *Exsparsio alarum eius replebit latitudinem terrat* TUAE, atque adeo Immanuelem istius terrae dominum fore, quam copiae Assyriorum replerent; quod de fratre HISKIAE, ACHASI ex altera coniuge filio, vel ex filia nepote, verum fuisse, nec ipse affirmare sustinuit Iudaeus, cui, si חכמי חנוצרים, quos vocat, *Christianorum Doctores* παρερμηνείας convinceret, hoc unum demonstraret necesse fuit, nimirum, quod per עלמה aut *uxor*, aut *filia Regis* intelligatur, quod commentum unico, at infirmo, fulcro particulae אולי FORTE sustulsit. Iam vero hoc commentum ipsi vocis עלמה significatui repugnare, sequenti § evincemus, quod si factum, ruunt Iudaeorum exceptiones vanissimae, et stat, Q.E.D., Religionis Christianae veritatem per illas non modo haud vacillantem, quin magis magisque confirmatam esse et roboratam.

Ceterum ad παρερμηνείαν aliorum de sensu quodam *Typico*, *cum illo de Messia iungendo*, quem sibi finxerunt GROTIUS *ad* MATTH. *I:* 21. EPISCOPIUS *Instit. L. III. C.* 13, modestius vero SOCINUS *Lect. Sacr.* post nonnullos veterum vid. HIERON. *ad h. l.* CLOPPENBURG. *Diss. Sel. IX.* SPANHEM. *Dub. Euang. T. I. Dub. XXXIV.* et MARCKIUM *Dissert. Philol. Exeget. Exerc. XV. p.* 515.

§ 4.

Omnem enim disputationis nervum ut incidant Iudaei, voci עלמה, quae *virginem* denotat, spu-

ri-

rium indunt sensum. Audiamus *Don* ISAACUM. *l. l. fol.* 19. *col.* 3. „Vocatur עלמה quia erat minorennis. „ Puer enim minorennis dicitur עלם, Puella autem „ עלמה, sive ea *virgo* sit, seu *maritata*, *nupta* sive „ *innupta*. Dictio siquidem haec non determinat nisi „ annos." *Coll. fol.* 20. *Col.* 2. Assentitur D. KIMCHI, *Comm. in h. l. fol.* 450, *Col.* 2. „העלמה non significat *virginem*, sed idem est quod נערה, sive *virgo* „ sit sive *maritata*. v. c. דרך גבר בעלמה, *viam viri* „ *in* עלמה (*Prov. XXX:* 18.) intelligitur hic *maritata*. Sic etiam de Masculo minorenni usurpatur „ vox עלם, v. c. בן מי זה העלם *Filius cuius hic* „ *est adolescens?* (1 *Sam. XVII:* 56)" Conf. *Idem* in *Sepher Schoraschim fol.* 94. et addas R. LIPMANN. *Nizzachon*, *C.* 225. *p.* 123. Hoc nempe volunt, עלמה denotare *femellam minorennem*, etiam, *nuptam*, aut *stupratam*, non *virginem* solum, sive *innuptam*, quod ex unico SALOMONIS *l. laud.* probare nituntur: *Tria abscondita a me &c. viam viri in* עלמה. *Sic via mulieris adulterantis, comedit et abstersit os suum, et, non, ait, operata sum iniquitatem*, ubi עלמה manifeste comparari dicunt mulieri adulterae castitatem iactanti, qua comparatione perspicue probari putant Iudaeorum polemici, quod עלמה denotet quoque *scortum* et *prostibulum*.

Verum enimvero ipsa hac comparatione contrarium potius evincitur: si enim עלמה notaret mulierem *fornicariam*, et quidem *nuptam*, idem absurde repeteretur, neque daretur collatio cum *adulterina*; quis enim ferret auctorem, hoc modo scribentem: „ abscondita est via et modus agendi feminae adul„ terinae, namque eodem modo adulterа viam suam „ abscondit." Neque maiori iudicio quis „viam vi-

„ ri

„ ri in potiundo ſcorto" inter res maxime incognitas numeraret, cum contra nimis ea nota ſit atque iſtiusmodi propudia a corpore vulgando *Proſtibula* nuncupentur. Quis ergo adagii ſenſus? — Poſſet quidem עלמה, quod nonnullis placuit, *abſtractive* ſumi, quod non inuſitatum eſſe Hebraeis, norunt tirones; ita enim LXX ἐν νεότητι, SYMMACH. ἐν νεανίδι, vertunt; quaſi dicat SALOMO, vam viri *in adoleſcentia* eſſe incertam, atque difficulter cognoſci poſſe. Quo poſito, cadit totum Iudaeorum gloſſema. — Regerit quidem ABARBANEL, *fol.* 20. *col.* 2, hanc non valere exegeſin, quia עלמה in fine non habet א ſed ה; verum non dicimus, in ipſo textu exſtare nomen *abſtractivum*, nec עלמה *concretum* eſſe negamus, ſed aliquando *concretum* loco *abſtractivi* poſitum eſſe affirmamus. Nec tamen illud in loco urgemus: ſimplex enim verborum ſenſus videtur: „ quemadmodum aquilae, et ſerpentis, et navis motus lenis eſt, et abſque ſtrepitu, ſic tectas et clandeſtinas eſſe virorum vias in fallenda virgine." Aut, ſi malueris, „ Scitu admodum eſſe difficile, utrum puella adhuc vere עלמה, ſive *virgo* ſit, an ſui copiam viro fecerit, cum non adeo facilis ſit cuſtodia virginum, quin illam eludant abſconditae virorum artes, et, quas ſtruunt, inſidiae." Quibus addere licet, *virgines* etiam ſaepe dici δοξαστῶς vel εἰρωνικῶς, facta denominatione non ex eo, quod re vera ſint, ſed quod eſſe videantur, aut quales ſe venditent. Sic Luna *luminare maius*, idolum et *Deus* aliquando vocatur, conf. SPANHEMIUS, *Dub. Euang. XXXIV.* § 18. Neque hoc *Virginis* nomen apud profanos eſt inſolitum. Sic enim de PASIPHAE, iam trium liberorum matre, VIRGILIUS, *Ecl. VI.*

Ah! virgo infelix! quae te dementia cepit.

EU-

EURIPIDES in *Ione* παρθένον, et CAESAR *de Bell. Gall. L. V. virgines ductas* de corruptis, et TERENTIUS, *Adelph. Act. IV. Scen. 5. virginem* de muliere, post partum, dixerunt. Quare, cum Iudaei h. l. עלמה *maritam* esse asserunt, atque eodem perverso sensu locum IESAIAE interpretantur, idem illi faciunt, quod mendaces Sophistae solent, qui, cum de re quadam disputant, assumunt illud, quod est in quaestione, ac *petitione principii* adversarium ludificant. Neque adeo indigemus mystica loci Salomonei explicatione, quam ex R. HAKKADOSCH, qui ante C. N. floruit, se depromsisse ait PET. GALATINUS, *de arc. Cathol. Verit. L. VII. C. 15*, qui *viam aquilae in coelis* Messiam esse dixerit, post passiones coelos petentem; *viam navis per mare medium* vitam Messiae, navis instar fluctibus et ventis agitatam; *viam serpentis super petram* regem Messiam, transeuntem per petram in resurrectione sua; *viam* denique *viri in* עלמה conceptum Messiae in utero ἀειπαρθένε. Quibus allegoriis mire delectatur SALMERO. *Tract.* 31. et HENR. HULSIUS in *Ultimis Salomonis*; (quibus tamen A. W. EISENBERG vel potius Cl. BASHUSIUS, Praeses, in *Diss. ad Ies. VII:* 14, *Servest. A°* 1720, *p.* 23, allegorias morales praetulit, ita ut *via aquilae* sit superbia, *via serpentis* calliditas, *via navis* periculum, *via viri in virgine* verba blanda, quae procus dat illita sesamo et papavere, ut castae virginis compos fiat.) Has quidem exsibilat ABARBANEL *l. l.* nec, uti videtur, immerito, neque bona causa tali auxilio, nec defensoribus istis recte defenditur. cf. Cl. MARCKII *Exerc. Exeget. Exerc. XIX. p.* 292.

Nec, perpensis, quae disputavimus, quid causae fuerit, intelligimus, quod viri ceteroquin doctissimi,

MERCERUS, FR. IUNIUS, et DRUSIUS, a Iudaeis decepti, conceſſerint, עלמה eſſe nomen aetatis, non virginitatis; nam quod SYMMACHUS et THEODOTION reddidere νεᾶνις, id in gratiam Iudaeorum, fraudem vero Chriſtianorum fecere *Apoſtatae* iſti duo. Ab AQUILA proprie vertitur ἀπόκρυφος, unde optime HIERON. *in h. l. Quantum mea fert memoria, numquam me arbitror* עלמה *de mulicre nupta legiſſe, ſed de ea, quae virgo est. Ita ut non ſolum virgo ſit, ſed virgo iunioris aetatis et admodum iuvenis*, qui et affirmat, Punico idiomate, quod ex Hebraeo manavit, עלמה proprie denotaſſe *virginem*. Agmen claudat GALATINUS *l. l.* „Tria ſunt, *inquit*, apud Hebraeos „ vocabula, idem fere ſignificantia, nempe נערה „ בתולה et נערה יעלמה enim ſolum *aetatis* re„ ſpectum habens *puellam*, ſive *adoleſcentulam* ſignifi„ cat, tam virginem quam curruptam. בתולה „ vero ad *virginitatem* duntaxat reſpectum habens, „ virginem ſignificat, ſive *adoleſcentula* ſit, ſive *anus*. „ Sed עלמה utrumque reſpectum habens, ad *ado„ leſcentiam* nempe, et ad *virginitatem*, et adoleſcen„ tulam et virginem notat. Quapropter mulier, ſive „ iuvencula ſit, ſive annoſa, quamdiu *virgo* eſt, „ בתולה appellari poteſt. Quamdiu autem *iuven„ cula* eſt, ſive virgo, ſive corrupta ſit, נערה nuncu„ patur, עלמה autem nulla vocari poteſt, niſi et *iu„ vencula* ſit et *virgo intacta.*"

Denique duo argumenta addere licet ex ipſis Iudaeorum diſputandi principiis, ab eorum nemine non conceſſis, nempe

1. Quoniam העלמה cum ה initiali emphatico *ter* occurrat in S. S. *Gen. XXIV*, *Exod. II* et *Iſ. VII*, prioribus autem duobus locis, ex ipſorum voto, de-

ſignet

signet *virginem iuvenem intactam*, necesse est, idem significatum tertius quoque locus contineat. Quibus addas locum evidentissimum, *Cant. VI:* 8, ubi distinguuntur מלכות *Reginae LX*, שמנים פילגשים, *Concubinae* sive *Pellices LXXX* et עלמות *Virgines innumerae.* Quo tamen loco ה initiale non adscribitur; intelliguntur autem virgines iuvenculae intactae, e quibus concubinas Rex eligeret.

II. Quod et IESAIAE in loco *virginem* significet, ipsorum antiquissimi probant interpretes. Targumim nempe ONKELOSII et IONATHANIS, ut et versio LXX Interpretum et Syriaca. — Nec male urgebis ipsum masculinum עֶלֶם in S. Litteris non nisi de *coelibe adolescente, qui cum nulla rem habuerit, unquam esse adhibitum.* Conf. Cl. IAC. GOUSSETIUS, Theologus quondam Groninganus, in *Ternione Controv. adv.* R. ISAAC CHIZZUK.

§ 5.

Restat, ut ea, quae diximus, ex etymologia vocabuli עלמה extra omne dubium ponantur, quod iam a multis factum est, post SIXTINUM AMAMAM, *Antibarb. bibl. L. III. p.* 595. Sufficiat ergo notasse, vocem עלמה derivatam esse a rad. Hebr. עלם, quae in *Nipbal* significat *latitavit, absconditum fuit:* unde עלמה ea sit, ex mente AMAMAE, cuius pudicitia adhuc salva, sive occultata sit, per nuptias nondum cognita, qualem Romani, sollemni verbo, *virginem signatam* dixerunt: in *Lege Maenia Sacra signata, vel incorrupta*; ita et NONNUS, quin et PRUDENTIUS in *Apotheosi*, ipsam Domini matrem *virginem signatam* dixit. vid. I. HILDEBRANDI *Antiquitt. p.* 110, Phrasis Hebraea est *virgo incognita, irrevela-*

ta; עלמה, opponitur *mulieri cognitae*, *revelatae*; novimus quid in Bibliis sit *revelare pudenda mulieris*, hinc vocem זונה *scortum*, *Gen. XXXIV:* 31. Targumista vertit per נְפַקַת בְּרָא *prodeuntem foras*, quomodo apud Chaldaeos vulgo audivisse prostibula, notavit ELIAS *in Mesurgemam* rad. נצק. Nempe (et hinc plerique causam denominationis deducunt) Iudaeis in more fuit, virgines suas in interiori parte aedium asservare, quo procorum oculos effugerent, nec, nisi prostitutae, exibant foras: huius moris aperta vestigia exstant 2 *Maccab. III:* 19 et 3 *Maccab. I:* 15, ubi et *Thalami* occurrit mentio, et merito deridendus BELLARMINUS, qui de nescio quibus Iudaeorum monasteriis somniat antiquitatis imperitus. *Thalamus* autem erat penetrale educationi et asservationi virginum dicatum, ubi, praeside matre vel inspectrice, lanae deditae fuerunt, neque pedem iis efferre permittebatur, nisi ad propinquos, comitante nutrice, sene, vel eunucho, quod ex EURIP. *Phoen. v.* 1636, uti et variis PLAUTI et TERENTII locis notissimum. Huiusmodi *Thalamus* inde dicebatur παρθενῶν, EURIP. *Phoen. v.* 88, et ap. POLLUCEM in *Onomastico* θαλαμευομένη pro *virgine* dicitur: conferendus STATIUS. *L. I. Theb.*

Nec mora praeceptis, cum protinus utraque virgo
Arcano egressae thalamo.

Non immoror iis, quae lippis et tonsoribus, quod aiunt, sunt nota, cum alia habeam, quae addam. Quo enim facilius domi continerent filias suas Hebraei, utrique pedi non procul a calceo iniiciebant compedes seu annulos, exiguo intervallo catenulis connexos, qui inter eundum collisu clarum edebant sonum, quales et gentibus in usu fuisse docet PLINIUS, *Hist. Nat. L. XXXIII. C.* 12. Mentio fit earum *Ies. III:*

III: 16. *Filiae Sionis ambulando et plaudendo in pedibus ſuis tinniunt*, et *Comm.* 18. *recedere faciet Dominus gloriam compedum:* ingenti enim luxu conflati erant ex auro vel argento, quo lubentius ſe iis ligari paterentur puellae, perſuaſae, dari iſtas compedes ſibi in ornamentum: re tamen vera dabantur, ne diſcurrerent vinculis impeditae, et perpetuo tinnitu ut reſciſcerent cuſtodes, quo tenderent: neque aliter Hebraeis, quam Graecis, ubi κακῶς ἀκούειν ἥτις ἔκ ἔνδον μένει, *male audiebat, quae domi non maneret.* EURIP. *in Troad. v.* 644. Hanc illarum catenarum cauſam fuiſſe docent ABARBANEL *in* IES. *Fol.* 10. *Col.* 3. et D. KIMCHI *in Schoraſchim. Fol.* 93. *Col.* 370. Aliam ſuperaddit MAIMONIDES, *Comm. ad maſſ. Schabbas. C.* 6. „ כַּבָּלִים idem ſunt, quod עֲכָסִים forma alicuius armil„ lae. Inter illa geſtabant catenulas. Iis autem or„ nabant ſe virgines, ne graderentur paſſus maiores „ et obveniret detrimentum virginitati ipſarum.” Conf. Idem *Hilkos Schabbas. C.* 19. Nec finis curarum: Compedibus enim accedebant נעלים גדולים i. e. calcei ſubere ſubſtrati atque elevatiſſimi, ut indutae iis vix ſubſiſtere, aut certo paſſu ingredi poſſent adeoque ſponte ſua manerent domi: neque tamen luxus aberat, quoniam, teſte ABARB. *l. l.* ex *Maſſ. Schabbas. C.* 6. *iniecerunt myrrham et balſamum calceis iſtiusmodi* שדחיו מטילות מור ואפרסמון בנעליהן. Abuſum iſtum, non vero uſum damnavit Deus, IES. III, qui et priſcis Chriſtianis remanſit, unde AMBROSIUS, *de luxu, Diſc.* 25. *vincula* vocat et *calopoedia* aut *grallas crepidas mulierum elevatas*, addens: *in quibus ipſae, cognoſcentes ſuam naturam inquietam et vagabundam, pedes infigunt, ut in carceris ſui domo poſſint retineri facilius. Et per hoc conſtat, quod reprehendendae non ſint illae, quae elevatiſſimas crepidas geſtent, laudandique viri, qui illis tales permittunt.* In-

Interim non praetermittendum, quod VRIEMOET *ad Dicta Classica V. T. T. II. C. IX.* de notione vocis עלמה pro *occultata* dubium moverit ex eo, quod *Gen. XXIV. Exod. II.* et *Pſ. LXVIII:* 26. ritus ille *virgines occultandi* non tam antiquus videatur, quam uſus vocis עלמה (in quibus vir cl. non ſatis diſtinguere videtur inter *dies feſtivos Pſ. LXVIII*, et mores *quotidianos*, uti et inter mores *rurales et paſtorales*, et inter *urbanos*, *magis compoſitos*, quos ex Maccabaeorum libris ſupra notavimus) uti ex eo quod עֶלֶם etiam in maſculino dicitur (de quo et notio *non retegendae nuditatis* valere poteſt, uti et illud vocabulum עֶלֶם non niſi de adoleſcente coelibe, ſed qui *innocentiam ſuam ſervavit*, proprie adhiberi ex Cl. GOUSSETO § praeced. obſervavimus.) putat ergo vir Clariſſ. غـلـم uſitatum eſſe *de naturae ſtimulis cum pubertate coniunctis*, atque adeo غـبـلـم eſſe *virginem nubilem* et غـلاـم *iuvenem plenae aetatis*, quam ſuam ſententiam ex Chaldaeorum עלם *creſcere*, *robur acquirere*, confirmare ſtudet. Atque ſic tamen urget, quando עלמה ſimpliciter adhibetur, nullo addito matrimonii, aut violatae pudicitiae indicio, ſemper innui *iuvenculam*, *plenis quidem nubilem annis ſed intactam et virginem*, quod ex *conſtanti* in S. Letteris uſu probat. Conferas interim de verbo غـلـم ſenſu *obſignandi* magnum ALB. SCHULTENS. ad *Prov. XXX. p.* 466.

E digreſſione in viam redeamus: ſatis iam ſuperque demonſtravimus, vocem עלמה vi originis ſuae, et conſuetudinis Iudaeorum, atque ex indole vaticinii Ieſaitici non aliter, quam per *virginem intactam* eſſe vertendam, atque adeo maximum illud religionis Chriſtianae fundamentum, quod iure ex iſto oracului peti ſolet, per Iudaeorum obtrectationes minime vacillantem, ſed magis confirmatum eſſe et ſtabilitum. Q. E. D.

§ 6.

§ 6.

Alteram tamen audire partem ipsa lex aequi postulat, quare Rabbinorum obiectiones, quamvis de nihilo sint, paucis examinare lubet.

1.) Primo urget laudatus illorum hyperaspistes ABARBANEL, particulam הנה *Ecce* semper et ubique designare *tempus praesens*, aut saltem *valde propinquum*, adeoque locum IESAIAE non de Messia, post tot demum secula venturo, explicari posse. *fol.* 20. *col.* 2. Quis vero adeo stipes, ut nesciat, plerisque in locis הנה particulam esse attentionis exhortatoriam? Verum ut suo hostem iugulemus gladio; non fugit enim Iudaeum, Doctores suae gentes varia, ubi הנה occurrit, oracula de Messia interpretatos fuisse. Sic Targumista ZACH. *III:* 8 et *VI:* 12. ECCE *ego adducens servum meum Tzemach* et ECCE *vir Tzemach nomen eius* de Messia intelligit, quin IEREM. *XXIII:* 5. ECCE *dies venientes, dixit Dominus, et suscitabo ipsi Davidi germen iustum &c.* παραφράζει: ואקים לדוד משיחא רצדיקא *Et suscitabo Davidi Messiam iustum.* Ipse scribit *Don* ISAAC ad IES. *LII:* 13. ECCE *prudenter aget servus meus. Comm. in* IES. *Fol.* 78. *Col.* 1. „Certe IONATHAN BEN UTZIEL explicat prophetiam „ istam de Messia olim venturo, quae etiam sententia „ est Sapientum beatae memoriae &c. Vidi quoque „ interpretationem quandam R. NACHMANIDIS in h. l. „ de Rege Messia &c. Verum RASCHI, R. IOSEPH „ KIMCHI filiusque eius R. DAVID KIMCHI ad unum „ omnes exponunt eam de Israelitis." Scivit ergo vir doctus, hypothesin suam de voce הנה omnibus suis non probari, ipse tamen, illorum exegesin respuens, sui hactenus est similis; at, quid, si regulae suae hermeneuticae immemor ipse nobiscum faciat, eiu-

iusdem Operis *Fol.* 64. *Col.* 1, 2, ubi ad IES. *XLII:* 1. ECCE *servus meus:* post enarratas et refutatas aliorum sententias, ipse tandem concludit, זהו המשיח locum hunc agere de Messia venturo, uti et *Fol.* 35. *Col.* 1, 2. IEREM. *XXXIII:* 14, 15. ECCE *dies venientes* &c. de diebus Messiae intelligit. Mendax ergo Iudaeus, nec sui memor, cum הנה non nisi de *praesenti*, aut *iam instanti tempore* adhiberi, nostro in loco, ex tripode quasi affirmat.

2.) Altera, qua l. l. in arenam prosiliit, haec est obiectio: „Cum dicit: Ecce העלמה הרה, dictio „ הרה loquitur de praesenti, quae iam *tunc erat gra-* „ *vida*, non quae talis futura esset post sexcentos an- „ nos. Si Propheta de futuro loqui voluisset, utique „ dixisset תַּהַר, quemadmodum (C. VIII: 3) וַתַּהַר וַתֵּלֶד „ בֵּן." Incusat nempe MATTHAEUM, qui in Futuro habet ἐν γαστρὶ ἕξει καὶ τέξεται υἱὸν, *C. I:* 23. Pudeat ABARBANELEM dicti sui. Posito enim, quod recte se habeat Grammatica ipsius assertio, nempe quod הרה sit *formae* praeteritae, non sequitur tamen, quod *significationis* etiam sit praeteritae, vel praesentis. Quid enim tritius, quam *Praeteritum* Hebraeis poni pro *Futuro*, maxime in re certo eventura, et quam vates in ecstasi sua oculis quasi vidit, ac si praesens esset? His insistere non opus est. Sed scivit vir Hebraeus, הרה non esse *Praeteritum*, sed (quod huius Cap. § 3. iam innuimus) nomen *fem. gen.* et coniunctum cum ילדת *ad literam* verti debere: *Ecce virgo concipiendo praegnans et pariens filium.* Iam inter הרה וילדת et עלמה ἐλλειπτικῶς intelligitur verbum substantivum, idque *in futuro* enunciandum, quod manifestum ex verbo sequenti וקראת, ubi Praefixum ו *Conversivum* esse, ipse non audet inficiari ABARBANEL, quod

quod si sit conversivum, verbum suppressum antecedens itidem significationis erit futurae, ut ex Grammaticis notissimum. Nec ad LXX provoco, qui habent ἐν γαστρὶ λήψεται καὶ τέξεται υἱὸν, sed pudeat, inquam, ABARBANELEM, cum suum RASCHI i. e. *Rabbi* SAL. IARCHI, quem Iudaei פלשנרתה *interpretem* κατ' ἐξοχὴν vulgo nuncupant, legit (*Glossa in b. l. Fol.* 450. *Col.* 2.) monentem: הרה לשון עתיד הוא, i. e. הרה *est vocabulum* FUTURI *temporis.*

3.) Certissimum pro re sua argumentum inde sumi existimat, *quod nullus omnino vocaverit* IESUM *Nazarenum nomine* IMMANUELIS, *ne mater quidem ipsius, quodque nec postea eo nomine fuerit nuncupatus.* — Verum dudum ad hanc obiectionem a nostris responsum fuit, quod h. l. repetere, brevitatis studio, non vacat; ubivis enim apud Theologos, sive dogmaticos, sive polemicos, obvium: summa rei huc redit, nomen Immanuelis non esse nomen proprium, sed nomen, quod dicunt *naturale*, sive δεικτικὸν, utriusque naturae unionem, et officium Mediatoris Deum inter et homines, designans, quod cum et nomine proprio IESU designetur, illud nominis *naturalis* IMMANUELIS παραφρασικὸν fuisse, quod ab Angelo iussum et in circumcisione ei impositum fuit ישוע nomen *proprium.* Plura qui cupit, adeat GUSSETUM in *Chissuck Emuna. Part. I. C.* 45. *n.* 19. et *P. II. C.* 2. *n.* 1., Commentatores in IESAIAM, et omnium instar C. VITRINGAM *T. I. Fol.* 183, et in *Observ. Sacr. L. V. p.* 1. WAGENSEILIUM, *Tel. ign. p.* 381. et *Dissert. singulari*, quae exstat in *Thes. Disputat. T. I. Fol.* 691. PHEIFFERUM *Quinquagena locorum V. T. Opp. Crit. p.* 468; neque praetermittendus ALTINGIUS, qui *Opp. T. V. Heptade III Dissert. fol.* 63, hoc peculiare habet, CHRISTUM hoc nomine non adeo designari, ut

θεάνθρωπον, sed ab officio mediatorio coniungendi Ecclesiam cum Deo. Equidem, num haec recte se habeant, affirmare non ausim, quia nostro in loco nomen עמנואל manifesto *futuram incarnationem* respicit, attamen aeque, vel potius multo, minus negaverim, officium mediatorium hoc nomine contineri; quod si verum, luce clarius constat nominum עמנואל, et ישוע aequalitas; *hoc* enim ab *effectu*, scilicet a remotione eius, quod conciliationem impedit, *illud* a *forma*, sive ipsa hominum cum Deo conciliatione, desumtum fuit. Conf. etiam ERNESTI *Neue Theol. Biblioth. Vol. IV. pag.* 91. Excipit quidem *Don* ISAAK, *l. l.* „Haec inania verba esse, si„ quidem de nomine *naturali* non diceret Scriptura: „ וקראת שמו עמנואל *Et vocabis nomen eius Im„ manuel*, verum de nomine *univoco*, quod conveni„ ret ipsi, ut vocaretur eo. De nomine *naturali* „ dictum fuisset הוא שמו; *Hoc est nomen eius*, ad„ eoque dicendum ipsi fuisset, והיה שמו עמנואל „ *Et erit nomen eius Immanuel*, non וקראת שמו „ *Et vocabis nomen eius &c.*" — At, o bone! ostendas, quaeso, ACHASI, qui Immanuelis nomen sibi proprium gessit, filium vel nepotem: nonne, quae fastu grammatico affers, maiore iure Nos *inania verba* dicimus? En, quibus obmutescas, S. S. loca. De Urbe Hierosolymitana legitur, IES. *I:* 26. *Et postea* יקרא *vocabitur ibi Civitas Iustitiae, Civitas fidelis*, IEREM. *III:* 17. *Tempore illo* יקראו *vocabunt Hierosolymas Solium Domini.* ZACHAR. *VIII:* 3. ונקראה *Et vocabitur Civitas veritatis, et Mons Domini Exercituum, Mons Sanctitatis:* quibus in locis nullus unquam nomina inpositiva, sive propria, quae *univoca* dixit ABARBANEL, somniavit; sunt ergo nomina, quae dicit *naturalia*, atqui tamen ubique de iis verbum

bum קרא occurrit: plura ex IES: *IX:* 6 et IEREM. *XXIII:* 6. addere liceret.

Inſtant Iudaei: „Nominis impoſitionem h. l. de„ mandari Parenti, nec indefinite dici יִקְרָא aut יִקָּרֵא, „ adeoque nomen haud eſſe *naturale.*" Verum reſpondemus.

α.) Etiam C. *VIII:* 3. Parenti iniuncta fuit nominis impoſitio, attamen nomen, cuius mentio ibi fit, non *proprium*, ſed *naturale* fuiſſe, omnes ad unum fatentur Rabbini.

β.) De forma vocis non adeo conſtat, ut indubium ſit, cuinam partes imponendi nominis IES. *VII* iniungantur. — ABARB. 2 Sing. Maſc. putat ת illud, non ת fem. *Fol.* 19. *Col.* 3, 4; ſcribit enim de loco noſtro, וקראת שמו שב אל אחז ויהיה התיו תיו הנכבה לא תיו הנקבה *Et vocabis nomen eius: Convertit ſe ad* ACHASUM, *atque* ת *illud est* ת *fec. Perſ. non* ת *Fem.* — E contrario KIMCHI Femininum eſſe aſſerit *Fol.* 150. *Col.* 2. וקראת על אמו הוא אומר והיה מנהגם כי האמות היו קוראות שם לבניהן *Et vocabis: Hoc ad matrem eius dicit, quoniam mos erat, ut matres imponerent nomen filiis ſuis.* Non tamen omnia vere dicit: mos quidem ille obtinuit, uti patet ex *Gen. XXXV:* 18 et LUC. *I:* 60, ſed non niſi conſenſu vel conceſſione patrum, cum paterni imperii eſſet filiis indere nomina. — Aliud plane docuit ABEN ESRA, qui quidem ת illud Fem. eſſe putat, ſed tertiae Perſ., ut poſitum ſit קָרְאָה pro קָרְאֵת *vocabitur*, quemadmodum et *Deut. XXXI:* 29. Sic תָּחֲטֵאת pro תָּחֲטָאָה *Exod. XV:* 16, et עָשְׂתָה pro עָשְׂתָת *Levit. XXV:* 21. Hinc MATTH. *I:* 21, plerique Codd. habent καλέσεσι, ut et Syr. et Vulg., tuentur hanc lectionem IUSTINUS, EPIPHAN. CHRYSOST., eamque retinuit in N.

T. suo STEPHANUS. Vid. MILLIUS ad h. l. Nec aliter instituunt A MONTANUS, PAGNINUS, MUNSTERUS, cett. — In N. T. Leusdano, uti et in Alexandrina V. T. Versione retinetur καλέσεις, quod pauci habent N. T. Codd., nec nos adeo magnam causam dari videmus, quo minus קראת statuamus esse 2. *Sing. Fem. Praet.* Quae forma verbis לא in persona ista ordinaria est. Sic Propheta apostrophen facit, matremque alloquitur. *Ecce virgo gravida et parturiens filium! Tu autem, ô Virgo Mater!, nomen eius vocabis Immanuel.* Si autem קראת 3 Pers. sit, etiam ad Matrem referatur, vel si mavis, ad Spiritum S. — רוח enim saepius Fem. est, — ubi notanda maxime exegesis R. SALOM. IARCHI, qui ita ויולדת בן וקראת שמו רוח הקדש תשרה עליו *Et pariet filium, et vocabit nomen eius Spiritus Sanctus, qui descendet super ipsum. in Gloss. in h. l. Fol.* 450. *Col.* 2.

4.) Pergit ABARBANEL obiiciendo, oraculum IESAIAE nostrum IESUM non respicere posse, cum dicat, *antequam sciet puer reprobare in malo, et eligere in bono.* „ Hoc enim (ait) contrarium est illi, quod tradunt „ Christiani, IESUM, ex quo natus esset, perfectissi„ me sapientem fuisse, &c." mitto, quae addit, blasphematum in Opt. Max. Servatorem plena, cuncta vero homine Iudaeo, doctrinae Euangelicae imperitissimo, et a rebus Christianis ἀμυηριάτῳ, dignissima. — Quid responderi debeat, habet SPANHEMIUS noster, *Dub. Euang. XXXIV.* § 39. Quid vero de sapientia, et ignorantia CHRISTI, qua hominis, statuendum sit, post LUCAM *C. II:* 52, videre est apud EPIPHAN. *de Haeres. L. III. fol.* 420. AMBROS. *de Incarnat. Dom. Opp. T. II. Fol.* 184. ATHANAS. *contra Arian. serm. IV. Opp. T. I. Fol.* 258. GREG. NAZIANZ. *Orat. XXX. Fol.* 505. eiusque fratrem CAESARIUM Dial. I.

Ob-

Obiect. 10. *Fol.* 1097, 1099. AUGUST. *de Pecc. L. II. C.* 29, *et in Pſ. XXXIV, Conc.* 2. *Opp. Tom. VII. Fol.* 153. *Col.* 3 *et Tom. VIII. Fol.* 56. *Col.* 1. et, poſt illos, apud omnes fere Theologos recentiores. Sufficit in Iudaeum notaſſe, *neſcire bonum et malum* phraſi ſacra ſignificare *infantiam*, *Deut. I:* 39, IONAE *IV:* 11, atque hinc *ſcire reprobare in malo et eligere in bono* aetatem virilem et conſummatum rationis uſum, unde et TELEMACHUS HOM. *in Odyſſ.*

Ηδὲ νοέω καὶ οἶδα ἕκαστα

Ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρεια.

Cetera, quae addit ABARB. de ſigno post DC annos eventuro, quam cramben identidem recoquit, et de comminationibus in contextu, uti iam ſupra refutavimus, ita mediocriter peritus tam parvi faciet, ut nos non amplius detineant: hoc tantum ſi addideris, ipſos Rabbinos per URIAM *C. VIII:* 2, illum, de quo IEREM. *XXVI:* 20, qui C annos IESAIA poſterior fuit, per ZACHARIAM, illum templi ſecundi Prophetam, qui CCC annis IESAIA iunior fuit, intellexiſſe, ſic ut eosdem Ieſaiae aequales fuiſſe, vitam autem, ad IEHOIAKIMI, alterum ad DARII tempora protraxiſſe, fabulentur. Sententia plane diverſa ab illa Cl. LIGHTFOOTI, qui eosdem quidem, ſed Deum ipſum ad teſtes eos provocantem, exiſtimat. Recte igitur WAGENSEILIUS, *l. l. p.* 461, „ſi Iudaeis (*inquit*) neuti„ quam abſurdum eſt credere ad plenam fidem faci„ endam ſigno, quod ACHASO Regi oblatum fuit, „ quodque in pueri cuiusdam naſcendi procreatione „ conſiſtebat, provocari ad teſtes, qui multis ſeculis „ ACHASO, illoque ſigno fuerunt poſteriores: neuti„ quam quoque vel ob hanc, praeter alias, quae a„ libi offeruntur, rationes, abſurditatis accuſare pos„ ſunt Chriſtianos, ſi ipſum à Deo ACHASO oblatum „ ſignum in aliam, quam qua ACHASUS vixit, aeta-

„ tem coniiciunt, atque puerum, tum praedictum, „ post aliquot demum secula a Matre editum esse, „ contendunt." —— Alii tamen Rabbinorum et alia regesserunt, quibus breviter respondeamus, necesse est.

a. Utget nempe R. MOSE ISSASCHAR in *Leekach tof*, quod non dicitur עלמה absolute, sed העלמה, ita ut de praesenti quadam, quae adstabat, sermo sit, quam digito monstravit vates, eodemque modo disputat R. LIPMAN *Nitzach. C.* 224. *Fol.* 124. Verum quis nescit, ה' הידיעה *He cognitionis*, quod *Emphaticum* vulgo dicunt, non semper de re poni, quae omnium in oculos incurrit, et digito monstrari potest, aut de qua in antecedentibus sermo fuit, sed saepe designare rem, vel personam unam, certam, et κατ' ἐξοχὴν intellectam, ita ut א illud non semper sit ἀναφορικὸν vel δεικτικὸν, verum saepe indicet ἐξαιρετόν τι in subiecto. Sic h.l. vates voce העלמה determinavit ἀντιωνομαστικῶς virginem illam, electam inter myriadas, Messiae matrem, quam Angelus κεχαριτωμένην et ἐυλογημένην ἐν γυναιξὶν vocavit, LUC. *I:* 28. quasi dicat: *Ecce, virgo illa, dilecta Deo, gravida et pariens filium vocabit illum Immanuel.*

b. Sibi autem de plena victoria gratulantur Rabbi MOSE et LIPMAN, cum exinde nostram cadere sententiam affirment, quod hicce puer habuerit *patrem*, quia dicitur, *C. VIII:* 4, *antequam sciat puer vocare.* אבי *Mi pater!* — Nodus hic admodum torsit illos ex Patribus, qui (hi enim plerique fuere) *Caput VIII.* non *historice* sed de *visione*; *Prophetissam* de *Maria*; ipsiusque *filium* de *Messia* interpretati sunt. Verum perperam Iudaei, et, qui eos secuti sunt, Patres, *C. VIII:* 1-4. connectunt cum *Cap. VII.* Ibi enim de ISAIA agitur, qui vere cum uxore coiit, fi-

filiumque ex illa ſuſtulit, hic vero de filio virginis. Adeoque puer iſte ex Prophetiſſa probe diſtinguendus eſt ab Immanuele, et puer, qui diceret אבי, totus quantus, alter eſt ab illo עלמה filio, ſeu Meſſia promiſſo. Rationes in promptu ſunt. 1.) Nomen eſt diverſum; ille enim appellatur מהר שלל חש בז *Maher Schalel Chas Baz*, hic vero עמנואל Immanuel. 2.) Ille dicitur *filius Prophetiſſae* ex legitimo coitu, hic vero *filius virginis*. 3.) Hic *terrae Dominus*, ille *non item*. 4.) Filius ex עלמה promittitur in ſignum *conſervationis domus Davidicae*, filius Prophetiſſae nomen accipit in ſymbolum *deſtructionis Damaſci et Samariae*. Neque fugit hoc LIPMANNUM C. S. probe ſcientem, quod ABARBANEL eandem, quam nos, ſententiam uberius demonſtraſſe, et utrumque filium plane diverſum eſſe, ſolidis argumentis evicerit. *l. l. Fol.* 20. *Col.* 1, 2: Cuius auctoritas tanta apud ſuos, ut החכם השלם *Sapientem*, ſive *Doctorem perfectiſſimum* vulgo eum nuncupare ſoleant; nec, ſi cum aliis comparetur, prorſus immerito; eum licet hac in diſſertatione minime talem repererimus, odio nempe in Chriſtianam religionem, et partium ſtudio nimis δυλεύοντα.

§ 7.

Theologiae Dogmaticae Caput ſi ſcribere inſtituiſſem, argumentis ex re ipſa petitis, iis, quae diximus, pondus adderem. *Hominem* fore Meſſiam credunt Iudaei; iam vero illum *Sanctiſſimum* futurum praedixit DANIEL *C. IX*, quod quidem Caput ad Meſſiam referunt R. BARACHIAS in *Bareſch. Rabba ad Gen. XVIII:* 14, MAIMONID. *ad* DAN. *IX*, nec contuliſſe

liſſe pigebit, quae ex noſtro ABARB. aliisque congeſſit EISENMENGER in *Iudaiſmo detecto*, *Part. II. p.* 649. Qui vero *Sanctiſſimus* eſſe poteſt, qui בשר ודם vulgari ſorte natus ſit? omnes enim, qui naturali conceptione naſcimur, טמאים, polluti et inquinati naſcimur, IOH. *XIV*: 4, aut quomodo pro peccatoribus intercederet Meſſias ipſe peccator? nonne ipſum interceſſorem peccati argueret, qui ne IOBO pepercit, piorum accuſator שטן? nonne denique omnis in Meſſiam fides, ac tota, quae illa nititur, religio, lubrica fit, ridicula et idololatrica, ſi non, niſi merus homo ἐκ γῆς χοϊκὸς, non vero ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ exſpectandus fuiſſet? vid. Cl. MICHAELIS *Diſſ. de nominibus* CHR. § 4, ubi ad hominem diſputare diſcas ex iis, quae excerpſit vir Cl. ex Vett. Rabb. Commentariis ad verba; ישראל נושע ביהוה *Iſrael liberatur per Iehovam*, *Deut. XXX*: 29. IES. *XLV*: 17.

Sed haec miſſa facientes, vaticinii enucleati vindiciis finem imponemus hiſce duabus obſervatiunculis.

a.) Prior eſt, quod, ſi ipſa Iudaeorum ſcripta perluſtremus, hic illic aliquid ſaltem occurrit, quod abſconditae veritatis, quae olim erat in confeſſo, prodit veſtigia. Sic enim NEZACH ISRAEL, *C. XXX. fol.* 43. *col.* 1. locum adduxit ex *Medrasch Rabboth*, *fol.* 27. *col.* 2, quo traditur, *Meſſiam proditurum* ממקום אחר *ex loco alio*, in quo id latere putant Viri doctiſſimi, quod Vett. Rabb. aliquid intellexerint, diſcipulis vero ſuis, prae metu, rimandum, de ſupernaturali Meſſiae proditu, vid. quae ad hanc traditionem ſcripſit WAGENSEILIUS, *l. l. p.* 452. MAIUS *Theol. Iud. Loc.* 8. *pag.* 135. et *Theol. Prophet. Loc. VII. pag.* 281. Niſi temporum iniuria, aut Iudaeorum perfidia, periiſſent ſcripta Rabbi cuiusdam HADARSCHAN, quem ſaepe laudat RAYM. MART. *in Pug. fidei*, ma-

io-

iori cum fiducia adduceremus, quae scripsisse illum ait RAYMUNDUS, ad *Ps. LXXXV: veritas germinabit ex terra.* „R. IUDA (*inquit*) hic notat, non dici *na-* „ *scetur*, sed *germinabit*, quia *generatio* Messiae erit, „ non *nativitas*, ut ceterarum creaturarum in mun- „ do, sed *gignetur sine copula carnali*, ideoque ne- „ mo nominat patrem eius, utpote qui abscondi- „ tur, donec veniat ipse et patefaciat nobis, et R. „ HAKKADOSCH eo usque progreditur, ut virginis „ Israeliticae, Messiam in utero gesturae, nomen „ per Gemariam, quae Cabbalae regula est, investi- „ gare conetur."

Quod enim recentiores Rabbini, volentes et scientes, ex Stygio in Christianos odio, a Patrum suorum explicationibus aberrarint, ex uno IARCHI perspicimus, qui ad *Psalm. II:* 7. „Doctores nostri (*inquit*) „ hunc psalmum interpretati sunt על מלך המשיח „ de Rege MESSIA, sed, secundum sensum litera- „ lem, et UT HAERETICIS RESPONDEATUR המינים, „ expedit interpretari illum de ipso DAVIDE." Haec enim, aliquot in Editt. omissa, in vett. Editt. ita lecta fuisse, abunde probat POCOCKIUS, ad *Portam Mosis*, *C. VIII. p.* 314. 315. — Atque hinc constat, quid responderi queat Doctori G. F. SEILER, qui in nuperrimo elegantissimo scripto *die Weissagung* &c. *pag.* 77 *in Not.* SCHOETGENIUM, WETSTENIUM, EISENMENGERUM, plures alios accusat additae mentis christianissimae nonnullis Rabbinorum dictis, aut male intellectis, aut saltem hinc inde male congestis. Scio, plures viros doctissimos in ea fuisse haeresi, nec inficior, nonnullorum nimiam inconsiderantiam huic accusationi ansam dedisse; sed neque fugit Virum Clariss., serioris aevi Rabbinos, maioribus suis astutiores, avitam sententiam de multis vaticiniis mu-

taviſſe, *ut* (quod IARCHI palam profitetur) *τοῖς Minim reſpondeatur.*

β.) Alterum, quod, et maiori quidem cum fiducia, obſervari velim, hoc eſt; nempe adeo inhaeſiſſe huius vaticinii opinionem genti Iudaicae, ut cuivis alii, qui ſe pro Meſſia iactitaſſet, ſcilicet eorum opinionibus conformem, et qui veri quadam ſpecie ſe *ex virgine natum* iis perſuadere inſtituiſſet, ob id ſolum adhaeſiſſent omnes, eumque pro vero Meſſia habuiſſent. Teſtis experientia; hiſtoriam nempe habent STENGELIUS *de Exemplis, L. II.* IO. à LENT. *Schediaſm. de Pſeudo-Meſſiis. pag.* 483. EISENMENGER. *l. l. Part. II. pag.* 664, quam ſatis lepidam h. l. addidiſſe, volupe eſt. „ Anno MCCXXII Wormatiae, tem„ pore HONORII III, Iudaeus quidam venuſtam habet „ filiam, quacum conſueſcit iuvenis vicinus. — Hic „ Amaſiae, quo crudelitatem parentum evitet, ſua„ det et iniungit, reſpondeat conſtanter, interroga„ ta de graviditate, ſibi cum nullo viro rem fuiſſe, „ ſeque certam eſſe de virginitate ſua illaeſa. Iuve„ nis autem aliquando, tempore nocturno, per fo„ ramen, quod antea obſervaverat in valvis cubicu„ li, mediante canaliculo, Iudaeos, parentes virgi„ nis, blaeſa alloquitur lingua, hoc modo: „ Vos iu„„ ſti, Deoque cari coniuges! gaudete! filia enim „„ veſtra, quae virgo eſt, concepit filium, qui ve„„ ſter Liberator erit.” Iudaeus, haec audiens, „ ſuſcitat uxorem et una cum illa Deum rogat, ut „ vocem illam angelicam repeti ſinat; haec ad„ vertens aſtutus amaſius, iterum eos alloquens, „ mandat, ut filiam ſuam honore debito proſequan„ tur, illique et filio, ex illa naſcituro, bene pro„ ſpiciant, quia (inquit) ex utero eius virginali pro„ dibit Meſſias, quem exſpectatis. Hoc de nuncio „ vetuli illi, miſere decepti, dum iuſti et Deo cari

„ con-

„ coniuges appellati fuerant, certiores faciunt vici-
„ nos, et hi alios ubicumque locorum Apellas, qui
„ quotidie advolant, et ſtudioſe virginem obſervant
„ coluntque, atque avide Meſſiam exſpectant ſuum,
„ identidem ingemiſcentes: „Veni! Veni!" Tan-
„ dem parit illa μεσσιοτόκος *filiam*, quo ipſo evane-
„ ſcit omnis ſpes, omnis laetitia Palaeſtinorum, et
„ pater infantis mox innoteſcit. Unus vero ex iis
„ Meſſiam recens natum parieti allidit et homicidii
„ ſupplicium ſubit." — Hinc quam altas radices fecerit opinio de Meſſia ex virgine oriundo, facillime conſtat.

Nec nimium dixerim, ſi tot virginitatis leges, et curam Dei de ſignis et criteriis illius, hanc maxime Meſſiae nativitatem ex virgine reſpexiſſe affirmaverim, quod olim et ALLIXIUS ſenſit, *Reflex. verſ. Germ. Part. I. L. II. C. 20. pag. 337. et Part. II. C. I. C. 14. p. 143*, quo omnes incredulorum in iſtiusmodi leges ioci, et riſus, et obtrectationes quam ſua ſponte cadant, non opus eſt, ut pluribus demonſtremus.

CAPUT III.

Longiores quidem fuimus in hoc uno IESAIAE loco, quam par erat, nec tamen ſine ratione. Nugaciſſimas enim Iudaeorum obiectiones recoctas nobis identidem apponunt hodierni veritatis hoſtes, easque, artem Criticam mentiti, pro neſcio qua nova eruditione, et in denſa theologorum orthodoxorum caligine, quam vocant, pro gratiſſima luce venditant incautis, cum ab altera parte, vindicata illuſtriſſimi huius Oraculi vera exegeſi, ceterae circumciſorum obtrectationes, de quibus iam diſſeremus, vim omnem amittant ſuam.

§ I.

Nisi enim illos veri conscientia torqueret et cruciaret, τὴν ὁδὸν τῆς ἀληθείας βλασφημοῦντας (2PET. II: 2) non adeo historiam nativitatis S. nostri Servatoris conviciis suis peterent, blasphemiis suis Euangelium nostrum irritum facere conati. Horret quidem animus, talia dum perlegimus, pro miserrima gente et continuas preces ex intimis cordis penetralibus ad Deum, Patrem domini nostri Iesu Christi, fundentes; utinam velit, ne unquam blasphemiae Iudaeorum modum excedant criminum eorum, quae patres ipsorum in filium hominis commiserunt, parcatque iis benignissimus Iudex, quo die venerit ἐξελέγξαι περὶ πάντων τῶν σκληρῶν, ὧν ἐλάλησαν κατ' αὐτοῦ ἁμαρτωλοὶ ἀσεβεῖς. (IUD. c. 15.)

Verum, propositi nostri memores quasdam eorum obtrectationes recensebimus, quo appareat, nihil ab iis timendum esse religioni Christianae.

MARIAM scilicet, beatissimam virginem, non ex Sp. S., sed ex libidinoso coitu IESUM concepisse, conclamitant omnes, in suis tamen ea de re narratiunculis sibi ipsi obloquentes, adeo quidem, ut minime nasutus fraudem et malitiam detegat facillime.

Vaferrimus enim auctor libelli TOLEDOTH IESU, omnium longe pestilentissimus, Sponsum Virginis legitimum dixit IOCHANANEM quendam, iuvenem pium et Dei reverentem, qui, audito, sponsam suam ex alio gravidam esse, Babylonem, prae dolore, migravit. — At vero de persona ac nomine minus convenit. Talmudistis enim Sponsus ille modo PAPPUS BEN IUDA, modo IOSEPH, aut STADA dicitur, ubi magis miseris, STADAM aliis *Sponsi*, aliis *Concubitoris*, aliis *ipsius Virginis* nomen esse. Ille enim, quocum concubnisse dici-

citur, STADA vel PANDIRA vulgo audit. vid. BUXTORF. *Lex. Talm. fol.* 1460. WAGENS. *Conf. Tol. Ieſ. p.* 15. Neque de modo rei conſtat. Ex *Tol. Ieſ.* „ PANDIRA miles et ganeo (Iudaeus, an Ethnicus fu- „ erit, diſputant) ſub crepuſculum veſpertinum, „ dum ante fores domus ſuae ſedet virgo, accedit, „ eamque, ſponſum IOCHANANEM ſecum eſſe ratam, „ in conclave proximum abreptam, comprimit, omni- „ no tacens, cum vero MARIA dicat, ſe τὰ ἐμμήνια „ pati, media nocte redit &c." Abſurditas aperta; virgo enim Sponſum non dignoviſſet tempore crepuſculi, quo captabat auram? neque ex illis PANDIRAE factis intellexiſſet, non ſuum pium et manſuetum IOCHANANEM ſecum eſſe? — En ergo aliam fabellam ex *Tol. Ieſ. Edit. Huldriciana.* „ Iam nupta „ fuit MARIA PAPPO cuidam, qui, qua forma erat „ egregia, uxorem, per zelotypiam, thalamo obſera- „ tam tenuit. Die vero expiationum PANDIRA per „ feneſtras illam abduxit, et Hieroſolymis aufugit „ Bethlehemum, ubi ex illa IESUM, filios filiasque, „ genuit; neque res, niſi longo poſt tempore, PAP- „ PO innotuit a viro, qui venit forte Hieroſolymis „ Bethlehemum &c." — Quantum mutata narratio ab iſta! — Quid? quod plane diverſa legitur in *Calla, Tract. Talm. Fol.* 18. *Col.* 2: ac quomodo Iudaei ſibi invicem hac in re contradicant, pluribus videas ap. EISENMENGER. *Part. I. p.* 112. et WAGENS. *Conf. T. Ieſ.* — fabulantur porro alii, „ ipſam MARIAM con- „ feſſam eſſe R. AKIBAE, ſe in nuptiis ſuis impuram „ fuiſſe, ideoque ex lege Moſaica Sponſum ſeparas- „ ſe ſe ipſum, Paranymphum vero ſecum concubu- „ iſſe." Quod et alii, diverſiſſimo tamen modo, narrant, vid. LIGHTF. *Hor. Heb. ad* MATTH. *XXVII. p.* 498. Conferat, cui id volupe, *Talm. Babyl. Maſſ. Schabbas. Fol.* 104. *Col.* 2. *Maſſ. Chagbigha. Fol.* 4. *Col.* 2.

Sanhedr. Fol. 43. *Col.* 1., ut et *Talm. Hieros. Mass. Schabbas. C.* 12. *Sanhedr. C.* 7. *Iesammos. C.* 16, et addat BUXTORFIUM, *Lex. Talm. Rad.* ממר. *fol.* 1460 *et seqq.*, quem iam in superioribus laudavimus.

Sed haec mittimus, ostensuri, tantum abesse, ut haec omnia veritatem religionis Christianae *infirment*, ut *confirment* potius mirifice.

א. Illud quo appareat, videas, quaeso, quam confusa sint omnia et contorta. α.) Decies variat mendacium, quo ipso a veritate, quae sibi semper constat, distinguitur. — Nec β.) si IESUS ממזר fuit, cur non punivit Synedrium PANDIRAM et MARIAM ob duplex, idque gravissimum, peccatum, ex lege *Deut. XXII:* 23, 24. *Levit. XX:* 18? Res enim (Iudaeis si credas) Iudices non fugit. nam 1.) ipse IOCHANAN (ex *Tol. Ies.*) rem detulit ad SIMEONEM BEN SCHETACH, Synedrii assessorem, qui et ad Senatum postea retulit. 2.) Quin et ipsa MARIA (ex *Talm.* et *Toled. Ies. Huldric.*) crimen confessa est Rabbi AKIBAE. Dicunt quidem, iuravisse AKIBAM, se rem non prodituram; sed in ipso Talmudis l.l. AKIBA tantum *ore* iurasse fertur, *tacitus* vero *mente* se religione solvisse. Iudices ergo iniustitiae et neglectus mandatorum Dei reos fuisse constat. Nec quicquam ponderis habet, quod Scriptor *Toled. Iesu Ed.* HULD. causatur, Synedrium PANDIRAE et MARIAE reditum HERODI non nunciasse, cuin timerent, ne Rex totam urbem Nazaretham perderet. Hoc enim infanticidii Bethlehemitici, tot incredulorum obiectionibus petiti, veritatem quidem adstruit, qua de re pluribus agendum erit *Sect. II. Cap. IV.* § 2., sed nihil valet contra officium Synedrii, non enim ante HERODIS obitum Nazaretham redierunt o. m. IESU parentes. γ.) Porro, cum ipsi narrant, Reginam

HE-

HELENAM a Iudaeis postulasse, probarent IESUM esse ממזר, minasque addidisse; cur tunc saltem MARIAM ad iterandam confessionem non coegerunt? cur ad acta publica non provocarunt, si verum est, quod *in Toled. Iesu*, illum ccc tubis a Synedrio ממזר declaratum, illumque aquis *Boleth* a Synedrio lotum fuisse, ne capilli succrescerent, quod notam ממזרים dicunt, licet hunc morem Talmud plane ignoret. Vid. *Not. Huldric.* δ.) Addunt mendaciis suis quaedam, quibus ipsi se obloquuntur. v. c. Quomodo IESUS, ab Ecclesia publice exclusus, Iudaeis, in verba Pharisaeorum iurantibus, persuadere potuit, se ex Sp. S. conceptum fuisse? quod persuasisse illum fatentur Rabbini, ut supra visum. Aut quomodo, quod narrant, Rabbi IEHOSCHUA BEN PARACHIA IESUM informare potuit, ille, qui membrum Synedrii primarium audit et Synedrio interfuisse dicitur, cum per AKIBAM et SIM. SCHETACH res Senatui fieret nota? non enim licuit instituere ממזר, cf. EISENMENGER, *l.l. Part. I. p.* 114. ε.) Quo demum iure licuit eidem docere publice in templo et Synagogis? cum eiusmodi a coetu Domini lex arcuerit, *Deut. XXXIII:* 2, quam rigide adeo explicatam fuisse dicunt Traditionarii, ut ne Hierosolymis quidem commorari nothis licuerit. Nostrum vero IESUM non Hierosolymis saepe pernoctasse tantum, sed saepius in templo docuisse, et cum Doctoribus Iudaeorum disseruisse, omnes Euangelistae perhibent, quod si falsum, facile ab aequalibus fuissent refutati, uti et hodierni quidem illud negare haud sustinent Iudaei. ζ.) Denique, si vera sunt, quae garriunt, cur Pharisaei (quos non puduit atrociſſimorum criminum Sanctissimum IESUM accusare, quod ex ipsis Euangelistis, ingenuis et candida fide probatis visis, constat) nunquam ei *nativitatem spuriem* obiece-

cerunt? — Immo PAULUS noſter ad *Hebraeos*, quorum nonnulli iam iam relapſum meditabantur, hac methodo uſus fuit, quantum peccatum ſit CHRISTUM deſerere, demonſtraturus, ut Mediatorem N. T. MELCHIZEDEKI ἀπάτορος καὶ ἀμήτορος Antitypum dicere non vereretur. Iam vero cum Hebraeis caute erat agendum, neque afferri poterant res incertae, de quibus fama diverſa animum dubium reddere poſſet, verum ad πρόδηλα provocandum erat, v. c. *C. VII:* 14. πρόδηλον γὰρ ὅτι ἐξ Ἰούδα ἀνατέταλκεν ὁ Κύριος ἡμῶν. — Nonne Haeretici, qui ſtatim ab initio divinitatem et integritatem IESU oppugnarunt, id Orthodoxis obieciſſent, ſi vel minimam veri ſpeciem habuiſſet, inprimis illi, qui *Gnoſtici* male dicebantur, πορνείας et vagae libidinis patroni?

Sufficit, nec opus eſt provocaſſe ad SUIDAM, qui ſub voce Ἰησοῦς refert (nonnullis DD. VV. valde probatus) Iudaeum quendam ἀρχισυνάγωγον PHILIPPO, ἀργυροπράτῃ chriſticolae, illa, quae de ſupernaturali Servatoris conceptione credimus et confitemur, ex libro quodam arcano, et principibus tantum Iudaeis noto, confirmaſſe. Sufficit, inquam, nobis, quod nugaciſſimorum Rabbinorum obtrectationes ſe ipſae refutent, et ab omni veri ſpecie abhorreant, ita ut firmum ſtet atque omni careat dubio, IESUM O. M. non minus impie, quam abſurde *Spurium* dici, adeoque Euangeliſtarum de immaculata illius conceptione relationi fidem denegari nulla ratione poſſe: quod ſi verum, nos certe genuinum habemus atque colimus Meſſiam, de cuius adventu IESAIAS ſuum ante edidit oraculum, neque religionis Chriſtianae veritas recentiorum obtrectationibus ullo modo labefactatur.

ב. Neque minus verum, quod addidimus, hanc nem-

nempe religionis noſtrae veritatem illis admodum confirmatam eſſe et ſtabilitam: quum ſcilicet circumſtantiis (ut vocant), quas S. Scriptores in hiſtoria nativitatis Dominicae, tanquam veri Meſſiae criteria, probe notant, teſtimonium perhibeant ipſi obtrectatores. Nam IOSEPHO, MARIAE ſponſo, IESUM non genitum fuiſſe, probant ipſi, ita ut CARPOCRATES aliique iſtius generis haeretici, quorum mentio apud Patres iniicitur, ex ipſis Iudaeorum ſcriptis Polemicis refutari potuiſſent. Quod etiamſi non probaſſent Iudaei, re ipſa tamen atque ex ritibus Hebraeorum coniugalibus conſtaret, MARIAM, cum CHRISTUM pareret, caſtam et intactam virginem fuiſſe. Nam 1.) ſevera admodum lex fuit de non violanda ab alio virgine. *Deut. XXII:* 23. 2.) ipſa nuptae virginitas ſollicite explorari debuit, cuius ritus adhuc veſtigia apud Iudaeos ſuperſunt. 3.) ad nuptias requirebatur *deſponſatio*, quod ex RUTHAE hiſtoria patet, *C. IV:* 2. Unde *foedus* coniugium dicitur, *Prov. II:* 17. MAL. *II:* 14. 4.) Neque licuit cognoſcere ſponſam, niſi poſt ſollemnem benedictionem: ita enim *Tract. Ievammoth. Fol.* 69. *Col.* 2. *Si quis congreditur cum deſponſata ſua in domo ſoceri ſui, infans est* ממזר ſpurius, *ex ſententia* τοῦ RAF, *vel ſaltem* שתוקי anceps, *ſive* incerti *patris.* Quod confirmatur a MAIMONIDE in הלכות אסורי ביאה *C. XV.* § 17. et LEONE DE MODENA *Part. IV. C.* 3. conf. BUXTORF. *de ſponſ. et divort.* § 8. hinc IOSEPH. MATTH. *I:* 19. ſponſam *clam deſerere* in animum induxit, indicio, quod lege Iudaica egerit, i. e. *ſacram ſervaverit eam et intactam.* Pudeat ergo DAMMIUM, EAHRDTIUM, aliosque Sec. XVIII Novatores, qui Carpocratianam illam Haereſin, IESUM nempe IOSEPHI EX MARIA filium fuiſſe, incredibili impudentia recoxerunt, et pro, neſcio quo, in tenebri-

cosa religionis nocte novilunio, venditarunt, sed quos ἀστέρας πλανήτας Apostolus dixisset νύματα ἄγρια θαλάσσης, ἐπαφρίζοντα τὰς ἑαυτῶν αἰσχύνας. IUD. *Comm.* 13. Vid. quae de illis disserui ipse in *Diss. Belgica theol. historica de hodiernis Rell. Christ. hostibus*, *Edit. Rott.* Ao. 1793. *Pag.* 103-106. 124, 125. et quas ibi, ex *Briefe über die Bibel in Volks-ton*, adduxi BAHRDTII blasphemias de nativitate Christi, ex *Toled. Iesu* depromtas, *pag.* 215. quibus hoc solum addere volui, ne sibi soli sapere videantur eiusmodi ψευδοσοφοὶ, iam olim eodem modo scripsisse OSTORODIUM, *Instit. Germ. C. XVII. Fol.* 96. „Bey denen Adversariis ist „ die menschwerdung, dasz die andere Person in „ der Gottheit menschliche Natur an sich genom„ men habe, ein *tremendum mysterium*, bey uns aber „ wird es fur ein pur lauter Gedichte vorwitziger „ menschen gehalten." — Quid? ipse MOHAMMEDES in *Corano* conceptionem I. C. ex Spiritu S. negare non ausus fuit; loca dabit EISENMENGER, *Part. I. p.* 221. *ex Sura III et XX.* — Neque minus in *Toled. Iesu* concedunt, *Bethlehemi* in Iudaea ex trunco familiae cuiusdam tribus Iudae IESUM natum fuisse, regiamque familiam cognatione attigisse; quod et Talmudistae affirmant; cernitis hic τὸ ΠΡΟΔΗΛΟΝ, ex *Hebr. VII:* 14. — Quid porro de temporibus Herodianis et infanticidio ex ipsis obtrectationibus et exceptionibus Iudaeorum constet, iam supra monuimus, unde quam impudens fuerit ABEN ESRA, colligas, qui, non HERODIS aetate, sed quarto IANNAEI anno, IESUM natum fuisse, contra praestantissimorum, quos Iudaei venerantur, magistrorum auctoritatem, statuere non erubuit. Pudeat Socinianos et nostri perditissimi aevi Neologos, qui de Deitate Christi nimium sibi obscura esse N. T. loca clamant,

quo-

quorum genuinum sensum non suum superavisse captum ostendunt Iudaei, hostes ceteroquin infestissimi. Sic in *Toled. Ies. Huldric. T. I. p.* 43. 49. IESUS dixisse fertur: *Ego sum Deus, et filius quidem Dei.* Item: *Ego sum Deus misericors, connubia iungens iuxta opera hominum*; in *Edit. Wagens.* dixisse fertur: *Nonne me ipsum ego formavi* (scil. ἐν ἐνσαρκώσει, citaverat enim IES. *VII.*) *et coelum, terram, mare, quaeque in iis sunt, nonne condidi omnia?* Cui respondent, *edito signo comproba, te esse Deum* &c. Hoc enim bene notandum, Christi συγχρόνως nunquam disputasse de *Thesi*, an Deus haberet Filium ὁμοούσιον, sed de *Hypothesi* tantum, IESUS ne esset Filius ille Dei viventis?

Non nititur quidem religionis nostrae veritas humano testimonio, neque eo indiget; sed supplices veneramur Dei nostri sapientiam et benignitatem, qua quicquid molirentur in sanctissimam religionem coniurati illius, atque adeo suae salutis hostes acerbissimi, illud ipsum ad veritatis et pietatis augmentum et emolumentum conducere iusserit iustissime.

§ 2.

Pergimus ad alia. — Eminens et singulare prorsus Messiae criterium esse miracula patrare, eaque maxima et praeclara, res ipsa postulat, cum ab omni aevo Ἰουδαῖοι σημεῖον αἰτοῦσιν, ut PAULUS recte scripsit 1 *Cor. I:* 22, et verus Messias, qui inanitionis suae tempore humili forma apparere debuit, non nisi miraculis, et quidem omnium Prophetarum pluribus et illustrioribus, se Dei legatum atque illum, quem Patribus promiserat Deus, probare poterat. Hinc veterum oracula de Messia θαυμαστέργῳ multa prae-

dixerunt, v. c. IES. *XXXV:* 3, 4., quod non tantum Euangeliſtas, ſed ipſum IESUM O.M. ad ſe applicuiſſe, *Toled. Ieſ.* auctor eſt. Neque hoc Meſſiae criterium fore, negant Rabbini; ABARBANEL enim *Comm. in* IES. *XI. Fol.* 27. *Col.* 4. *Propter coniunctionem* (ſcribit) *cum Deo Beato faciet ſigna et prodigia in coelo et terra.* item *Fol.* 28. *Col.* 3. *Deus B. per Meſſiam edicturus eſt miraculum, ſimile fiſſioni Maris Suph per* MOSEN *factae in egreſſu ex Aegypto.* Cui addas R. LEVI BEN GERSON *ad Deut. XXXIV:* 10. RALBAG *Comm. in Pentat. Fol.* 198. *Col.* 2. et conf. LIGHTFOOT *Hor. Hebr. fol.* 497, 1013 *et* 1018. Unde non opus eſt de *Theſi* diſputare. Sed et ne de *Hypotheſi*, IESUM noſtrum re vera multa, eaque prorſus ſingularia, miracula patraſſe, et vero Diſcipulos nomine eius; hoc enim nunquam negarunt Iudaei, nec hodie negant, Novatoribus noſtri aevi hac in re candidiores et veraciores, qui, quidvis miraculorum narrant Euangeliſtae, ex cauſis Phyſicis, ſi non ex aſtutia fallaci, explicando, ſe ſupra vulgus ſapere, oſtendere conantur. — Bis eum leproſos ſanaviſſe, narrat *Toled. Ieſ.*, et quanti fecerint Iudaei leprae ſanationem, tenaciſſimi nempe et inſanabilis Palaeſtinorum morbi, inde conſtat, quod famoſiſſimo iſto libello legitur IESUS dixiſſe: *nolite mirari, quod mortuum reſuſcitaverim, adducite leproſum &c.*, nec mortuos ab illo reſuſcitatos fuiſſe negare audent, cum tamen docere ſoleant: „Deum *tres* (aut, quod Iu„daei ad occidentem ex voce מפתח cabbaliſtice „eliciunt, *quatuor*) claves tenere, quas non tradat „in manum Legati cuiusdam, ſed quas ſibi ſoli re„ſervet; ſcilicet מטר, ſive poteſtatem pluviam de„mittendi in terram, פרנסה victum producendi, „תחיה mortuos in vitam revocandi, et חיה aperi-

„en-

„ endi uterum sterilem. Prophetas quidem MOSEN, „ ELIAM, ELISAM, aliosque tale quid feciſſe, ſed „ non aliter, quam per preces ad Deum fuſas, et „ hac ipſa praerogativa Prophetas divinos a פועלי און „ ſive falſis diſcerni, nec unquam inventum praeſti- „ giatorem, qui virtute polluerit talia patrandi." Haec ita ex Talm. Tract. *Sanhedrin* afferuntur in נשמת חיים ſive *de immortalitate animae*, cuius Auctor R. MANASSE BEN ISRAEL, Ed. Amſt. Ao. MDCLII, qui tractatus bene diſtinguendus ab alio R. SAMUELIS נשמת האדם ſive *de anima hominis*, de quo BUXTORF. *Bibl. Rabb. p.* 385.

Toled. Ieſ. Huldr. in genere narrat, IESUM edidiſſe magna כוחות et נסים, *ſigna* et *prodigia*, addens, quod lapidi molari in mari vectus ſit, &c. ex quibus conſtat, τὸ ὅτι miraculorum CHRISTI non negatum fuiſſe Iudaeis, confitentibus, multos ſuae gentis ex prodigiis agnoviſſe, eum eſſe Meſſiam, quin et NICODEMUS, ἄρχων Iudaeorum, fatetur IO. *III.* ſe et collegas ſcire, eum eſſe διδάσκαλον ἀπὸ Θεοῦ ἐληλυθότα, quia nemo poſſet facere ταῦτα τὰ σημεῖα, niſi Deus cum ipſo fuerit. Atque hinc ſatis ſuperque Euangelicae narrationis veritas ab ipſis hoſtibus vindicatur. Sed videamus, num obtrectationibus ſuis hanc noſtram fidem labefactare queant et reddere irritam.

Magicis artibus rem omnem tribuunt Talmudiſtae paſſim; ſpecialiter miracula quaevis Domini per *Schem Hamphoraſch* facta fuiſſe calumniatur auctor *Toledoth Ieſu*, quem ſecutus eſt R. NAPHTALI in *Emek Hammelech. p.* 441. verum ἴσοι αἱ μαρτυρίαι οὐκ εἰσίν. (MARC. *XIV*: 56) Auctor enim ignotus nefandi libri cuiusdam, (quem WAGENS. a SEB. SCHMIDIO ex Argentor. Bibl. mutuo acceptum edidit) nomine *Nizzachon veteris*, ſententiam defendit R. ABRAHAMI *Proſ-*

elyti, IESUM nequaquam calluisse *Schem Hamphorasch*. „ Nam (*inquit*) ne quidem MOSIS aetate, quae tamen „ sanctissima erat, Nominis illius mystici mysteria „ cognita erant, ut tanto minus posteriori aetate de „ iis constitisse vero simile sit. Nempe quae IESUS „ fecit, per incantamenta fecit, scriptum enim in „ Euangelio, ipsum biennium in Aegypto degisse." Quis iam cordatus eiusmodi nugarum consarcinatoribus fidem habendam esse iudicet, tam parum qui inter se conveniunt? Conf. I. C. WOLFIUS, *Bibliotb. Rabbin. T. II. p.* 98. Ceterum quam mere fabulosa sint, quae de *Schem Hamphorasch* narrantur, puer sentiet; cf. HUETII *Dem. Euang. Prop. IX. C.* 39. Comminiscuntur scilicet, Deum, quum crearet mundum, lapidem quendam *fundamentalem* s. *angularem* (אבן שתיה vocant) a quo tanquam termino Deus mundum creare coeperit, demersisse בתוך התהום *in medium abyssum*, cui antea inscripserit nomen suum המפורש explicitum. — vel, ut aliis placet, illum lapidem, quem IACOB unxit, *Gen. XXVIII:* 22, Deus pede suo dextro in abyssum demersit. — DAVIDEM porro, aiunt, cum templi fundamenta effoderet, in abysso invenisse lapidem illum et in Sanctum Sanctorum reposuisse. Sapientes vero, sive Synedrii assessores, ne curiosi iuvenes illud nomen addiscerent, nec mundum desolarent, aeneos feciisse *leones* (*canes* aliis placent) alba Magia confectos et ex superliminari lanuae templi pendulos: quod, si quis, forte ingressus, Nomen illud addidicisset, eum egredientem leones tam incondito rugitu allatrarent, ut terrore ferme exanimato nomen illud exciderit. IESUM autem, per artes magicas clanculum templi conclave S. S. ingressum, nomen addidicisse, sed et inscriptum membranae carni suae incisae inseruisse, ac

car-

carne per pronunciationem *Sch. Hamph.* sanata, exiviſſe, cum vero ipsi a Leonibus allatrato nomen excidiſſet, vulnus reſcidiſſe et ex membrana, in carne recluſa, iterum nomen didiciſſe. Fabulam dabit ex *Iggereth Haviccuah* sive *Epiſt. Diſceptatoria* EISENMENGER. *Part. I. pag.* 160. Sed an serio ad illam reſponderi debeat, iudicet Lector. Cur enim, canes fuerint sive leones, tali mente praediti, non potius ingredientes allatrarunt et animo diſcendi prohibuerunt? Cur carni suae nomen illud condidit IESUS? num nudus intravit? nonne in veſtibus abſcondere potuit membranam? aut num forte leones deſcenderunt et exeuntes viſitarunt? — ſed, mittamus iocos. Num Deus, qui praeſtigiatores e medio tollere iuſſit, tanta erga IESUM, ſi talis fuiſſet, uti potuiſſet indulgentia, ut sui sacroſaneti nominis praeſidio incantationes suas et turpiſſimas artes eum exercere pateretur? Quid tandem fiet de Rabbinorum effato: *Perit, qui abutitur corona*, i. e. perit, qui non ad Dei gloriam, ſed ex perverſa sua mente, utitur illis nominibus Dei, quibus coronulas appingunt Iudaei, et quibus iſtam virtutem Deus indidit, ut per illa prodigia fieri poſſint: vid. HULDRICUS *in Not. ad Toled. Ieſ. p.* 17. Quid, ſi in *Edit. Hulder.* nihil legatur de magicis artibus, ſed IESUS *in Schola* R. IEHOSCHUAE BEN PARACHIAE *eos in ſtudiis progreſſus feciſſe, ut addidicerit etiam Opus Currus et Arcanum nominis Immenſi.*

Quin, nec per *Magiam* IESUM miracula patraſſe, certum eſt. — Eadem fronte idem MOSI, ELIAE, ceteris Prophetis affingeremus, et certe, ex coeco in Chriſtianam veritatem odio et ſcelere, eo progreſſi sunt nonnulli Iudaeorum, ut dicere non erubuerint, ELIZAEI et omnium Prophetarum miracula על יד הוברים miniſterio Aſtrologorum, aut אוב בע״ mi-

ministerio Pythonissae facta fuisse, vid. SPANHEMII *Elench. Controv. p.* 588. Mitto blasphemias, quae ipsam Iudaicam plane destruunt religionem. — Sed qua tandem specie, aut quibus argumentis probant, quod per magiam tam mirabiliter egerit Christus? — In *Nizz. Vet. l. l.* Euangelii locum urgent, quo IESUS biennium in Aegypto fuisse dictus sit. Verum qua mala fide! refert MATTHAEUS, IESUM, admodum infantem, cum parentibus Aegyptum aufugisse, et per breve admodum tempus ibi commoratum: adeoque magiam ibi addiscere non potuit. Sed non opus est, ut his rebus insistam, cum varient ipsi obtrectatores. Auctori *Tol. Iesu. Wagens.* si credas, nunquam in Aegypto fuit IESUS O. M. — Si vero Talmudistis, fuit ibi cum Praeceptore suo R. IEHOSCHUA BEN PARACH., Synedrii membro maximae dignitatis, et per incisionem in carne magiam inde abstulit. Vid. EISENM. *Part. I. p.* 116 *et* 149. — Si denique fidem habeas R. NAPHTALI *Emek Hammelech C. XIX. Fol.* 135. *Col.* 3., incantationes suas a R. IEHOSCHUA didicit, quia Synedrii assessores cuncti calluerint Magiam, per traditionem ab ABRAHAMO acceptam, qua facilius Magos iudicarent; cf. LIGHTF. *Hor. Hebr. p.* 448. Quod si verum, cur non eadem, quae Servator, sua arte effecerunt, ut illius opera, non aliunde, proficisci ostenderent? quae solidissima est Illustr. GROTII observatio, *de Ver. Rel. Chr. L. V. p.* 94.

Cernitis, quam confusa, quam contorta, adeoque quam falsissima cuncta sint, quae afferunt, ἐμφατικωτάτῳ argumento iam olim ab ipso Domino refutati, *Diabolus diabolum non eiicit, quomodo enim consisteret regnum eius?* Daemones enim eiecisse illum, praeter Iudaeos, ipse IULIANUS *Apostata* testatur. vid. HUET. *l. l.*, et quid de historia sui adhuc temporis attulerit IUST. MART., vide sis in *Dial. cum* TRYPH. *Iud. p.* 247, 311.

Stat

Stat ergo religionis noſtrae veritas, unde recte quidem LIMBORCHIUS, *Praef. ad amicam Collat. cum erudito Iudaeo de V. R. C.* „Si Iudaei omnem ſuum „ cultum, relig. privil. &c. vera et indubitata eſſe „ volunt, quia Deum habent auctorem, idque unice „ conſtat, quia MOSES miſſionem ſuam operibus ſtu„ pendis ac miraculis teſtatam fecit: eandem argu„ mentationis methodum Chriſtianis nullo iure ne„ gare queunt, qui ſui Legislatoris (addimus *ſui* „ *Chriſti*) miſſionem eadem trutina ponderandam, „ CHRISTUMQUE cum MOSE conferendum, propo„ nunt, praeſertim cum CHRISTI miracula plura Mo„ ſaicis et illuſtriora ſunt." Quod pluribus probat Vir Doctiſſ. *Reſponſ. ad III Scriptum Iudaei C. I. p.* 152. MOSES per preces, CHRISTUS per inhabitantem virtutem et *abſens* miracula patravit. MOSES non potuit cum aliis communicare virtutem miraculoſam, IESUS cum discipulis, etiam qui non αὐτόπται, ſed tantum πιστεύοντες εἰς αὐτὸν fuerunt, quod ipſi concedunt Iudaei, vid. EISENM. *Part. I. p.* 263. MOSIS denique miracula pleraque fuerunt horrida et formidinem incutientia, CHRISTI, tantum non omnia, mera beneficia, qualia decebant eſſe Mediatoris Novi Foederis. Plura non addam, qui demonſtravi. 1.) Miracula patrare veri Meſſiae eſſe κριτήριον. 2.) IESUM noſtrum, fatentibus Iudaeis, huic criterio ſatisfeciſſe. 3.) Obtrectationes et exceptiones illorum nihil efficere, quo de tot ac tantorum prodigiorum veritate ac divina origine dubitaremus, atque adeo religionis noſtrae veritatem, hoc etiam in Capite, ipſis obtrectationibus magis eſſe roboratam et ſtabilitam. Q. E. D.

§ 3.

Aliud Messiae criterium, quo verus a falsis dignosci ex vaticiniis posset, illud fuisse, Messiam fore παθητὸν, per magnas ac varias aerumnas ad summum gloriae fastigium adscensurum, nemo Christianus facile negabit, qui ex PETRO *Ep. I. C. I. c.* 11. didicerit, Prophetas iam olim scrutatos fuisse εἰς τίνα ἢ ποῖον καιρὸν ἐδήλου τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα Χριστοῦ, προμαρτυρόμενον τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα, καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας. De quorum παθημάτων in causa redemtionis necessitate et convenientia multa dabunt Polemici, quibus maximo usui adiungas PAULI BURGENSIS *Scrutinium Scriptur. Fol.* 21, 22. *seqq.*, ubi *Saulum* inter et *Paulum* Doctores, illum Iudaeum, hunc Christianum, hac de re διαλογοῦνλας, disputatio instituitur, quae dignissima est, quae legatur.

Neque hoc negare audent ipsi Iudaei, quamvis Regem mundanum, pompa maxima excellentem, exspectent, unde *duos* finxerunt Christos, alterum *Ben Iosseph*, quo referre solent, quicquid de statu *exinanitionis* habent Prophetae, alterum *Ben David*, de quo vaticinia de *Rege* Messia explicant. conf. EISENMENGER, *Part. II. p.* 720. Hinc narrat *Toled. Iesum Huldric.*, IESUM publice dixisse, *se aboliturum esse festa tempora feriasque statutas, et laturum legem novam, nec non expiaturum peccata, iniquitates ac defectiones omnes morte sua, post mortem vero resurrecturum &c.* At quomodo, quaeso, illud de se praedixisset IESUS, cum se Messiam profitebatur, nisi tunc temporis Ecclesia Iudaica haec de Messia *in thesi* credidisset, ex IES. *II:* 4. DAN. *IX:* 27 &c.? Liceat enim hac in thesi modeste dissensum fateri a Cl. SEILER in *Die weissagung und ihre erfulling. p.* 210 *et* 211., ubi docet, Iudaeos tempo-

pore CHRISTI omnino nihil de παθήμασιν Messiae aut sciviſſe, aut credidiſſe; qua theſi eorum perverſam evertere ſtudet opinionem, qui ſtatuunt cum Socinianis, IESUM et Apoſtolos in dictionibus ſuis de natura et vi Sacrificii mortis IESU, et applicatione veterum vaticiniorum non veritatem rei ſpectaſſe, ſed *vulgari Iudaeorum opinioni* ſe accommodaſſe, quod inde ruere ſtatuit vir doctiſſ., quod Iudaeorum doctores tempore CHRISTI nihil de Meſſia patiente ſciverint. Nec tamen totus falſus eſt SEILERUS. Rectiſſime quidem docet, non adeo clara et perſpicua fuiſſe ante tempora CHRISTI, quam poſt eadem de Meſſia patiente vaticinia, quorum nonnulla egregie urget, *p.* 147-209: rectiſſime etiam, iſtius temporis ſcribas et Rabbinos pauciſſima ex iis intellexiſſe, quippe qui clavem ſcientiae amiſerant. At hoc etiam de ipſis Prophetis, etſi παθηματα CHRISTI praedicentibus, et de meliori Eccleſiae Indaicae parte affirmare, mihi cum LUC. *XXIV:* 25. pugnare videtur, et ex iam dicendis (meo quidem iudicio) refutatur.

Multa huc afferre liceret; verum, ne longiores ſimus, unum IESAIAE *Caput LIII.* adduxiſſe pro inſtituti ratione ſuffecerit: de cuius genuino ſenſu Chriſtiani dubitare nequeunt, cum de Meſſia IESU illud explicent MATTH. *C. VIII:* 17, IOAN. *C. XII:* 38, PHILIPPUS *Act. VIII:* 32, PETRUS *Ep. I. C. II:* 22-24, PAULUS *Rom. X:* 16. ſicut ipſe Dominus noſter IESUS, *Matt. XX:* 28, ubi λύτρον ἀντὶ πολλῶν deſumtum eſt ex IES. *LIII:* 10. *cum poſuerit animam ſuam* אשם *ſacrificium pro reatu*, et comm. 11, *cognitione ſui* לרבים *multos iuſtificabit.*

Neque ipſi inficiantur Rabbini, quorum loca videre eſt apud RAYMUNDUM, in *Pugione fidei* ex *Ialkut*, ſive R. SIMEONIS *Collect. Explic. Talmud.* Ex *Gemara*

varia congessit cl. COCCEIUS, v. c. *Sanhedrin Col.* 98, *Rabboth*, in *Gen. XXIV:* 67, *et Ruth II:* 14. Sic DANZIUS ex *Zohar Col.* 379, in *Dissert. de h. argum.* § 1; quin ipse ABARBANEL *in* IES. *fol.* 78. fatetur, hoc Caput de Rege Messia explicari a R. MOSE BAR NACHMANNI, et IONATH. BEN UZZIELIS, qui Ao. 36 ante C. N. vixit. Idem docent R. MOSES ALSCHEICH *Comm. in h. l.*, R. MACHIR in *Pulv. Aromatario*, מאבקת רוכל *L. I. Part.* 2. Plura dabunt HULSIUS, *Theol. Iud. L. I. Part. II. p.* 321. GALATINUS, *Arc. Cathol. Verit. L. VIII.* C. 14, 15. CONST. L'EMPEREUR, *Refut. Commentationum* IS. ABARB. et MOS. ALSCHEICHI *in Ies.* VITRINGA *Comm. in h. l.* IRENIUS, *Exerc. Theol. Philol. de Sepult. C.* in *Bibl. Hag. Cl. II. Fasc. II. N. I. p.* 225. et C. S. DUYTSCH *Isr. verloss. T. III. p.* 10 *seqq.*

Videamus iam, quid obtrectent plerique recentiorum, non tantum Iudaeorum, sed et Neologorum (proh dolor!) nonnulli.

De IESAIA nemo Iudaeorum somniavit, et ipse ABARBANEL in IES. *I:* 1. cuncta negavit, quae de illius martyrio passim narrant Iudaei in Tract. Talm. *Iebbamoth fol.* 49. et R. DAVID KIMCHI *in 2 Reg. XXI:* 16; unde merito miramur BRENIUM, qui totum hoc Caput de IESAIA, — *typo licet Messiae*, — explicuit; sed magis miramur Clar. *Standlin*, qui, in *neuen Beyträgen zur erläuterung der bibliscben Propheten*, Talmudica narratione fretus, totum caput de uno IESAIA explicat, quem necatum in tumulos carnificum abiiciendi animus fuisset, sed quem populus vel ipse Rex poenitens in Mausoleo Regum tandem condidisset. — Quam misere vapularent Orthodoxi, si, sine ulla auctoritate historica, similem ornarent fabulam, cui aliquam suam ullius textus exegesin superaedificarent!

De Rege IOSIA interpretatur ABARB., quem vix ullus sequitur, cum huius historia nihil habeat, quod huc trahi queat.

Non-

Nonnulli vero de IEREMIA. Sic SAADIA HAGAON, qui *Suurae* vixit A. DCCCCXXVI. Neque haec exegesis ill. GROTIO displicuit, non tamen neganti, Messiam *praesertim* hic respici, *de Verit. Rel. L. V. p.* 118. Maxime hanc opinionem ornavit AB. ESRA in IES. *LXII:* 15, qui collationem instituit inter *Comm.* 2 *cum* IER. *I:* 6. — *Comm.* 6 *cum* IER. *XVIII:* 10. — *Comm.* 7 *cum* IER. *XIX:* 11. et *Comm.* 12 *cum* IER. *XL:* 5. Facile refutandi ex *Comm.* 5. 8. 9. 10. IER. *XVIII:* 23 et *XX:* 14. quin et illud ipse refutavit ABARB. *L. L. fol.* 78, 79. Egregia habet SEILER, *L. L. p.* 160. „IEREMIAS (inquit) hatte weder die hoheit, „ noch die niedrigkeit, die an diesem Diener Gött- „ tes gefunden wird; auch kann man von ihm nicht „ sagen, dafz er wie ein stummes unschuldiges Lamm „ zur schlachtbank gefürht worden sey. Denn er „ hat schon um geringerer beleidigungen willen, „ die Juden hart bestraft, und seinen feinden den „ fluch gedroht. Und wo haben nach seinem tode „ könige ihm die tiefe ehrfurcht bewiesen, die im „ 11. 12. *vers* beschrieben wird?" —

Plerique vero de *Natione Israelis* intelligunt. Sic R. IARCHI A. MCIV, et, Patrem suum IOSEPHUM hac in re secutus, DAVID KIMCHI *in* IES. *LII:* 13-15 et *LIII:* 1-3. His si fidem habeamus, gentiles introducuntur *v.* 1-3, fortunam Israelis post magnas aerumnas extollentes, et (risum teneatis!) confitentes, se ipsos illarum poenarum reos fuisse, quas luerint Israelitae, *Comm.* 5, ubi sensus erit, *propter nostra crimina Israel poenas luit.* Sic *Comm.* 8. *exscinditur e terra viventium* significabit: *Israel e terra Levitarum*, i. e. Canaane, *exsul fuit, et quisque gentilium dicet: propter peccata gentis meae plaga fuit in gentem Israelis.* — Item *Comm.* 9. „*Sepulcrum nationis inter im-* „*probos*, nam pro maleficis habentur, quin et *divi-*

„ *tes interemti sunt*, quamvis natio fuit *innocentissi-*
„ *ma*, nec *doli capax*." — *Comm.* 12, *profudit animam suam*, id est, religionem non abiuravit quaevis mala perpetiens Israel. — Sic fuit Dei beneplacitum. *Comm.* 12, qui et melioris fortunae addit promissa. *Comm.* 11. 12.

Non detinerent nos eiusmodi explicationes, quae, quibus hypothesibus, additionibus, variis denique contorsionibus, textui et communi sensui contrariis, nitantur, quivis facile videt; nisi cl. H. E. G. PAULUS, apud Ienenses Professor eruditissimus, in *Memorabilibus* (scripto Periodico Philosophico-theologico) *Part. III. N.* 7, ipse statuisset, optimam nationis Iudaicae partem, peiori oppositam, h. l. esse intelligendam per denominationem צדיק עבדי *Servus meus iustus*.

Neque *nova* haec Iudaeorum et viri cl. exceptio, cum iam ORIGENES, hunc locum adducens *contra* CELS. *L. I. fol.* 42, se ex Iudaeo quodam hanc exegesin accepisse narret, multis demonstrans, non *de gente*, vel *parte quadam gentis*, sed περὶ τινὸς ἑνὸς, *de certa quadam persona individualiter* egisse Prophetam: omnino confer. G. F. SEILER *Die weissagung und ihre erfüllung. pag.* 153-163.

a.) Ubicumque עבדי *Servus meus* legitur sine expressa τῦ *Iacobi*, vel *Israelis* mentione (ut *C. XLI:* 8, 9 et *XLIV:* 1, 2.) semper de MESSIA usurpatur: v. c. *C. XLII:* 1, 2., satentibus IONATH. B. UZZ. *in Targum.* D. KIMCHI in *C. XLII:* 1. et inprimis ABARB. *ibid.* — Unicus excipiendus videtur locus *C. XLII:* 19. Verum, ne nos varia Interpretum detineant in locum vexatissimum conamina, constare mihi ex ipsorum verborum nexu videtur, Israeliticam nationem, praesertim gentem Leviticam hic intelligi, quae *perfecta*

au-

audit מְשֻׁלָּם (*Partic. Pual*) *ab omni parte instructa*, significatione passiva, cui satis luminum concesserat Deus O. M., cuius ergo coecitas magis culpanda, quia gens Levitica nomine *servi Dei*, et τῷ מלך superbiebat, et quam coecitatem exprobravit MOSES, *Deut. XXIX:* 1-3. IESAIAS, *C. XLIII:* 8. praesertim in tempus Messiae *C. VI:* 9. (Conf. Rev. DUYTSCH *L. L. p.* 48.)

b.) Nostro vero in loco de *certa persona* agitur, qui *Vir* dicitur, et cuius *anima*, *mors*, *sepulcrum* &c. memorantur, quod non per προσωποποιΐαν fieri, inde constat, quod haec illustrissima persona ab ipsa *gente* discernitur, *Comm.* 3 *seqq.*

c.) Hanc enim si amplecteremur exegesin, omnis gentis Iudaicae felicitas, post conversionem illius et gentium, hoc uno absolveretur, quod *gentium tulerit opima spolia*, *comm.* 12, quae quomodo cum IACOBI salute exspectata, *Gen. XLIX*, et cum DANIELIS vaticinio quadrent, nullus video.

d.) Plura habeo et evidentiora. -- §. Quo enim fundamento superstruitur hypothesis, gentes hic introduci loquentes? Vertit quidem D. KIMCHI, *C. LII:* 15, יזה גוים רבים *multas nationes loqui faciam*; verbum tamen נזה notat *adspergere*, et ab ipso KIMCHIO ita explicatur *C. LXIII:* 3. cui notioni tamen illam *exsultandi* praetulit clarissimum Groninganum lumen, summo cum omnium, qui literis et accuratae eruditioni bene cupiunt, dolore a.d. 30 Maii anni proxime elapsi extinctum, N. G. SCHROEDER, vertens: *sic faciet exsultare populos multos super ipso. Observ. Sel. ad Orig. Hebr. C. VIII.* Cui pro communi interpretatione difficultates suas modeste opposuit cl. DE MOOR in *Supplemento Comm. Perpet. p.* 112. — §§. Quo itidem nititur hypothesis: „ hodiernas

„ Iu-

„ Iudaeorum miſerias non ipſorum, ſed gentium „ peccati eſſe poenas"? — Quid riſu dignius? — Nonne poenae, quas luunt, ex comminationibus divinis deducendae, *Levit. XXVI. Deut. XXVIII. XXIX. XXXII?* — Quid? quod contra comminiſcuntur Rabbini, Deum nationes mundi punire *pro peccatis Iudaeorum.* cf. Lib. *Zeror Hammor*, quem R. ABR. SEBA edidit *Cracoviae* A. MDLXXXXIV, *in Paraſch. Toldoth fol.* 14. *Col.* 4. et *Ialkut*, Ed. R. SIMEONE, Francof. A. MDCLXXXVI, *in* IES. *fol.* 58. *Col.* 1. *N.* 366. et ID. *in V Lib.* MOS. *fol.* 276. *Col.* 4. *N.* 885. — §§§. Denique tota theſis obloquitur non tantum Iuſtitiae ſummi Numinis, unde illam, etiam ex EZECH. *XVIII:* 18-20, refutat ABARB. *fol.* 78, ſed et rei ipſius veritati maxime eſt contraria. Haec enim, ſodes, ſemper et ubivis terrarum Iudaicae gentis fuiſſet indoles, ut plane innocua, ſcelerisque pura, *non fecerit iniuſta, nec dolor fuerit in ore eius! Comm.* 9. Diverſa docebunt ABARB. *in h.l. fol.* 80, et R. SAL. DE VIRGA, *Schebet Iehuda, fol.* 44. *Col.* 1. *N.* 34. Excipit quidem KIMCHI „non revera Iudaeos tuliſſe iniquitates gentium, ſed has, converſas, in illa opinione verſaturas fore." At qua veri ſpecie haec dicantur, et quam inepte haec Oraculo divino contineantur, ſua ſponte ſequitur.

Conſtat ergo, Cap. noſtro IESAIAE luculentiſſimum de Meſſia vaticinium, inprimis de maxima illius inanitione ſponſoria, contineri, perſpicuum adeo et Euangelicum, ut, hoc qui non videat, τύφλος ſit μυωπάζων, (2 PET. *I:* 9.) — *Comm.* 1. enim regni Meſſiatici fundamenta non humanis artibus, vel ſeculari brachio iacta, ſed ab ipſo Iehova poſita deſcribuntur, cum pauci et obſcuri plerique homines Apoſtolis fidem haberent, unde hoc comma de ἀπιστίᾳ Iudaeorum attulit IOANNES *Euang. C. XII:* 37, 38. Non ergo religio Chriſti-

stiana ab arte politica, et astutia clericali deducenda, ut hodierni plerique statuunt: vid. *Neuesten Religions begebenheiten*, 12ste *Jahrgang*, 1ster *Stuck*, 1789. *p.* 358. — *Brachium Iehovae* revelandum est, quo arrogantia, impotentia, et inimicitia cordis vincatur, rideantur haec licet a DAMMIO et TELLERO, uti pluribus docui in *Dissert. mea Belgic. land. pag.* 113, 114, sed vide, quae ex ipsorum gentilium Philosophorum scriptis, et ex PFANNERO, *Syssb. Theol. gent. purioris C. IX.* § 7, in hanc rem attuli in *Hist. Meyeriana*, *pag.* 316 *in Notis.* — Quis non Sponsoriam pro nobis satisfactionem legit *Comm.* 4-7. 8. 10.? — Quis non iustitiam nostram ex fide, mortem Sponsoris expiatoriam amplexa, *Comm.* 11.? — Quis non Sanctissimum illum, neque rebellem, neque impostorem, *Comm.* 9.? — Inimicorum suorum amantissimum, *Comm.* 12.? — Qui, porro, *surculus et radix foret e terra siccitatis*, DAVIDIS familia oriundus, cum illa, post reditum e Captiv. Babyl. vix inclaresceret, quin imo iam invidiam Hasmonaeorum, mox vero maxime gentis Herodianae odium infestissimum in Galilaea *privati* evitare coacti fuerint omnes illustrissimi Regis descendentes, affines et propinqui, *Comm.* 2. — Contemtus a suis, *Comm.* 3. — Patiens vero et obmutescens, *Comm.* 7. Qui, denique, post tot ac tantos labores exantlatos, ad summum gloriae culmen pervenit; hae enim sunt αἱ μετὰ ταῦτα δόξαι, 2PET. *I:* 11. Huc pertinet *Comm.* 8. *ex angustia et iudicio abreptus* &c., quod de morte Christi explicat quidem PISCATOR, verum potius nos de Exaltatione; verbum nempe לקח de assumtione *Enochi* et *Eliae*, et de *assumtione in gloriam coelestem* adhibetur *Ps. XLIX:* 16, uti et ex adiecto constat. *Quis aetatem illius enarrabit?* דור enim γενεὰν, *aetatem* notat.

— Neque alio spectat vexatissimum *Comm.* 9., de quo IKENIUS „Tot (inquit) sententiarum divortia „deprehendo, quot sunt in anno dies." Conf. MARCK, *Analys. Exeg. C. LIII.* IES. § 41. PFEIFFER *Dub. vex. p.* 382, 383. GEIER. *Oper. Philol. T. II. p.* 88. RAPHELIUS *Diss. in h. l. Rostoch.* A. MDCCXXXII. cett. — Ut brevis sim. בימה ap. Arab., Pers. et Syr. *excelsum* notat, *monumentum pyramidale*, apud Rabbinos *Suggestum*, unde Graecorum *βωμὸς collis*, et *βῆμα tronus:* sic במותי ארץ *excelsa terrae*, sive *montes*, et במתי ים *excelsa maris*, quin et (quod propius ad rem) *de Mausoleo Regis* (quae excelsa apud Orientales: cf. GEIERUS *de luctu Hebr. C. XII.* et ARNOLDI *de Sepulcr. Hebr. Wittenb.* MDCLXXXXV) adhibetur EZEC. XLIII: 7. Legimus ergo: „Sepulcrum illius „ponere statuissent cum maleficis, at cum divitibus „fuit Mausoleum eius." ב itaque in במתיו non est *Litera Servilis*, *in morte eius*, sed *Radicalis*, *Mausoleum magnificentissimum* (in Plurali), quod iam viderunt AB. ESRA. OECOLAMPAD. *in h. l.* ZWINGLIUS *in h. l.* DRUSIUS *in Levit. C.* 80. BYNAEUS *C. Crucif. C. XX.* § 20. BENI. OTTO *Diss. de Sep. C. Lipsi.* MDCC., multi alii. Haec Cl. IKENII exegesis, *l. supra l.*, magis mihi arridet, quam *μετάθεσις* illa CLERICI, qui קברו et במתיו disiuncta putat, atque ita interpretatur: „In morte sua cum impiis positus, sed in se„pulcro apud divitem fuit." Nimis in Virum Erudit. invehitur IKENIUS, cum laboriosissimus KENNICOTUS hanc *μετάθεσιν* vero similem iudicet, et ויתן *passive* etiam sumat, uti et 2 SAM. *XVIII:* 9. *Diss. II de ratione textus Hebr. V. T. p.* 359, unde et hanc coniecturam laudat Cl. I. H. VERSCHUIR *Orat. Inaug. de interpretat. S. S. Vet. T. Grammatica*, A. MDCLXIX. *p.* 50. — Prior tamen explicandi methodus, plana sci-

ſcilicet et ſcopo congruens, mihi verior videtur, cum מותיו *mortes eius* (in plurali) mihi durum ſit et inuſitatum.

§ 4.

Redeamus in viam. Paſſiones omnigenas perpeti Meſſiae verum et diacriticum κριτήριον fore, clariſſime evincit IESAIAE noſtri vaticinium, unde non opus eſt, ut ἀρξάμενοι ἀπὸ Μωσέως καὶ ἀπὸ πάντων τῶν προφητῶν ex omnibus ſcriptis eliciamus τὰ περὶ αὐτοῦ. (LUC. *XXIV*: 27.) Hoc vero criterium, et quicquid hoc capite praedixerit vates, in IESUM noſtrum O. M. omnino quadrare, ex Euangelica Hiſtoria conſtat. Unde veritas religionis Chriſtianae ſtat inconcuſſa atque indubia. Quid? quod ex *Toled. Ieſ.* colligi poteſt, hanc de Meſſia doctrinam in priſca Iudaeorum Eccleſia minime controverſam fuiſſe: narrant enim, IESUM, captum per inſidias et morti addictum, hoc caput in ſe adplicuiſſe, eoque probaviſſe, ſe, *licet pateretur*, nihilominus tamen eſſe *Filium Dei* et *verum Meſſiam*. Qua narratione et ipſi veritatem adſtruunt; quomodo enim hoc ad ſe traxiſſet IESUS, ſi illa, quam nunc urgent increduli, tum temporis de ſenſu capitis exegeſis invaluiſſet? Doleo itaque vices viri cl. IAC. CHRISTOPH RUDOLPH. ECKERMANNI, Theol. ap. Kielenſes Profeſſoris clariſſimi, qui in *Theologiſche Beyträge* nullum verum de Meſſia dari vaticinium docuit, IESUM vero oracula Prophetarum ex mente perverſa Iudaeorum ad ſe traxiſſe, cum ſe pro Meſſia, tamdiu exſpectato, venditaret, quare 2 *Pet. I*: 20, πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται, vertit, *nulla prophetia eſt ſemet ipſam explicans, vel per ſe prorſus clara:* ὁμόψηφον habet BARHDTIUM

Deutscher Lexicon über das N. T. Art. προφητεύω. *n.* 3742, et, qui non ita pridem eandem sententiam in Belgio defendit, Remonstrantium Professor Amstelaedamensis, KONYNENBURGIUM. — Ad rem ipsam notasse sufficit, hoc si statuamus, impostorae criminis reum utique censendum fore opt. Servatorem, etiam e mortuis redivivum LUC. *XXIV*; quin, quomodo factum sit, explicet vir Doct. — vel ipsi etiam Iudaei, — quod cuncta veterum oracula, *ad unum omnia*, quae unquam ad Messiam traxit Ecclesia Iudaica, in illo fuerint impleta, sine eo, quod vel ipse, vel sui etiam, quicquid fecerint, vel facere potuerint ad eorum implementum. Aiunt quidem veterum oracula, inprimis *Iesaitica*, seriore tempore fuisse interpolata, quod, post SPINOSAM, *Tract. theol. polit.*, placuit I. B. KOPPIO *in Vers. Germ. Iesaiae* LOWTHII, DOEDERLEINIO *Bibl. Theol.*, EICHORN. *Introd. in V. T. T. III. p.* 76. E. F. K. ROSENMULLER (IO. GEORG. *Fil.*) *Schol. in V. T. T. III. Sect.* I., et L. I. C. IUSTI Marpurg. Prof. et Superint., cuius commentationes *Memorabilibus* suis inseruit cl. PAULUS Ienensis, *Part. IV. p.* 139. Solide vero IESAIAM vindicarunt post I. D MICHAELIS *Vers. V. T. T. VIII.* C. G. HENSLER, Kielensis, *in Vers. Nova* IES. *Germ.* Hamb. 1788. et omnium instar cl. PIPER, Grypswaldensis, peculiari Differt. *Integritas* IESAIAE *a recentiorum conatibus vindicata*, A. 1796. Quibus addas cl. HERINGAM *in Societ. Hag.* A. 1789. *p.* 184, et, quem omnium primum nominare debuissem, Pl. Rev. M. I. H. BECKHAUSIUM *Defens. Autenthiae et integritatis Proph. V. T.* eiusdem *Societ. pro def. Rel. Christ. Verit.* operibus inserta *ad* A. 1796., neque omittendae pie defuncti Rectoris Duisburgensis HASENKAMPII Literae *de Prophetis et Vaticiniis*, Germanice scriptas ad cl. EICHORNIUM; et conferenda, quae habet Dr. G. F. SEILER. *Die weissagung und ihre erfüllung.*

(Er-

(*Erlangen* 1794) *Sect. I.* § 2. *p.* 9-16 *et* 366. — Quod vero ad locum Petrinum attinet, nihil novi dixit ECKERMANNUS; idem enim, non licet malo quodam consilio, docuerunt cl. WERENFELSIUS *Syll. Dissert.*, et Remonstrantium clarissimi Professores CLERICUS, *Bibl. Select. T. XXI. p.* 433, et A. à CATTENBURGH *in Spicil. Theol. Christ. Limborchii*, *p.* 70; sed vide, quae contra hanc exegesin disputat cl. MARCKIUS *Fasc. Diss. Philol. Exeg. p.* 771. Hoc tantum monet Apostolus: caveant Prophetiarum lectores, ut genio suo indulgentes interpretationem vanam pro lubitu suscipiant. Quae exegesis ipsi LIMBORCHIO placuit, *Theol. Christ. L. I. C. II.* § 8. Locum admodum similem ex R. ELIA *Karaeo*, quem I. TRIGLANDIUS *Dissert. de Secta Karaeorum* inseruit, ex אדרת אליהו adduxit WOLFIUS *Cur. in h. l.*, nisi pro Graeco ἐπιλύσεως legendum foret ἐπηλύσεως, vel ἐπελύσεως, quae CALVINI, MORI, GROTII, CURCELLAEI, aliorum, est conjectura.

Multo vero minus veritatem religionis infirmant Iudaeorum obtrectationes, qui, quo se vertant, nesciunt ipsi. Quis enim non ridet Gemaristas, qui IESUM Lyddae lapidatum et suspensum esse nugantur, postquam per quadraginta dies praeco exclamaverit, ut, si quis posset, defensionem eius susciperet? Hoc enim gentilium et Talmudistarum uni et pari testimonio contrarium esse, puer non nescit, qui Talmudistae, illum raptim turbateque supplicio traditum esse, ipso hoc commento testantur, quod de tempore supplicii in Synedrio M. disputatum fuerit: de ligno suspensum asserit contra *Toled. Ies. Huldric.* qui et *festum Paschale* nominat, quo usque supplicium dilatum fuisse nugatur. Quibus cunctis tamen narrationem Euangelicam mire comprobarunt.

Respuant ergo, quem תלוי *suspensum* vocitant, Messiam, qui de oraculis omnibus et singulis, uti de toto Redemtionis opere, τὸ τετέλεσθαι summo iure moriens dixit, nos vero crucem domini, gloriam nostram atque scientiam omnem, praedicamus Dei sapientiam atque virtutem. *Qui enim nil, nisi absurdum obiicit, et loco argumentorum conviciis pugnat, eo ipso declarat, nihil se, quod iure obiici queat, vel vero similitudinem habeat, invenire potuisse*: quod cum hac § de Iudaeorum obtrectationibus probatum dederimus, constat, veritatem religionis Christianae iis non fractam esse, sed roboratam magis atque stabilitam. Q. E. D.

§ 5.

Progredimur ad quartum Messiae criterium, quod in illius e mortuis resurrectione ponimus.

Ex multis unum modo locum, sicut et antea feci, brevitatis ergo, producimus. *Ps. XVI.* de Messia cecinisse, nemini dubium esse potest, cum in alium enim non quadrent, quae ibidem habentur, inprimis *Comm.* 10, *de Messia in sepulchro non relinquendo nullique corruptioni obnoxio.* Ubi pauca notamus: נפש, proprie *anima*, pro *homine* sumi, adeoque recte a Graecis per ἄνδρας verti, *Gen. XIV*: 21, notissimum est; de variis illius vocis tropis Synecdochicis multa multi: in usu valet pro *pronomine reciproco*: sic *anima ipsorum in captivitatem abiit*, IES. *XLVI*: 2, ubi in Hebr. נפשם, et ap. *LXX* αὐτοὶ *ipsi*. Sic IEREM. *LI*: 14, *Iuravit Dominus exercituum per animam suam*; בנפשו recte R. D. KIMCHI interpretatur per בו, *per se ipsum*. Neque aliter MATTH. *XXVII*: 5. ἀπήγξατο, *strangulavit se*,

se, Syrus reddidit *strangulavit animam suam*; et *Hebr. IX:* 12, CHRISTUS *introivit in Sancta* διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, *per sanguinem animae suae*, atque ita passim ἐμαυτοῦ, σεαυτοῦ, ἑαυτοῦ exprimit per נפש cum affixo; v. c. MATTH. *XIX:* 12. *qui castraverunt* ἑαυτοὺς, *se ipsos*, Syr. ܢܦܫܗܘܢ *animas suas*. Uti et vox ψυχὴ ab Hellenistis eodem modo, quo τὸ נפש ab Hebraeis usurpatur; vid. MATTH. *XVI:* 26, coll. LUC. *IX:* 25, SYRAC. *II:* 17. *XXIX:* 15. *XXXVII:* 8. — Atque in hoc simpliciſſimo sensu acquiescendum esse duco, nisi hoc unum forte malueris, τὸ נפש, vi originaria sua *respirandi*, proprie *vitam* dicere, v. c. ESTHER. *VII:* 3, ubi Turgumista שזיב נפשי; unde, missis multorum tropis et argutiis, prius nostrum hemistichium ita legendum exhibemus: לא־תעזב נפשי לשאול *Non derelinques Me*, vel *vitam meam*, *in Scheol*. — Quid vero sit שאול, ab *insatiabili appetitu* dictum, alibi investigandum datur; sit *sepulcrum*, vel (quod mihi ex *Gen. XXXVII:* 33, magis arridet) *communis mortuorum status*; textus innuit, *illustrem quandam personam*, *adeo gratam Deo*, *ut illam in loco*, *vel statu mortuorum*, *quo descendit*, *non relinquat*, sive, uti est in altero hemistichio, *non sinat Sanctum suum videre corruptionem*; sunt, qui ita distinguant, ut membrum prius de *descensu* CHRISTI *ad inferos*, alterum *de resurrectione ex mortuis* explicent, quos inter antesignanus est IO. CARRÉ, *pecul. Diss. de desc. C. ad Inf. Hag. Com.* A. MDCLIV, forte tamen rectius utrumque eo retulit *Act. II.* — Pauca de vocibus addam. חסיד, *Iustus*, LXX passim, tribus locis exceptis, ὅσιος, notat εὐσεβεῖν, id est, *probum et innocentem*, sive *erga Numen reverentem*, *erga homines pium esse*, quod HESYCHIO χάσιος. Nonnulli, quos inter FR. IU-

IUNIUS, חסיד *passive* sumunt, *quem Deus benigne habet*, sed et נָדִיב *liberalis*, אַבִּיר *robustus*, עָרִיץ *violentus*, activam notionem amant; vid. GLASSIUS *Onomatol. Messs. p.* 278. — Altera vox est שחת, proprie, *non sines S. tuum videre* FOVEAM. Hanc significationem ipse quidem notat BUXTORFIUS, *Concord. Hebr.* Illos tamen, qui nostro in Psalmo vocem ita vertunt, graviter castigat GENEBRARDUS, hos cum eventu pugnare asseverans, quia Messias *foveam* vidit, et per triduum ibi haesit. MORINUS, *Praefat. ad LXX*, vocem suspectam habet, a Iudaeis scilicet corruptam, mutilata litera Haeäemantica, et mutatis punctis vocalibus; cum enim Apostoli *Act. II:* 29. et *XIII:* 35. habeant διαφθορὰν, *corruptionem*, suspicatur lectum olim fuisse שחיתה, a Rad. שחת, *corrupit*, pro שחת, quod hodie passim legitur. Non ego hic accusem Iudaeos; non desunt enim, qui ipsi suum שחת à Rad. שחת derivent; sed sit à Rad. שוח, vel, ut KIMCHIO placet, ישח; notabit quidem *foveam*, qua ferae capiuntur, sed et talem, in qua id, quod iniicitur, perit et *corrumpitur*; hinc per προσδιορισμὸν legitur IES. *XXXVIII:* 17. מִשַּׁחַת בְּלִי *ex fovea consumtionis*, unde et, notione secundaria, sine determinatione, *corruptionem* notat, perinde ac Chald. שְׁחָיְתָא *foveam* designat et *corruptionem*; BUXTORF. *Lex. Talm. pag.* 2374. Quem vocis usum cum non ignorarent LXX, etiam ibi, ubi in Hebr. textu τὸ שחת simpliciter occurrit, διαφθορὰν reddiderunt, uti ex Concord. patet, atque adeo h. l. non casu, vel errore, sed de industria שחת non *foveam*, sed *corruptionem* interpretati sunt, cum de sensu, quem vaticinium requirit, ex antecedentibus et contextu satis constaret. Non ergo nos detineat (propter quam haec at-

attuli) Iudaeorum cavillatio, IESUM *vidisse foveam per triduum*, cum Hebraicae vocis usus, et veterum Iudaeorum versiones illorum ἔνσασιν propulsent, eo quidem, ut de Emphasi verbi *videre*, pro *indesinenter et perfecte frui*, nihil addere necesse sit. Hoc unum adiicio, Parallelismos in hemistichiis per se invicem illustrari, ita ut prioris consequens posteriori contineatur, quod fit ex regula *Kimchiana* hermeneutica כפל הענין במלות שונות, *Idem bis dicitur diversimode*, ita tamen ut *velocitas* liberationis ex שאול ista duplicatione indicetur, sive, ut THEODORETO audit, ταχεῖα ἀνάσασις, *resurrectio maturata*. Perplacent, quae in h. l. scripsit magnus LUTHERUS, *Opp. Lat. Ien. T. II. fol.* 154. „Istae negativae, *non relinques*, *non dabis*, vehementiores sunt affirmativis, et robustius resurrectionem testantur, quam si dixisset, *educes animam meam et servabis Sanctum tuum*. Sicut ibi; MARIA *optimam partem elegit*, *quae non auferetur ab ea*, id est, *certissima manebit*; ita hic, *non relinques*, id est, *velocissime reduces*." — Totus ergo contextus huc redit: „*Laetatur anima mea, iubilat lingua, corpus tuto procumbet, nam neque tu me in censu mortuorum relinques diu, neque permittes, ut in Pio tuo mors adeo saeviat, ut corpus in cineres dissolvat.*" Quod *unico vocabulo* Graecorum Theologi διαφθοράν dixerunt, in Thesi suo de CHRISTO: Φθοράν μόνον ἐδέξατο, Διαφθοράν δὲ ἡ Καταφθοράν ὅλως οὐκ ἐδέξατο. Φθοράν enim dicebant, cum a corpore tantum separatur anima; διαφθοράν, cum corpus sic dissolvitur, ut sola relinquantur ossa; καταφθοράν denique, cum ea quoque dissolvuntur.

Sed quodnam est vaticinii tam illustris subiectum? DAVIDEM vocant LIPMANNUS et D. KIMCHI, nec multum abest, quin colligam ex ipso Petrino illo Elen-

cho, *Act. II.* iam tum temporis nonnullos Iudaeorum de illo Rege cogitasse, atque de illius de SAULO triumpho, quod an e Sadducaeorum Schola, resurrectionem ridente, ortum fuerit, nescio, an iure suspicer.

Vellem equidem, illustr. nostrum GROTIUM hic non etiam de DAVIDE, sensu primo ac literali, cogitasse: scribit enim: „Sensus historicus (latet enim mysticus sublimior, ut in plerisque psalmis) est hic: „quanquam undique opprimor a SAULE, tamen certus sum ex promissione regni mihi facta, non fore ei potestatem me interficiendi." Non itaque negat, Messiam hic introduci loquentem, verum mystico sensu tantum, et ut DAVIDIS antitypum. Neque ego CALOVIUS esse studeo, qui, quicquid Grotianum est, unice fere *ob id* reiiciam, quia Grotianum; hic tamen Vir Summus, cui neminem novi parem, nominis sui mensuram haud implevit; non enim, cum haec scribebat, videtur attendisse, quod PETRUS, ostensurus, vaticinium hoc in Messia IESU completum fuisse, aperte testetur, fieri non posse, ut *ullo sensu* de Davide accipiatur, quia eventus repugnat, cuius testes vel ipsos Iudaeos tum praesentes esse permisit, *Act. II:* 29. Non ergo sensum *mysticum* tantum et *sublimiorem* opposuit Iudaeis ad Messiae e mortuis resurrectionem comprobandam, qui sine dubio ad historicum (quem GROTIUS vocat) sensum, utpote minus obscurum et magis obvium, provocassent, qui Apostoli eluderent argumentum: quo accedit, Apostolum, nemine contradicente, demonstrasse, DAVIDEM id de CHRISTO dixisse ad literam, *Comm.* 30, 31. προφήτης (inquit) ἐν ὑπάρχων, καὶ εἰδὼς, ὅτι ὅρκῳ ὤμοσεν αὐτῷ ὁ Θεὸς, ἐκ καρπὸς τῆς ὀσφύος αὐτοῦ, τὸ κατὰ σάρκα, ἀναστήσειν τὸν Χριστὸν, καθίσαι ἐπὶ τὸ θρόνο αὐτοῦ, προϊδὼν ἐλάλησε περὶ τῆς ἀναστάσεως τοῦ Χριστοῦ, ὅτε

ὲ κατελείφθη ἡ ψυχὴ αὐτῦ εἰς ᾅδε, οὐδὲ ἡ σάρξ αὐτῦ εἶδε διαφθοράν. Atque hinc etiam non adeo firmam esse putem cl. SEILERI coniecturam, DAVIDEM hic etiam de *sua ipsius resurrectione* cogitasse, quam cum illa Messiae coniunctam fore speraret, in eleganti, quem saepius laudavi, libello, *Die weissagung &c. pag.* 193, 194. Neque faciam cum rev. STINSTRA, *Oude Voorspellingen*, *T. I. p.* 194, qui DAVIDEM de se ipso locutum esse putat per totam oden, in illis etiam: *non deseres animam meam in* שאול, sed statim de Messia addidisse, *non permittes, ut* SANCTUS ILLE TUUS *videat corruptionem.* Magis mihi arridet, quae habet vir Doctiss. ad vexatissimum versum secundum, quem ita vertit: „ô Deus! dixisti ad Iehovam Mes„ siam: „Tu es Adonai! amor meus totus erga te, „ propter Sanctos, qui in terra sunt, et res magni„ ficae beneplaciti mei sunt in illis." Fere ut LXX: ἐθαυμάσωσε πάντα τὰ θελήματα αὐτῦ ἐν αὐτοῖς, et HIERON., ut et *Vulgata: mirificavit omnes voluntates suas in illis.* Quae de magna Lectionis varietate obiici possunt, solvit rev. STINSTRA l. l.

Sed redeamus ad Iudaeos. KIMCHIUM non moramur, qui, quo textum ad Regem suum trahat, contra, quam a bono interprete fieri oportuit, textui de suo temere prorsus et violenter haec verba ingerit, בעודני בחיים, *cum adhuc in vivis sum.* Plerique tamen largiuntur, de eo sermonem esse, quod post obitum demum in eo fiat nempe, *quod non dominaturus ei sit vermis*, uti ex *Midrasch Tillim*, *Fol.* 15. *Col.* 4. notavit ipse KIMCHI ad *Ps. XVI*: 9.

Scilicet, fabulantur *Talmudistae*, in *Massechet* שבת *C. I.*, et ex illis LIPMANNUS in *Nizzachon. N.* 299., *vermem impiis in sepulcro graviorem esse, quam acus carni vivenzis, ita ut hinc dolorem maximum sentiant, piis*

vero non item. Quia iam hic vermis non dominaturus esset DAVIDI, ideo dixisset: *caro mea habitabit tuto.* Facile sentit quivis, quam futile et ridiculum hoc omne sit, cum ex textu liqueat, non intelligi eiusmodi quid, quod *cunctis* et *singulis piis* commune est, sed quod *uni soli* competit, qui non se adeo laetari affirmat, quod caro sua post obitum a vermis cuiusdam morsu sit immunis, sed quod ille in sepulcro, vel שאול, tantisper non relinquendus, donec obnoxius fiat corruptioni, cui alias pii, aeque atque impii solent esse expositi. — Frustra igitur LIPMANNUS eo unice vires omnes intendit, ut probet, si vel DAVID in cineres redactus sit, id tamen cum verbis Psalmi minime pugnare, sic enim *L. L. N.* 273: ידוע שכל הנברא &c. „Manifestum est, quod omne „ creatum sub expanso ex quatuor elementis constet, „ et unumquodque in suum principium resolvatur. „ Haec enim rotatio mundi est in omnibus rebus „ creatis. Neque enim id turpe est, vel defectum „ redolet, si pars pulveris ad suum principium re„ deat. Atque ita corpus DAVIDIS in pulverem est „ redactum." Adeo usque Rabbinum abripuit coeca τῆς ἀνθολκῆς ἀμετρία, ut, quas recte agnovit Synagoga, negare veritates haud erubuerit. Recte enim nobiscum defendunt Iudaeorum Magistri, illud uni peccato ADAMI acceptum ferendum esse, quod homo moritur et corpus inde corrumpitur: sic R. BECHRI, *Comm. in Leg. Fol.* 12. *Col.* 3. ר"ל המקובלים הנביאים שאלמלא שחטא אדם היה חי לעולם: *DD. nostri L. M. ex ore Praphetarum id hauserunt,* ADAMUM, *nisi peccasset, in aeternum victurum fuisse,* quod *Fol.* 16. *Col.* 2, repetit, et Chald. Paraphrasi confirmat, אלולי לא חטא אדם היה קיים נצחי לעולם בגוף ובנפש: *Nisi peccasset* ADAMUS, *in*

in aeternum subsitisset, tam corpore, quam anima. Haec cum ita sint, unde probet LIPMANN., quod hoc non sit לגנאי *turpe?* cum id non ex naturae inevitabili fato, vel Dei prima et propria intentione, sed culpa hominis fiat, unde et DAVIDIS corpus pro communi Adamitarum sorte corruptioni obnoxium fuit. Hoc vero diserte sibi contingere negat, qui in Psalmo loquitur, laetus, quod corpus suum secure quiescat et procumbat, non relinquendum in tumulo, neque in cineres redigendum more aliorum hominum, quo certissime constat, neutiquam Regem *de se ipso* fuisse locutum. —

§ 6.

Vindicato hoc illustrissimo de resurrecturo olim Messia vaticinio, non opus est, plura ut addam, in primis, cum ipsos ad hoc veri Messiae criterium annuentes habeam Iudaeos. In *Massechet Sanhedrim ad* IES. *XLII:* 4., dicitur Messias moriturus, regnaturus tamen in aeternum per filium ac nepotem suum, quod et R. ISAAC habet *Chiss. Em. p.* 473. De meliori nota R. BECHAI *in Pentat. Fol.* 21. *Col.* 1. docet, Messiam in aeternum vivere, cf. EISENM. *Part. II. p.* 812. Sic fabulatores illi suum BEN IOSEPH, ad expiationem populi moriturum, resuscitatum iri aiunt a Messia BEN DAVID, cf. ID. *Part. II. p.* 715. In tractatu *Afkat Rochel*, sive, *de doloribus Messiae* (de quo BUXTORF. *Bibl. Rabb. p.* 30.) nonum signum adventus Messiae hoc ponitur: *Michaël tuba clanget clangore magno et diffindentur sepulcra mortuorum Hierosol. et Deus S. B. resuscitabit eos:* MESSIAS *quoque* BEN DAVID *et* ELIAS *prophetа suscitabunt* MESSIAM BEN IOSEPH. In quod de duplici Messia commentum vide strictura MAII *Theol. Iud. p.* 149. Abstineo ab HUETIO, qui *Dem.*

Euang. Prop. IX. C. 162. § 1., provocat ad R. IUDAM HACCADOSCH, qui docuerit, post triduum animam Messiae cum eiusdem corpore coniunctum iri; et ab HELVICO, qui *Disput. T. IV. Diss. IV.* § 51 testatur, R. MOSEN HADDARSCHAN *ad Ps. XLIX:* 10. scripsisse: *Hic versus dictus est de Rege Messia, qui morietur, ut Patres redimat, et postea vivet in aeternum, nec videbit corruptionem, sicut sapientes, qui moriuntur.* Locus certe egregius; at dubitant viri quidam docti, num revera talis scriptor Iudaeus exstiterit, probantibus hoc aliis, non tam ex provocatione GALATINI *de Arc. cath. ver. L. VIII. C.* 11. et HIERON. DE S. F. *Ebraeo-Mastigis p.* 60, quam ipsius ABARBANELIS, *Comm. in Gen. XLIX:* 10. vid. *Supra C. II.* §7. Quicquid vero sit, non videtur desperandum de *christianissimis eiusmodi libris*, ut loquitur SCHICKARDUS in *Bechin. Happer. p.* 32.

Iam vero quae de Divini nostri Servatoris resurrectione scriptis suis reliquerunt historiae Euangelicae auctores, nec decepti ipsi, nec decipere qui aut voluere aut potuere, adeo certa sunt et vera, ut huic etiam criterio satisfeciisse IESUM nostrum, luce clarius sit.

Non nostrum est, hoc loco isti demonstrationi vacare, nec quanti nostra Christianorum interfit, hanc veritatem teneri, contra conatus defendere Doctoris Ienensis DÖDERLEIN, Prof. Kielensis ECKERMANNI, et Superint. Gener. Gothensis LÖFFLERI, qui clarissimus Triumviratus, ut *Casum pro Amico* SCHULTZIO defenderent, hanc rem quasi nihili iudicarunt, in *Defensione sua* SCHULTZII *Gielsdorfensis, Edit. Görlitz A.* 1794. Haec nunc mitto, sufficere ratus, si ad Clarissimorum Virorum ABBADII, GROTII, FIDLERI, HOFFMANNI, LILIENTHALI, LELANDI, centumque aliorum scripta, omnium manu quae teruntur, provocaverim: nostris etiam

iam temporibus amicus meus Pl. Rev. NIEUWLAND, νῦν ἐν ἁγίοις, DITTONI *Differt. de veritate resurr. D. I. C.*, Belgico idiomate editam, praefatus, bonorum summo cum applausu, edidit, et, si quae forte restarent, obiectiones solutae fuere in opusculo *Pleidooi over de opstanding*, in HAMELSVELDII, PFENNINGERI, aliorumque scriptis, quae inter *respons. Pl. Rev.* MEENE ad Quaest. „Cur IESUS non etiam inimicis suis apparu„ erit redivivus?" Belgice edita a Rev. VOLKERTZ Eccles. Euang. Luth. Pastore in *Purmerend*, A. 1791. Quin ipse non ita pridem ego publice demonstravi, quod a nemine ex professo factum antea fuisse noveram, veritatem historicam resurrectionis Domini nostri I. C. notam et agnitam fuisse tum *Synedrio M.* et HERODI, tum PILATO et *Romanis* et *omni Populo* Iudaico, in *Historia infelic.* F. G. MEYER, *A.* 1796. *pag.* 298-310., ubi et in *Notis* nonnulla de *Actis et Literis* PILATI et de ἀποδεώσει IESU *per* TIBERIUM disserui, quae huc facere possent, *pag.* 306-309. de quibus et plura dicendi occasio recurret *Sectione II. Cap. IV.* § 4, 5.

Iam vero meo instituto hoc unum probatum ibo, *hanc etiam veritatem obtrectationibus Iudaeorum magis confirmari et stabiliri.*

Nihil habent, quod tam splendidissimae luci obiiciant, nisi decantatum illud FURTI crimen, cuius Apostolos reos faciunt, et cuius mentionem ipse Euangelista MATTHAEUS iniecit *C. XXVIII.* Quam absonum illud Pontificum figmentum fuerit, a multis ostensum fuit, et primo intuitu quisque videt. Quis enim credat, homines timidos et ἀπίστους, qui ne conclavi quidem suo egredi ausi fuerunt, inter tot custodes rem egisse, quae non sine strepitu devolvendi saxi fieri potuit? Quomodo se illi, qui nihil temporis perdere debuissent, tamdiu in periculosissimo lo-

loco detinent, cadaver e linteis evolventes? Quomodo ipsum illud momentum observant, quo somno oppressi fuerunt milites? Aut quo iure dormientes custodes *Apostolos furti reos* nominant? — Sensit hoc Apellarum gens, et historiam illam de furto centenis modis immutavit, quo ipso accusatorum ius et titulum amittentes et sibi ipsi obloquentes veritatem, quam evertere student, eo magis confirmant.

Narrat EISENMENGER, *Part. I. p.* 193. se mutuo habuisse Amstelodami a R. IOS. FRANCO librum quendam Polemicum *Maggen Abraham*, auct. R. ABR. PERIZOLIO, qui eiusdem criminis Apostolos incusat, sed eos corpus CHRISTI furatos esse, garriens, *cum nemo custodiverit sepulcrum, sed omnes comederint agnos paschales.* Cum tamen, et Pascha iam praeteriisse, et postea die Sabbati custodes Mausoleo appositos fuisse, sciamus. Sed, heus tu! PERIZOLI! unde tu scis, re vera discipulos IESU corpus furatos fuisse, cum nemo adesset? Si corpus inventum fuisset, alibi sepultum, qua fronte Apostoli (quod non negas) *coram* et *in Senatu* ausi sunt profiteri, se IESUM vivum vidisse et cum illo collocutos esse?

Puduit tandem Iudaeos istiusmodi fabularum, unde alia finxerunt.

Auctor *Toled. Iesu Wagenf.* hanc lepidissimam habet historiam: „IUDAS proditor, vir Sanctus (scilicet!!) „ et Syn. M. Assessor, clam corpus *Christi* ex sepul„ cro abstulit, in horto suo terrae mandavit, poste„ ro vero die, cum discipuli, madentibus oculis, „ ad sepulcrum sederent, monuit illos IUDAS, vide„ rent, an forte IESUS resurrexerit: hi sepulcrum in„ spiciunt, et, cum corpus abesse vident, exclamant: „ *non est in tumulo, sed in coelum adscendit.* Nunci„ ant etiam Reginae HELENAE, sparguntque longe la„ teque, IESUM adscendisse in coelos, impleta igitur

„ es-

„ esse vaticinia eius, *Pater meus, me assumet*; (*Edit. Huldric.*) *expiabo peccata morte mea; post mortem vero revivisçam, nam de me dicitur:* „„*ego mortifico* „„ *et vivifico.*"" „Regina, hac re audita, convocat „ sapientes, rem narrat, ut agnoscant, quam impie IESUM morti tradiderint, quippe qui sit filius Dei: „ illi autem in sententia sua persistunt, IESUM fuisse „ מכזר, et impostorem (absit blasphemia dictis!) „ quare Regina irata praecipit, intra triduum aut „ corpus CHRISTI monstrent, aut supplicio se subii- „ ciant: Patres abeunt tristes, ieiunium publicum „ indicunt, et quaquaversum corpus sepultum quae- „ runt. Triduo praeterlapso, cum crucifixus fru- „ stra quaesitus fuisset, multi sapientum, desertis „ Hierosolymis, conspectum reginae effugiunt. E- „ greditur ceteros inter senex quidam R. TANCHU- „ MA, qui, prae moeroris magnitudine hinc inde ob- „ errans, videt IUDAM, in horto suo sedentem capi- „ entemque cibum, quem redarguit, laetus quod „ prandeat, omnibus Iudaeis ieiunantibus. Vehe- „ menter perculsus IUDAS causam percontatur, quid „ sibi velit ieiunium? re explorata, corpus osten- „ dit, et protrahi, atque ante Reginam abiici, cu- „ rat &c."

Ridendum me Iudaeis darem, si talia refutando tempus tererem: cui enim risum non movet IVDAS *Senator*, omnibus consiliis intimus? at tamen talis, qui rem, cuivis notam, eamque gravissimam, per triduum ignorat? quis non ridet anachronismum de temporibus HELENAE? nec, quam parum haec conveniat fabella cum constantissima propagationis Euangelii inter Iudaeos ipsos historia, et non timida Apostolorum *in ipso Senatu* praedicatione, me non monente, videt?

Aliam, quam narravisse est refutare, historiam WA-

GENSEIL attulit, *Confut. Tol. p.* 13, ex AGOBARDI libello *de Superstit. Iudaic.*, qui est in *Biblioth. S. S. Patr. T. IX.* „Corpus IESU, iuxta quendam aquae ductum, „ sepultum, et Iudaeo cuidam in custodiam commen„ datum, noctu vero subita aquae inundatione sub„ latum fuit. PILATUS autem cum corpus per XII „ Lunas quaesitum haud inveniisset, huiusmodi pro„ mulgavit legem. „„„Manifestum est, resurrexisse il„„„ lum, sicut promiserat, qui et a vobis per invi„„„ diam peremtus est, et neque in tumulo, neque „„„ in ullo alio invenitur loco, et ob hanc causam „„„„ praecipio, ut adoretis eum, quod qui facere no„„„„ luerit, partem suam in inferno futuram esse co„„„ gnoscat."" Praeclarum scilicet TIBERII Procuratorem, qui legem sanxit devotionibus!

Denique narrant alii, referente ex Anglico WAGENS. *Conf. Tol. p.* 7. „IESUM, qui aliquando, cum „ coelo aperto oraverit, consecutus fuerit, ut post „ mortem pro Numine coleretur, qui etiam nomen „ mysticum ex templo sustulerit, illiusque vi mor„ tuos resuscitaverit, (*de quo commento pluribus egi* „ § 2.) se ipsum hostibus ultro tradidisse, ne divini„ tas, quae sua esset, diutius differretur, eiusque ca„ daver in simeto fuisse conditum, (testis de eo di„ cit *Toled. Huldric.*, manes IESU per necromantiam „ evocatos) urgente vero Matrona quadam Romana „ Christiana, effossum et deprehensum fuisse, nihil „ insigni formae et venustati, quae vivum ornave„ rint, decessisse, nisi quod vertex glaber fuerit, „ atque hinc evenire, quod Monachi soleant esse ra„ sis capitibus."

Habes, L. B., plerasque (nam omnes recensere taedium moveat) Iudaeorum obtrectationes, quibus veritatem resurrectionis domini nostri Iesu Christi evertere conati sunt. — Everterent autem? Qui tot

di-

diverſas, ſibi contrarias, leviſſimas omnes et ridiculas fabellas veritati hiſtoriae Euangelicae, tot ſolidis fundamentis ſuperſtructae, opponere haud verentur? Immo vero confirmant tot O. M. IESU dicta, facta, dogmata, quae Euangeliis continentur, quo, Q. E. D., παῤῥησίαν noſtram augent, qui laeti exclamamus: ὅτι ἠγέρθη ὁ Κύριος ὄντως!

CAPUT IV.

Calamum ponere, quantum ad *Iudaeos*, liceret, opinor, cum per partes oſtenderim, nihil ab iis, in cauſa *nativitatis*, *miraculorum*, *mortis* et *reſurrectionis* Domini noſtri, adorandi in aeternum, unquam allatum fuiſſe, aut etiam hodiedum afferri, unde veritas religionis Chriſtianae non novas adipiſcatur vires potius, quam evellatur. Habeo tamen nonnulla, quae adiiciam breviter, ſive multum huc conducentia, ſive, quae in prioribus dicta ſunt, illuſtrantia et probantia. Vela tamen contraham.

§ I.

Nonne vidiſſent Iudaei, ſi mens non laeva fuiſſet, ſe tot commentis accumulandis nihil effeciſſe, niſi quod rem Chriſtianorum, adeo iis inviſam, auxerint, ſuamque ipſorum inopiam prodiderint. Quomodo enim cum illis, quae de corpore IESU, et ſpeciatim de IUDA, nobis modo narrant, convenire poſſunt, quae de eodem IUDA narrant ad veritatem adſcenſionis CHRISTI in coelos infirmandam? Novo ceteroquin argumento, iſtius adſcenſionis fama a primis inde temporibus ad omnem populum pervolarit. Qua de cauſa nec contra Iudaeos, *Pſalm. LXVIII*

adscensionis oraculum vindico, non adeo, ut brevitati studeam, sed quoniam *Iliada post* HOMERUM canerem, si quicquam addere vellem de iis, quae in eruditissimo opere: *Byzonderheden der H. Schrift:* more suo, id est doctissime, scripsit Clariss. PET. HOFSTEDE, collega et amicus exoptatissimus; uti iam monui in *Dissert. mea Belgica ad def. rel. Pag.* 42 *in Not.* Contortas huius Psalmi Iudaeorum explicationes refutavit GUSSETUS in responss. ad *Chissuk Emuna. Part. II. Cap.* 91. Transeamus ergo ad eam, quam innuebam, Iudaeorum fabulam. Narrat autem TOLED. IESU, et ex pestilentissimo illo scripto furtim *Nizz. Vet.* et R. NAPHTALI, sequentia:

„ Tempore quodam differebant IESUS et IUDAS „ (vir ille Iudaeis carissimus). Ille autem probatu„ rus contra criminationes IUDAE, DAVIDEM de se, „ tanquam Messia, vaticinatum esse, *Psalmis II, VII* „ *et CX*, enunciavit nomen ἀνεκφωνητὸν, quo illico „ per ventum in aërem raptus stetit coelum inter et „ terram. Quid tum? Sapientibus suadentibus et cul„ pam in se suscipientibus, IUDAS itidem nomen ad„ discit, quo enunciato et ipse aëreas plagas petit, „ ubi per longum tempus inter se invicem dimi„ cant, spectantibus magnis hominum turbis. Iu„ DAS vero (gravissimus Senator!) cum animadver„ terit, se opera IESU non exsuperare posse, corporis „ sui saccati humore se ipsum et illum polluit, unde „ uterque immundus et in terram praeceps factus fu„ it, ob contractam impuritatem usu Nominis mystici „ uterque privatus, quoad abluerentur. IESUS vero „ clanculum se subduxit, et abluto corpore Nomen „ iterum protulit ac mirabilia fecit, donec IUDAS tan„ dem, dissimulata persona, discipulis eius immissus, „ noctu nomen abstulerit, per ministerium angeli, „ qui praefecturam somni habet, et quem IUDAS in„ cantaverat.“ Non-

Nonne, Lector!, adeo omnia scatent absurdis, ut, verbum si addiderim, oleum et operam perdiderim? Monendum tamen habeo, et hic etiam in medio stercore gemmarum esse scintillas, et narrationem Euangelicam de stupendis operibus CHRISTI, et de proditione IUDAE, quantumvis a vero mutatam et mutilatam, hinc etiam de novo confirmari, minime vero infringi. Ut et nihil nocere potest, quod (notissimis Iudaeorum moribus contrarium) narrat *Toled. Ies. Huldric.* „Nonnullos Christicolas (*Aitas* vocat) „ civibus suis narrasse, triduo postquam suspensus „ fuerit IESUS, ignem de coelo cecidisse, ipsum circumcinxisse, indeque eum subito revixisse, poste„ aque in coelos adscendisse. — Et, quamvis multi „ deinde eorum, per literas a Iudaeis moniti, Hie„ rosolymas perrexerint, et IESU corpus a IUDA sepo„ situm viderint, nihilominus divulgasse, pura pu„ ta mendacia esse, quae IUDAS et Hierosolymitani „ transscripserint. &c.

Nubem pro Iunone, qui talia pro sanae mentis foetu amplectitur!

§ 2.

Restat ergo, ut, quam parum de Iudaeorum Polemicorum obtrectationibus nobis ac veritati timendum sit, ex ipsa eorum librorum indole et natura evincamus, ubi si contorta, confusa, sibi invicem contradicentia repereris omnia, iudica Lector!, si tota Iudaeorum natio, cuiusvis loci et temporis, cuius vero tanti intererat Euangelicas narrationes et dogmata falsi convincere, per tot seculorum seriem nihil invenire potuerit, praeter nugas et fabellas, communi sensui, historiae et chronologiae contrarias, nonne hae vanae sine viribus irae rei Christianae optimam

quidem causam probant, atque indubitatam reddunt Christianorum fidem.

Visne anachronismum, de quo nec etiam inter illos convenit? — In *Toled. Ies.*, Edit. RAYMUNDI MARTINI, tempora IESU referuntur ad regnum HELENAE, Reginae *Adiabenes*, regionis Assyriae trans Mesopotamiam, quae (quod non prorsus sine fabulis narrat IOSEPHUS *Ant. Iud. L. XX. C.* 2.) Iudaeorum sacris, una cum filiis MONABAZO et IZATE, accessit, imperante CLAUDIO, dum ex SUETONIO et TACITO de passione Domini sub TIBERIO certiores sumus. Editio vero *Wagenseiliana* cum Talmudistis ad tempora IANNAEI Regis, ita tamen, ut nugacissimus iste scriptor HELENAM IANNAEI coniugem faciat, per μεταχρονισμὸν centum et amplius annorum, Iudaeum natum cum Proselyta commiscens; IANNAEI enim uxor fuit ALEXANDRA, quae post obitum mariti rerum potita filium HYRCANUM Pontif. Max. instituit, ad quae IANNAEI tempora, praeter ABEN ESRAM etiam resilit R. ZACUT in *Iuchasin:* cf. BUDDEI *Hist. Eccl. Vet. Test. Proleg. p.* 19. et EISENM. *Part. I. p.* 239, 241. Editio *Huldriciana*, Anni 1705, confusior etiam et ἀχρονολογότατος: hic enim HERODIS tempore recte cum Euangelistis CHRISTUM natum fuisse scribit, addens, HERODEM sancto quodam zelo accensum Bethlehemitarum infantulos occidisse, hoc modo scandalum expiaturum, quod a parentibus IESU datum fuit. Mox vero cum Talmudistis illum discipulum fecit R. IEHOSCHUAE, qui IANNAEO aequalis fuit, sub quo a R. PERACHIA Dominum nostrum informatum fuisse, nugatur ZACUTUS. — Sic libellum suum scriptum esse fingit tempore CHRISTI, a R. IOCHANANE BAR SACCAI, et insipientissime *Wormatiae*, et Synedrii cuiusdam parvi *Wormatiensis* mentionem iniicit. Risum teneas! — Denique, PERACHIAM aequa-

lem

lem Talmudiſtae faciunt R. AKIBAE, cum ille tempore IANNAEI, hic poſt excidium Hieroſolymarum, floruerit. En tales teſtes hiſtoricos, qui Euangeliſtas criminis *falſi* accuſarent!

Si contortas et contradicentes eorum mentes videre cupias; audies, paſſim Iudaeos multum conqueſtos, quod tam longe lateque Chriſtianismus ſigna ſua poſuerit, quod tamen de Oeconomia Meſſiatica praedixerunt oracula, IES. *LIII:* 10. 12. *Pſ. XXII:* 28, 29, 31, uti et ipſe R. IOS. SAMIGE in libro morali MIKRAË KODESCH *Fundamentum, ſive ſcopus primarius adventus Meſſiae eſt, ut omnes populi nomen Domini invocent, quia non beneplacitum habeat Dominus in morte peccatoris.* conf. LIGHTF. *Hor. Heb. ad Matth. III:* 6. *fol.* 225. Hinc *Toled. Ieſ. Wagenſ.* queritur, quod Apoſtoli in XII regna migraverint, et etiam עם רב מבני ישראל *magnum populum ex filiis Iſraelis* poſt ſe traxerint, ita ut fuerit fides Chriſtiana מתחזקת וחולכת, Iudaei contra fuerint אנשי השם. Sed quomodo hunc inter convenit et Doctorem illum Iudaeum, quocum res fuit Cl. LIMBORCHIO, cuius inter obiectiones in religionem Chriſtianam haec fuit: „pauciſſimos Iudaeos CHRISTO nomen dediſſe, et „ Apoſtolos famam et honorem, cum nullum habu„ erint, amittere haud potuiſſe?" Hinc in Apoſtolos convicia et iniurias congerunt, minime tamen ſibi conſtantes. אנשים בוערים, *viros brutos, inſipidos*, illos dixit R. ISAAC in *Chiſſ. Emun. pag.* 14, (qui Rabbi ISAAC BEN ABR. bene diſtinguendus ab alio quodam Karaïtico eiusdem nominis) a COUSSETO ſolide refutatus. In *Toled. Wagenſ.* SIMON BAR KEPHA, id eſt PETRUS (quem *Edit. Huldric.* filium facit KALPASI, avunculum IESU, et ab altero PETRO, qui cum reliquis CHRISTI diſcipulis, Domino adhuc ſuperſti-

te,

te, occisus fuisset, diversum) *Magnus* audit, *Sanctus*, et *Synedrii assessor*, qui, annuentibus collegis, Romam (cuius tum temporis Dominos fingit Christianos scilicet!) se contulerit, et per *Schem Hamphorasch* miracula magna ibi patrarit, Iudaismo nihilominus ad rogum usque adhaerens; quin in *Edit. Huldric.* legitur ille Christianos decepisse Euangelium quoddam spurium scribendo. At, quomodo haec concilianda cum *Nizz. Vet. pag.* 239, cuius auctor eundem SIMONEM, KEPHAE filium, vocat פטר חמור, *hominem ignorantem?* quod cum vero ac sano sensu concedimus, cum ipsi in suis scriptis fateantur Apostoli, se antea fuisse ἀγραμμάτους καὶ ἀπίστους, et obscuri nominis, unde, quaeso, tam subito illis ea auctoritas, ea fides? si enim quod aiunt, corpus CHRISTI inventum atque a IUDA, Senatore isto *in partibus*, ostensum fuisset, nonne statim, ad pudorem et silentium redacta, cecidisset eorum auctoritas, et Christianorum sacra quoquoversus obmutuissent?

§ 3.

Eant ergo Iudaei, pudeatque illos nugarum suarum et calumniarum, quibus Messiam nostrum (Nomen cuius benedictum sit!) petierint. Puduisse autem honestiores satis constat, cum non pauci illorum aperte negent, ullam de IESU nostro in Talmude fieri mentionem, omnia, quae ibi leguntur, de alio quodam IESU intelligere iubentes. Notissimus ille SALMAN ZEVI, qui scripsit contra FRID. SAM. BRENTIUM *Proselytum*, LIPMANNUS, IECHIEL, alii bene multi, hoc evincere conati sunt, quos, inter Christianos, secuti sunt GALATINUS et SCHICKARDUS, sed quorum argumenta ad examen vocavit EISENMENGER in saepius lauda-

dato *Iudaismo detecto*, qui tamen nimio in *omnes* Iudaeos odio ferri fortassis videri potest. Mitiorem et modestum (uti debui) me ipsum praebui in quaestione de ברכת המינים, sive de *Precibus*, *quas in Christianos fundere dicuntur Hebraei*, *in Praefat.* mea ad versionem Belgicam τῶν תפלות, sive *Precum sollennium*, quas Synagoga Roterodamensis, ex ore R. LEVY HEIMAN VAN BRESLAU ἀρχισυναγώγε, fudit occasione belli nuperrimi, *Edit. Roterod. A.* 1793. *p.* 3-7. Dicam, quid mihi de hac re videatur. Cum cl. WAGENSEILIO observandum duco, in *Mischna* universa, cuius scriptionis tempore sub persecutionibus sudabat Christiana religio, de IESU Servatore nec volam, nec vestigium ullum apparere, sed posteriori aevo *Gemaristas*, cum crescentes, non sine invidia, viderent res Christianorum, quaedam inspersisse. Hoc qui ex odio fecerunt, pro more Iudaeorum, Historiae et Chronologiae imperitiores ac fabulis deditissimi, non nisi mendacia, nugas et absurditates narraverunt, quod cum cernerent nasutiores quidam recentiores, partim prae pudore, partim prae metu, non de nostro, sed de alio quodam IESU talia narrata fuisse affirmant. Hinc non mentiuntur multi obtrectatorum, cum nunquam se *Toledoth Iesu* legisse iurant; ἀρχισυναγώγοι enim, qua sunt prudentia, saepe, pro rerum diversitate, eiusmodi libros studiose occultare solent, inprimis si ipsi erectioris animi et de meliori luto formati sint, qualis ille fuit Iudaeorum Doctor vere gravissimus in Belgio, qui ante aliquot annos mihi confitebatur, se nunquam in IESUM *Nazarenum* anathema pronunciasse, aut pronunciaturum, quippe quem, etsi de Filiatu et Messiatu, qui in schola dicuntur, illius haud satis liqueret, pro divino et sanctissimo Propheta haberet, quem maio-

res sui iniuste necassent; cuius Iudaei mentionem praecedenti anno inieci *Responsioni meae Apologeticae* ad Rev. A. STOLKERUM, Remonstr. Past. Roterodamensem, et cui plures simillimos se in itineribus invenisse, in operibus Proselyticis palam testatus est Rev. C. S. DUYTSCH, iam pie defunctus.

§ 4.

Quae omnia si ad scopum Dissertationis referam, eviciisse mihi videor, ipsis Iudaeorum obtrectationibus religionis Christianae veritatem solide confirmari, quod demonstrare in animum induxeram.

Etenim veritatem si nobis eripiant, habeant, necesse est, fontes historicos, quos Euangeliis opponant. At quales? — *Talmudem?* — Defendant ergo tot calumnias et blasphemias, quibus totus ille liber repletus est. Defendant Magistros suos nugacissimos ab omnium cordatorum risu dixerim, an contemtu? Ferant, si nos illius consarcinatores, hic nequitiae et perversae fidei, illic crassissimorum errorum et μεταχρονισμῶν arguamus, convincamus. — *Toledoth*, ubi diversa plane a Talmudicis figmenta exstant? Conveniant primum inser se, quaenam editio genuina sit. Explicent, cur Talmudistarum historiolas mutent, et quare, etsi Talmud citetur, Talmud tamen et Toledoth toto coelo differant, quamcunque etiam editionem elegeris. Concilient contradictiones apertas. Defendant vitia historica innumerabilia. Aniles fabulas superstitiosissimas homini sano reddant tolerabiles.

Quid vero? Si *Talmud* non de nostro IESU loqueretur? quid si Christianus quidam *Toledoth* conscripsisset, ut Iudaeis molestias crearet? — Vana erit exceptio: rationes, quas adduxit EISENMENGER pro re-

reatu Talmudico, refutavit nullus, et saepius ex *Toledoth*, suppresso tamen titulo, multa excerpuntur in libris Iudaeorum polemicis. Sed sit! habeant, quod volunt! vicit tum causa Christianorum, castra tradunt Iudaei! Nihil habent ergo, quod narrationi Euangelicae opponant, nullum, vel minimum vestigium falsi ex annalibus gentis obiici potest; gentis, cuius tanti intererat; gentis, cui Apostoli historiam nativitatis, mortis et resurrectionis Messiae non post longa tempora, aut in dissitis locis, sed ἐν πρώτοις, coram, ore, et calamo, nunciarunt. Nullus unquam rationibus iis obstitit, nullus eos mendacii arguit, nullus impositurae convicit. Nihil ergo in veterum Iudaeorum libris legitur, quo Christiana religio feriri queat. Stat itaque veritas Euangelica inconcussa, et nihil habent, quod, vel cum aliqua saltem veri specie, opponant Iudaei, quorum cor, nisi esset obduratum, veritatem agnosceret, Patrem adoraturi in spiritu et veritate *propter Filium suum*, id est, uti Chaldaeus *Ps. LXXX:* 15, 16. παραφράζει, על מלכא משיחא *propter regem Messiam.* Atque adeo *quaevis recentiorum Iudaeorum obtrectationes veritatem religionis Euangelicae non modo non labefactant, sed eo magis roborant ac confirmant.* Q. E. D.

SECTIO II.

De obtrectationibus Philosophorum Ethnicorum, veritatem religionis Christianae confirmantibus.

CAPUT I.

§ 1.

Longiores forte, quam par erat, aut saltem videri poterat, fuimus in examinandis *Iudaeorum* obiectionibus, exceptionibus, et in rem Christianam obtrectationibus, tam infensissimis, quam nugacissimis, ita ut tantae vix operae pretium esse videatur, aut, si, quo coepimus, pede pergere velimus, non dissertationis, sed libri conscribendi propositum cepisse a iustis rerum arbitris censeamur. Neque tamen facti nos poenituit, nec, quo recte culpemur, invenimus. Cum enim praecipuum dissertationis scopum nobis proposuimus, Christianae religionis veritatem (cuius ministerium Ecclesiasticum per viginti annos, eoque amplius, gessimus laeti, et cuius ratione honores Academicos rite ac legitime ambimus) extra omnem dubitationem posuisse, inprimis nobis inquirendum esse duximus, num quicquam, quo fides historica Euangelistarum et Apostolorum, qua omnis religio Christiana nititur, labefactari posset, in illa potissimum

mum gente reperiretur, in qua, si quid esset, unice quaerendum esset. Omnis enim religio revelata, atque adeo etiam Christiana, *Historia* est, cuius veritas *historicis* potissimum argumentis demonstrari, aut, si falsa sit, *historicis* argumentis everti debet. Si enim tempore et loco, quo fertur, vere exstiterit vir ille singularis, qui per tot seculorum seriem Patribus promissus et in omnibus vitae fatis et factis suis ante praedictus fuit; si re vera tempore constituto, gente, familia, loco, quae praedicta fuere, virgine natus, omnia, quae narrant Euangelistae, dixerit, fecerit, perpessus sit; si vere fuerit ὁρισθεὶς υἱὸς Θεοῦ ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν (*Rom. I:* 4.), si denique ad summum maiestatis et gloriae fastigium evectus religioni suae illud incrementum dederit, regnumque suum per XVIII secula eodem, quo ipse spoponderit, modo tenuerit (quae omnia sunt facta mere *historica*) vera non esse religio Christiana non potest. Habent, quo se commendent scriptores Euangelici, candorem; tempus, locus, omnia conveniunt; non quodam in angulo, sed coram, in Senatu, in Comitiis, in Templo; non in oris remotissimis, sed in urbe; non post longam annorum seriem, sed ipso tempore, inter aequales, coram ἐπόπταις; non lucri, aut honoris causa, sed odio habiti, male tractati, domo et patria expulsi, rebus suis orbati, acerbissimos denique inter cruciatus, tormenta et neces, ἀπαγγέλλουσιν ὃ (inquiunt) ἀκηκόαμεν, ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ὃ ἐθεασάμεθα καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς. I IOAN. *I:* 1. Iam, si quid esset, quo falsitatis et impostura argui et convinci possent, ubinam illud quaerendum foret? An nostri aevi ἐμπαῖκται fidem historicam risu evertent? an Pseudophilosophorum sophismata fa-

ctum infectum reddent? aut Pseudocriticis in S. scriptores liceret, quod in HERODOTUM, PLUTARCHUM, TACITUM, HOMERUM, aut VIRGILIUM nullus auderet? — Non ergo in Deïstarum, aut Neologorum obiectiones inprimis inquirendum duximus. Καὶ τοῦτο ποιήσομεν, ἐάν περ ἐπιτρέπῃ ὁ Θεός. (*Hebr. VI:* 3). An gentiles primi audiendi, quorum summa veterum oraculorum ignorantia, loca dissita et ἀναστροφὴ πατροπαραδότης eos aequos rerum arbitros esse non siverunt? In ea demum gente, in qua vixit IESUS, in ea, ubi Apostoli ore et calamo religionem Christianam fundarunt; in ea, ubi quo genere, domo, moribus, satis fuerit IESUS inter πρόδηλα; in ea, cuius maxime intererat olim, et interesset etiamnum, si religionem, sibi adeo invisam, supplantare, atque maiores suos atrocissimi criminis absolvere possent; in ea denique, cui τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ concredita fuere, et quae oracula, κριτήρια Messiae exhibentia, quotidiana manu terere solet, in ea inquirendum fuit, si aut Sanctissimi vates *alium* Messiam exspectandum iusserint, et N. T. scriptores illorum oracula perverterint a veritate deflectentes, aut si IESUM nostrum non talem fuisse, qualem illum pingunt ipsius βιόγραφοι, historicis argumentis, aliqua saltem fide dignis, aut veri saltem speciem habentibus, demonstrari posset.

Vicit Leo ex tribu Iehudae! omnia perlustravimus, ad nauseam usque nugacissimos audivimus Rabbinos, ne aliquid in exploranda veritate praetermisisse videremur. Contortas et ridiculas vaticiniorum exegeses, quibus illorum vim evitent, aniles fabulas, calumnias, sibi ipsi omnique historicae fidei obloquentes invenimus, sed nec volam, nec vestigium vel minutissimae rei, qua fides nostra labefactari, aut hi-

sto-

storiae Euangelicae falsitatis nota aliqua inuri posset.

Iam nobis brevioribus esse licebit. Si apud ipsos infensissimos hostes nihil inveniatur, quid apud exoticos, et qui ex Iudaeis tantum de IESU audire potuerunt, reperiatur? At magna Philosophorum Ethnicorum fuit auctoritas, praeclara fama, magnum nomen. Invenit forte eorum ingenii acumen, penetrandi sollertia, ἀνθρωπολογίας sagacitas, et rerum cognoscendarum peritia, illa, quae rudiores (si placet) ac minus ingenuos Iudaeos fugiebant, falsitatis et impostvrae vestigia; profligavit forte eorum disputandi maior usus et, qua excellebant, facundia curtam Christianorum, quos ridebant, supellectilem!

Ne timeas, Christianissime Lector! altera hac nostrae Dissertationis parte aeque patebit *etiam obtrectationibus Philosophorum Ethnicorum veritatem religionis Christianae minime infirmatam, sed roboratam potius esse et confirmatam.*

§ 2.

Verum haec est Iudaeos inter et Ethnicos differentia, ut ex illorum avita doctrina et Sacris voluminibus, quid de Messia exspectandum fuerit, elicere nobis liceat, atque ex ipsorum libris historicis, utut deformibus, non pauca excerpere, quibus fides historica librorum Novi Foederis augeatur, uti et bene multa in Rabbinorum scriptis occurrunt, unde aut argumentum ad hominem (ut aiunt) petatur, aut, quam caeci sint coecorum duces, ostendatur. Non ita de Philosophis: quare, cum ex eorum quoque obtrectationibus veritatem religionis Christianae confirmari dixerimus, hoc ita capiendum, quod ut in iis hic illic testimonia reperiantur pro factis quibusdam historicis, de quibus serior aetas impune forte dubi-

ta-

tare potuisset, nisi ab ipsis veritatis hostibus fuissent confirmata, quin et illa, quae impugnant, cordatis eo firmiora fiant, et certiora esse intelligantur, quo infirmiora sunt et a veri specie abhorrentia, quae in veritatem Euangelicam ab iis proferuntur.

In eo vero et illi, et hi conveniunt, quod *ex infensissimo odio* in religionem Christianam, et mente, *praeconceptis opinionibus occoecata*, egerint, unde χριστὸς ἐσαυρωμένος Ἰουδαίοις μὲν σκάνδαλον, Ἕλλησι δὲ μωρίαν fuit, 1 *Cor. I:* 23., atque hinc e *Sect. I. Cap. I.* § 2. repeto, quod ibi de Iudaeis scripsi, nempe multum virium amittere obiectiones, si perpenderis, *pravis affectibus indulsisse, et ex odio, vel coecitate egisse illos, qui obloquuntur.* Hanc enim Ethnicorum, Philosophorum etiam, culpam fuisse, omnis docet Historia. Qui enim Athenis cum PAULO conflictabantur, Stoici et Epicurei, *Act. XVII*, infensissimum statim animum prodiderunt, contumeliis et conviciis usi, τί ἂν θέλοι ὁ σπερμολόγος οὗτος λέγειν; *Comm.* 18, de qua voce conferendus OLEARIUS *de Stylo N. T.* § 13., et CASAUB. *ad* THEOPHR. *Charact. p.* 197; parum itaque Philosophi, qui pro rationibus convicia afferunt, coeco impetu in dissentientes insurgunt, et damnant, quae sibi minime habent perspecta. Eiusdemque in rem Christianam animi fuerunt, qui primis a CHRISTO nato seculis, immo et sequentibus, tot aerumnarum et persecutionum tristissimarum causae fidelibus extiterunt. Nonne CRESCENS ille Cynicus IUSTINO, vincere quem rationibus non poterat, martyrii causa fuit? Sic enim ad Imperatorem et Senatum Romanum IUSTINUS *Apol. II.* Κἀγὼ ἔν προσδοκῷ ὑπό τινος τῶν ὠνομασμένων ἐπιβουλευθῆναι καὶ ξύλῳ ἐμπαγῆναι ἢ κἂν ὑπὸ Κρέσκεντος τοῦ φιλοσόφου καὶ φιλοκόμπου· οὐ γὰρ φιλόσοφον εἰπεῖν ἄξιον τὸν ἄνδρα, ὅς γε περὶ ἡμῶν, ἃ μὴ

μὴ ἐπίσαται, δημοσίᾳ καταμαρτυρεῖ, ὡς ἀθέων καὶ ἀσεβῶν χριστιανῶν ὄντων, πρὸς χάριν καὶ ἡδονὴν τῶν πολλῶν τῶν πεπλανημένων ταῦτα πράττων. *Et ego exspecto, ut aliquis eorum, qui nomine tenus Philosophi, mihi insidias struat, aut in crucem tollat, vel ipse ille* CRESCENS, *popularis aurae et gloriae sectator, nam Philosophus dicier haud dignus est, quia publice de nobis asseverat, quae ignorat, Christianos esse atheos et impios, in gratiam et ad libitum errantis multitudinis ista faciens.* Pro φιλοψόφῳ apud EUSEB. *Hist. Eccl. L. IV. C. XVII*, IUSTINI verba referentem, legitur ἀφιλοσόφῳ, quod a scriba, vocem non satis intelligente, profectum censet IO. ERN. GRABIUS, *Spicileg. Patrum Sec. II. p.* 139, qui et eventum metui IUSTINI nimium respondisse observat in iis, quae de magni viri morte diligenter disseruit, *pag.* 140 seqq. Quo animo in Christianos fuerint CELSUS, PORPHYRIUS, alii, ex ipsorum calumniis constat, de quibus dein pluribus; nec quicquam frequentius, quam omnium calamitatum, quibuscum Imperio conflictandum erat, causam in Christianos referre, quasi illae ab irato Numine immitterentur ob spretam veterem et avitam religionem, qua suspicione misere onerati, qui CHRISTO nomen dederant, quibusvis persecutionibus pro salute publica devovebantur: quam accusationem inter alios eleganter admodum Q. AURELIUM SYMMACHUM renovasse patet ex relatione *pro ara victoriae*, quam VALENTINO Imperatori obtulit, in qua gentilium causam ex instituto agens omnia illorum temporum fata minus secunda in Christianorum religionem conicicit. Extat inter *Epistolas* SYMMACHI, et inter opera PRUDENTII, quae CELLARIUS edidit, *pag.* 298, ut et inter AMBROSII opera: uti et HIEROCLES, Christianorum hostis acerrimus, praecipuus auctor vexationis gravissimae sui temporis exstitit.

§ 3.

Scrupulus vero nemini inde oriatur, quod omnes, qui Christianae religioni sese opposuerunt, non tantum Iudaeos, sed etiam gentiles, *ex odio* egisse asseveremus. De *Iudaeis* non mirum, qui Deum per MOSEN locutum fuisse norant, et Levitico cultui addicti aegre ferebant, legem mutari, nec Messiam pauperem, patientem, a Proceribus reiectum accipere poterant, quem Regem, Victorem, Patriae liberatorem, aurei seculi instauratorem, exspectabant, a suis Doctoribus plerumque male instituti. vidd. quas supra *Sect. I. Cap. I.* § 4. iam in hanc rem conferendas dixi, *Epistolas meas Meyerianas*, *pag.* 311. *in Not.* Verum, si vera adeo, si tot documentis probata, tot miraculis ornata, si tam sancta, pia, utilissima fuit religio Christiana, unde iste furor, illud odium non in plebe tantum, sed et in Philosophis gentium? Ratio est in promtu.

Prima enim causa tanti odii in ipsa religionis sanctitate et depravatis, Philosophorum etiam, moribus sita fuit. Quam detestanda tunc temporis moralis rerum facies fuerit, ex ipsorum gentilium scriptis, HORATIO, OVIDIO, IUVENALI, SUETONIO, TACITO, aliis, colligas. *Romanorum* memorat PAULUS ἐπιθυμίας εἰς ἀκαθαρσίαν τὸ ἀτιμάζεσθαι τὰ σώματα. *Rom. I.* 24. πάθη ἀτιμίας, quibus αἱ θήλειαι μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ φύσιν. ὁμοίως τε καὶ οἱ ἄρρενες ἀφέντες τὴν φυσικὴν χρῆσιν τῆς θηλείας, ἐξεκαύθησαν ἐν τῇ ὀρέξει αὐτῶν εἰς ἀλλήλους, ἄρσενες ἐν ἄρσεσι τὴν ἀσχημοσύνην κατεργαζόμενοι. *Comm.* 26, 27. πεπληρωμένους πάσῃ ἀδικίᾳ, πορνείᾳ, πονηρίᾳ, πλεονεξίᾳ, κακίᾳ, μεστοὺς φθόνου, φόνου, ἔριδος, δόλου, κακοηθείας. ψιθυριστὰς, καταλάλους, θεοστυγεῖς, ὑβρι-

ὑβριστὰς, ὑπερηφάνους, ἀλαζόνας, ἐφευρετὰς κακῶν, γονεῦσιν ἀπειθεῖς, ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους, ἀστόργους, ἀσπόνδους, ἀνελεήμονας. *Comm.* 29-31. Rem autem PAULO non aggravatam fuisse, docent SALMASIUS *de foenore Trapezitico*, et omnium instar CORN. ADAMI, *Exercit. Exeget.*, quae impuritas eo turpior, quo magis naturae legibus aversabatur, unde nefandum crimen Athenienſibus et Spartanis ipſis aliquando punitum, AELIAN. *Var. Hiſt. L. III. C.* 12, et LUCIANUS ipſe feminarum in Lesbo libidinem τὴν παρὰ φύσιν damnat, in *Dial. Meretric. p.* 888. Non tamen meliores istius temporis Graeci; ſic *Corinthii*, ante Chriſtianiſmum, fuerant nonnulli πόρνοι, εἰδωλολάτραι, μοιχοὶ, μαλακοὶ, ἀρσενοκοῖται, κλέπται, πλεονέκται, μέθυσοι, λοίδοροι, ἅρπαγες. 1 *Cor. VI:* 10. cf. SALDENUS, *Ot. Theol. L. I. Exerc. VII.* et P. BAYLE *Dict. Hiſt. Crit. T. I. Fol.* 212. Inter *Galatas* φανερὰ erant μοιχεία, πορνεία, ἀκαθαρσία, ἀσέλγεια, φαρμακεία, ἔχθραι, ἔρεις, ζῆλοι, θυμοὶ, ἐριθεῖαι, διχοστασίαι, αἱρέσεις, φθόνοι, φόνοι, μέθαι, κῶμοι. *Gal. V:* 19-21. *Epheſii* ante converſionem ambulaverant ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῆς σαρκὸς, *Eph. II:* 4., πικρία, θυμῷ, ὀργῇ, κραυγῇ, βλασφημία, πάσῃ κακία, *C. IV:* 31. *Philippis* ὁ θεὸς ἦν ἡ κοιλία, καὶ ἡ δόξα ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν, οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες, *Phil. III:* 19. *Coloſſenſes* ante ambulaverant in πορνείᾳ, ἀκαθαρσία, πάθει, ἐπιθυμίᾳ κακῇ καὶ πλεονεξίᾳ, nec, niſi poſtquam CHRISTUM induiſſent, exuebant ὀργὴν, θυμὸν, κακίαν, βλασφημίαν, *Col. III:* 5, 8. Quin et *Theſſalonicenſes* iam Chriſtianiſmum profeſſi vix abſtinebant ἀπὸ τῆ περιπατεῖν ἀτάκτως, μηδὲν ἐργαζόμενοι, ἀλλὰ περιεργαζόμενοι, 2 *Theſſ. III:* 11. Omnia, quae PETRUS vocat τὸ θέλημα τῶν ἐθνῶν κατεργάσασθαι,

πεπορευμένους ἐν ἀσελγείαις, ἐπιθυμίαις, οἰνοφλυγίαις, κώμοις, πότοις, καὶ ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις, *Ep. I. C. IV. c.* 3. In ista rerum facie prodiit religio Christiana, non *malitiam*, sed etiam *mali speciem* interdicens, omnem cum eiusmodi hominibus κοινωνίαν, omnem συνευδοκίαν vetans, et inculcans, ἵνα ἀρνησάμενοι τὴν ἀσέβειαν καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας, σωφρόνως καὶ δικαίως καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, *Tit. II:* 12. Si vero nulla lucem inter et tenebras, nulla CHRISTUM inter et BELIAL amicitia, aut favor ullus intercedit, facile causam investigamus, cur Philosophi, voluptatibus assueti et in iis viventes, has aegre sibi creptas tulerint, et doctrinam sanctitatis, ut σπερμολογίαν, reiecerint. Nec opus est verbis, cum adsint rerum testimonia.

CRESCENTEM videamus, quem § praeced. IUSTINO MART. infensissimum cognovimus. At qualis vir? Homo vanus et ineptus, moribus, si quis ullus, dissolutus, atque notus adeo, ut publice ad Caesarem scribere MARTYR non metuerit, *illum Philosophi nomine plane fuisse indignum.* Cynicus fuit, qui, quantum sibi indulserint, et quam parvi honestatem fecerint et decorum plerique, nemo nescit. φιλόψοφον καὶ φιλοκόμπον illum vocavit Apologista, id est, *qui strepitus populares et insolentias amabat*, libidinosae plebis adeo adulatorem, ut conviciis allatrare Christianos innocuos haud erubuerit. Sic enim in *Orat. ad Graecos* de illo TATIANUS: Κρίσκης ἦν ὁ ἐννεοτλεύσας τῇ μεγάλῃ πόλει (ita enim pro *Roma* legendum, non Μεγαλοπόλει Arcadiae civitate, videtur BUDDEO *de Ver. Rel. Chr. p.* 11.) παιδεραστείᾳ μὲν πάντας ὑπερήνεγκεν, φιλαργυρίᾳ δὲ πάνυ προσεχὴς ἦν· θανάτῳ δὲ ὁ καταφρονῶν, ἕτως αὐτὸν ἐδεδίει τὸν θάνατον, ὡς καὶ Ιξίονα, καθάπερ καὶ

 ἐμὲ,

ἐμὲ, ὃς κακῷ θανάτῳ περιβάλλειν πραγματεύσασθαι, διότι κηρύττων τὴν ἀλήθειαν λίχνως καὶ ἀπατεῶνας τὰς φιλοσόφως συνήλεγχεν. CRESCENS *Romae nidulatus, omnes puerorum nefando amore ſuperans, et auri ſacrae fami deditiſſimus fuit; mortem vero cum deſpicere videretur, adeo reformidabat, ut* IUSTINUM, *quemadmodum et Me, morti, ut malo, tradere ſtuderet,* QUIA *ille, veritatem praedicans, argueret Philoſophos voluptuoſos et impoſtores.* Non omnes tamen Cynicos abominando crimini deditos fuiſſe, ex DIOGENE, illud deteſtante, certum eſt. vid. DIOG. LAËRT. *L. VI. C.* 65.

Neque alia *Epicureorum* odii in Chriſtianos cauſa fuit; habebat enim prae reliquis ſecta Epicurea plurima doctrinae ac diſciplinae Euangelii oppoſita. A voluptatibus enim τῆς σαρκὸς, quibus (EPICURI doctrinas, ut Sadducaei SADOCI, male interpretati, qui ἓν ἔσιν ἡδέως, inquit, ἄνευ τὸ καλῶς καὶ δικαίως ζῆν. cf. CICERO *ad Div. L. XV. Ep.* 19.) adeo indulgebant, vel maxime avocabat religio, quae pro Dei et Soſpitatoris gloria, Deo ſic iubente, quasvis aerumnas potius ſubire laetos iuſſit; quin et pax illa interna, qua Chriſtiani per Spiritum S. laetabantur, toto coelo differebat a ſuavibus illis mentis aegrotantis ſomniis de tranquillitate et voluptate animi, quam ſibi fingebant, qui prae reliquis ſapiebant Epicurei. Unde mirum non eſt, Epicureos aeque ac Cynicos a religione Chriſtiana alieniſſimos fuiſſe. Iam vero CRESCENTEM qui excepit, CELSUS ſecta Epicureus fuit. Plures eiusdem nominis fuere, quos recenſere non vacat. Vid. SPENCER. ad ORIG. *L. I. contr.* CELS. *p.* 2. et IONSIUS *de Script. Hiſt. Philoſ. L. IV. p.* 332. Duos praeſertim, utrumque Epicureum, nominat ORIGENES *l. l.*, quorum alterum NERONE priorem, alterum ADRIANO poſteriorem dicit; hunc autem, de

quo iam nobis sermo, circa M. AURELII ANTONINI tempora vixisse, ex LUCIANO colligit VALESIUS, *Ep. ad* SERAVIUM (quam exhibet SPENCERUS ad ORIG. *L. VII.*) et *in Not. ad* EUSEB. *Hist. Eccl. L. VI. C.* 35. Epicureum fuisse, non Stoicum, uti male HORNIUS *Hist. Philos. L. V. C.* 4., constat ex ORIGENE *L. I. II. III.* cett., ubi passim ei Epicuri dogmata obiicit, et ex LUCIANO, qui *Pseudomantem* ideo se scripsisse ait, ut propensum erga CELSUM testaretur animum, et EPICURUM, ipsi carissimum, vindicaret; quanquam sibi ipsi aliquando minus constiterit, aut saltem Epicureismum dissimulaverit, quando cum Christianis in arenam descenderet, PLATONEM quandoque secutus, ORIG. *L. IV.* et IONS. *l. l.* — Multa sane pollebat eruditione, scripta vero, uti recte SPENCERUS *l. l.*, *ex aequo impietatem et eruditionem redolent.* Neque alia tanti in Christianos odii causa fuit LUCIANO Satyrico, itidem Epicureo, qui omnem in illos furorem effudit et calamo maledico indulsit, cuius vitam, a BURDELETIO conscriptam, notis vero eruditissimis illustratam, exhibet IO. ALB. FABRICIUS, *Biblioth. Graec. L. IV. C.* 16. *p.* 485. Num tertio seculo PORPHYRIUS ex odio egerit, ipsa viri scripta infensissima docebunt, unde haud immerito *rabidum adversus* CHRISTUM *canem* illum dixit HIERONYMUS *in Praefat. de Script. Eccles.*, quo et multi referunt, quod *Bataneotes* vocatur ab HIERON. *Praef. Epist. ad Galat.* et CHRYSOST. *in I. ad Corinth. Homil. VI.*, de quo cognomine PORPHYRII nonnulla scripsi in *Diss. mea Belgica pro defendenda religione Christiana*, *pag.* 55 *in Not.* Nempe Patres eum dixisse *Bataneoten*, qui instar *taurorum* βατανεωτῶν *Ps. XXII:* 22., petulco impetu sacra Christianorum invaserit, nonnullis placuit, vid. STEPH. LE MOYNE *not. ad var. Sacr. T. II. pag.* 607., quod eatenus admitti posse videtur, quod ad tauros

Sy-

Syriae alluserint Patres; *Bataneotes* vero dicitur, quia Bataneae, oppido Syriae, oriundus erat, colonia Tyriorum, unde saepius se *Tyrium* dixit: cf. IO. ALB. FABRIC. *Bibl. Graec. L. IV. C.* 27. § 1. *in Not.* Pro βατανεώτης legi voluit βοτανεώτης TANAQUILLUS FABER *L. I. Ep.* 64. et CLERICUS βοτανώδης, *Biblioth. Vet. et Nov. T. I. p.* 166, *qui herbis tantum viridis vixit, carne abstinens.* Βιοθάνατος, *Suicida*, legit WESSELING. *Probabil. C. IV. p.* 35, et SIRMONDUS βαλανεώτης, *curiosus balneator.* Neque causa odii latet. Christianorum doctrina tum temporis indies latius se diffundebat, nec ullis artibus, aut persecutionibus opprimebatur, decrescebat autem ethnicorum religio, quod aegerrime tulerunt philosophi, qui suam evilescere auctoritatem vix ferentes, eo nomine ardentissimi ethnicismi promachi evadebant. Num vero huc accesserit, quod primo quidem PORPHYRIUS Christianus fuerit, sed ob praviſſimos mores a Christianis Caesareae verberatus, iniuriam haud ferens et atra bile percitus, religionem mutaverit, a quo tempore ad convicia et calumnias animum appulerit, pro certo adfirmare non audeo: legendi tamen SOCRATES, *Hist. Eccl. L. III. C.* 23., NICEPHORUS, *Hist. Eccl. L. X. C.* 36., AUGUSTIN., *de Civ. Dei, L. X. C.* 28., et CAVE, *Hist. Litt. Script. Eccles. Sec. III. p.* 78. Vitam viri a LUCA HOLSTENIO conscriptam dabit laudatus FABRICIUS, *Bibl. Gr. L. IV. p.* 207.

§ 4.

Finem dicendi haud invenirem, si, quo pede coepi, ad singulos, qui animum Christianismo infensissimum testati sunt, transirem, atque uniuscuiusque odii causas investigarem. Quis non novit HIEROCLEM,

CLEM, Bithyniae primum ex Vicario Praefectum, dein Alexandriae praefectum? qui non scriptis tantum Christianos aggressus, sed et gravissimae vexationis auctor fuit, et omnem, quam habuit, potestatem et auctoritatem in Christianorum perniciem convertit, adiutus a philosopho quodam in *Bithynia*, *verum ita vitioso*, *ut non minus avaritia*, *quam libidine arderet.* Sunt verba LACTANTII, *Divin. Instit. L. III. C.* 2.

Cui non nota LIBANII foeda superstitio? quae ex una Μονῳδίᾳ εἰς Ἰουλιανόν, sive *Oratione in caedem* IULIANI constat, *Opp. T. II. fol.* 253. *Edit.* CLAUD. MORELLI, *Paris.* 1627. Quem avita superstitione ac pro gentilismo partium studio vicit ipse IULIANUS, doctrina et ingenio ceteroquin praeclarus.

Aut quem fugit, ex sola in crescentem magis Christianismum invidia, ac paganismi iam demorientis favore scripsisse OLYMPIODORUM, et ZOSIMUM, factionibus politicis insuper occoecatos et causae suae consulentes?

Hoc unum addo, veteribus et recentioris aevi Philosophis praecipuam etiam odii in religionem Christianam causam, et calumniandi ansam fuisse nimiam φιλαυτίαν, et, quod commune Philosophorum vitium fuit, arrogantiam, qua, Iudaeorum Scribis et Pharisaeis similes, aegerrime ferebant amissam suam celebritatem atque auctoritatem, suasque scholas desertas, neglectas, plebeiis et idiotis derisas, non clarissimorum, aut facundissimorum, qui novas scholas erigebant, philosophorum sollertia atque subtilitate, sed exoticorum et barbarorum, quos flocci pendebant, conatibus, qui omnem avitam religionem, vitam et mores, omnem denique Philosophiae laudem devastabant, ξένων δαιμονίων καταγγελεῖς, *Act. XVII:* 18. Hinc usque in Seculum VI tum *Platonici*, quos inter PROCLUS, cuius vitam edidit MARINUS NEAPOLITA-

TANUS, tum Stoici, quos inter DAMASCIUS, quem alii tamen Peripateticis annumerant, Euangelium allatrarunt, uti et ab initio Athenis Stoicos cum Epicureis contra PAULUM feciſſe teſtis eſt LUCAS. Sic enim tulit occaſio; nam Epicurei, vitae commoda ſectantes, in foris erant frequentes, nec longe inde aberant Stoici, dum haec ante forum peragebantur Eretriacum, ubi erat illa στοὰ ποικίλη, in qua ſuas inſtituere hi ſolebant diſſertationes. Atque haec una mihi ratio fuiſſe videtur, cur non et Platonici ſe PAULO oppoſuerint, quod nempe longius a ſcena remoti fuerint, non vero, quod alii exiſtimant, quia ad Euangelii doctrinam propius accederent Platonica dogmata, quae, ſi accuratius conſiderentur, atque, prout cuncta cohaereant, ſpectentur, toto coelo a vere Chriſtiana doctrina diſtant, etſi primo obtutu in quibusdam paulo propius ad coeleſtem veritatem accedere videantur. Rectiſſime enim SEILER, *L. L. p.* 24. *in Not.* obſervat, Platonicos quidem, ut et puriores Socraticos *ſummum aliquod Numen* agnoviſſe, ſed per ſua de Daemonibus dogmata Polytheiſmo maxime faviſſe. Sic de *anima mundi* philoſophemata nil niſi ſubtiliorem Polytheiſmum introducebant. Et Daemones Platonis ex Deo emanantes pro creatoribus mundi viſibilis et materialis habebantur, quos, ut Deos minores, colere fas erat. Varia in PLATONIS *Timaeo* loca hanc magno viro ſententiam fuiſſe demonſtrant. Cf. CUDWORTH *Syſth. Intellect. C. IV.* § 23. Neoplatonicos, PLOTINUM, IAMBLICHUM, alios, magis adhuc ſuperſtitioni faviſſe et Chriſtianismo ſe oppoſuiſſe ex hiſtoria Philoſophica clariſſimum. conf. cl. DID. TIEDEMANNI *Genius Philoſophiae ſpeculativae. L. III. C.* 10.

Atque haec, primo hoc Capite, ſufficiant ad demonſtrandum *in genere*, quantillum veritati noceant obtrectationes et convicia, quae, Iudaeorum inſtar, ex

coeco partium ſtudio, arrogantia, ſuperſtitione, ac libidinoſa voluptate, uno verbo, quae odio et invidia profluxerunt; iam ſequenti Capite ad ſpecialiora tranſituri per partes evincemus, nihil ab odioſis illis Gentilium Philoſophis unquam fuiſſe prolatum, quo Euangelica veritas labefactari, aut fides Chriſtiana infirmari poterit.

CAPUT II.

§ I.

Ad ſpeciales iam nonnullorum obtrectationes, paulo accuratius examinandas, ut ordine quodam progrediamur, ſeriem temporis, quo vixere, et in veritatem calamum ſtrinxere infeſtiſſimi religionis Chriſtianae hoſtes, ſequemur, ac, quam lubrica, futilia et irrita ſint, quaecumque livor et maleſanus erroris et impietatis amor protulit, demonſtrabimus.

Omnium itaque primus PAULUS, Apoſtolus ille diligentiſſimus, quam parum doctrina de CHRISTO Philoſophis ad palatum eſſet, expertus eſt Athenis, alma tum eruditionis ſede et φιλοσοφίας nutrice, uti Cap. I. diximus. At vero, quid in religionem attulerunt Stoici et Epicurei, quod homine Philoſopho dignum? Omnino nihil. Irrident, conviciantur, σπερμολόγον dicunt Apoſtolum, atque, quod tanto ardore repudiant, adeo parum habent perſpectum, ut IESUM, et *Reſurrectionem*, de quibus pro more egit ille, duo ξένα δαιμόνια eſſe putent, quo Apoſtolum neci tradere voluiſſe videntur; SOCRATI enim crimini ducebatur, quod καινὰ δαιμόνια εἰσφέροι, *novos Deos introduceret*, XENOPH. *Apol.* SOCR. *p.* 555, aut, uti eſt apud PLUTARCHUM, *L. I. de fortuna Alex.* ipſis noſtris ver-

verbis ξένα δαιμόνια; forte somniantes τὴν Ἀνάϛασιν Deam quandam esse, IESU uxorem vel filiam, (de quo tamen nonnulli Interpretum dubitant: de *Dea* cogitant quidem ALEX. MORUS *Not. ad N. T. p.* 96., SELDENUS *de Diis Syr. p.* 33.: negant BENTLEY *de Stult. Atheismi Conc. II.* et IO. WILH. DE NEVE *Diss. de Epic. et Stoic. Christianismo intentatis conviciis.* 1708. per ἐν διὰ δυοῖν pro Ἰησοῦν ἀνεϛηκότα dictum fuisse putat OLEARIUS *de Stylo N. T.* § 15.) saltem Philosophorum fastuoso titulo erant indignissimi, qui, cum rationibus non possent, contumeliis et clamoribus vincere studebant. A scopo tamen aberrabant; nihil enim cum afferrent, quo PAULUM refutarent, illius doctrina adeo placuit Athenienſibus, ut bene multi illi auscultarent et Christianismum profiterentur, quos inter spectatissima matrona DAMARIS, et Areopagitarum numero adscriptus DIONYSIUS, vir clarissimus.

Neque solidiora protulit impudens ille CRESCENS, de quo pluribus IUSTINUS M. in *Apologia II*, quam quidem Senatui inscriptam legimus πρὸς τὴν Ῥωμαίων σύγκλητον, sed et ad Imperatorem scriptam fuisse inde contra PIERE HALLOIX probavit VALESIUS, *ad* EUSEB. *H. E. L. IV. C.* 17, quod saepius in ea Imperatorem alloquatur; utrum vero eligas, fidei dignum esse MARTYREM, in iis, quae de CRESCENTE dicat, facile constat, non profecto illud ausurum, si mendacii convinci potuisset, nec scripti rationem reddere potuisset.

At qualis iam ille CRESCENS? ita IUSTINUS: Καὶ γὰρ προταθέντα με καὶ ἐρωτήσαντα αὐτὸν ἐρωτήσεις τινὰς τοιαύτας, καὶ μαθεῖν, καὶ ἐλέγξαι, ὅτι ἀληθῶς μηδὲν ἐπίσταται, εἰδέναι ὑμᾶς βούλομαι. *Hoc enim vos scire velim, me, cum quaestiones huius generis quasdam illi proposuissem, cognovisse atque demonstravisse, hominem profecto nihil scire.* Ne vero nimium dixisse de homine

inepto videatur, ita pergit: καὶ ὅτι ἀληθῆ λέγω, εἰ μὴ ἀνηνέχθησαν ὑμῖν αἱ κοινωνίαι τῶν λόγων, ἕτοιμος καὶ ἐφ' ὑμῶν κοινωνεῖν τῶν ἐρωτήσεων πάλιν. βασιλικὸν δ' ἂν καὶ τοῦτο ἔργον εἴη. *Ut autem vera esse probem, quae dixi, si ad vos colloquia disputationum eiusmodi relata non sunt, paratus sum adhuc cum eo apud vos de eisdem quaestionibus de novo sermonem conferre, quod profecto opus esset, Imperatore dignum.* εἰ δὲ καὶ ἐγνώσθησαν ὑμῖν αἱ ἐρωτήσεις μου καὶ αἱ ἐκείνου ἀποκρίσεις, φανερὸν ὑμῖν ἐστιν, ὅτι οὐδὲν (τῶν ἡμετέρων) ἐπίσταται, ἢ εἰ καὶ ἐπίσαται διὰ τοὺς ἀκούοντας δὲ οὐ τολμᾷ λέγειν ὁμοίως Σωκράτει, ὡς προέφην οὐ φιλόσοφος, ἀλλὰ φιλόδοξος ἀνὴρ δείκνυται. *Sin vero cognitae vobis sint interrogationes meae atque illius responsa, perspicuum vobis est, nihil eum prorsus in rebus nostris scire, aut, si scit, propter auditores eloqui non audere, quo minus* SOCRATIS *imitetur exemplum. Nam, sicut antea dixi, non sapientiae amatorem, sed vanae gloriae aucupatorem se homo iste declarat.* Haec tam cordate, tam aperte dicta si consideremus, certe nihil de tali oblatratore exspectandum censebimus, unde Christiana religio aliquid detrimenti obveniat, praesertim, cum non solum ineptus fuerit et rerum nescius, sed et ignobilis et malae fidei, unde merito MARTYR: εἴτε γὰρ μὴ ἐντυχὼν τοῖς τοῦ χριστοῦ διδάγμασι, κατατρέχει ἡμῶν, παμπονηρός ἐστι καὶ ἰδιωτῶν πολὺ χείρων, οἳ φυλάττονται πολλάκις περὶ ὧν οὐκ ἐπίστανται διαλέγεσθαι καὶ ψευδομαρτυρεῖν. ἢ εἰ ἐντυχὼν τῷ ἐν αὐτοῖς μεγαλείῳ οὐ συνεὶς, πρὸς τὸ μὴ ὑποπτευθῆναι τοιοῦτος, ταῦτα ποιεῖ, πολὺ μᾶλλον ἀγενὴς καὶ παμπόνηρος, ἰδιωτικῆς, καὶ ἀλόγου δόξης, καὶ φόβου ἐλάττων ὤν. *Si enim, cum doctrinam* CHRISTI *haud legerit, nos proscindit, nequissimus est et Idiotis multo deterior, qui saepe cavent de rebus, quas ignorant, loqui, aut falsa testari. Sin vero aut ma-*

maiestatem huius doctrinae attigerit, aut intellexerit, et ne forte ipse pro Christiano habeatur, ista facit, longe adhuc ignavior est et nequitior, et absurdis ac irrationalibus opinionibus ac metu inferior. Non opus est addere plura; cognoscit Lector, non inveniisse CRESCENTEM, quod iure religioni Christianae exprobrari posset, ideo tantum illi invisae, quia pravis et impuris Cynicorum moribus haud conveniret; malignum ergo et impotentem simul prodidit animum, dum atheismum et impietatem Christianis obiecit, quod sollemne Philosophorum fuisse convicium ex ATHENAGORAE *Apologia pro Christ.* constat, sed quod adeo absonum et omni veri speciei contrarium, ut diutius iis inhaerere non ausim. Nec, quod IUSTINO reponeret, habuit CRESCENS, quod ni ita fuisset, tam palam profiteri certe veritus fuisset Apologista, unde, quia erroris convincere Christianos non posset, calumniis Magistratum in virum innocentem, sibi doctrina et moribus superiorem, concitavit, illique tristissimae mortis causa exstitit; cf. EUSEB. *H. E. L. IV. C.* 16., sapientissimis Euangelii monitis ineptam ἀδιαφορίαν praeferens, quae nec bonis, nec malis, quae religio CHRISTI promittit, aut comminatur, moveri se patiebatur, cum illius sectae Philosophis cuncta essent ἀδιάφορα. Ita enim IUSTINUS: Ἀδύνατον, inquit, Κυνικῷ ἀδιάφορον τὸ τέλος προεμένῳ, τὸ ἀγαθὸν εἰδέναι, πλὴν ἀδιαφορίας. *Impossibile est homini Cynico, qui indifferentiam pro ultimo fine habet, aliud nosse bonum, quam indifferentias.*

Quid praeter ea, quae diximus, Christianis obiecerit CRESCENS, temporum iniuria delevit, nec pondus habuisse, ex ante dictis intelligi potest. At forte meliora dabit CELSUS?

§ 2.

Hic certe pari cum CRESCENTE odio in Christianos ingenium iunxit omni disciplinarum copia instructissimum, unde recte GUIL. SPENCERUS *in Not. ad L. I.* ORIG. *contra* CELS. *Vides*, inquit, *qualem et quantum religionis Christianae adversarium ardor gloriae et daemonum malevolentia suscitavit; adversarium ingenio praeditum, disciplinis excultum, instructum philosophia, eloquentia ornatum, historicis versatissimum et omnigena rei litterariae copia locupletatum: quibus omnibus accessit livor, qui linguam exacuit, et totas ingenii vires veneno infecit, velut effluentem Nessi cruorem ebibisset.* De tali viro magnos ausus exspectemus; verum enim vero quam parum noceant irrita viri conamina, iam videbimus.

Iudaeis pariter ac Christianis oppositus opus magnum, in duo tomos divisum, lectu (ait SPENCERUS) iucundissimum, et ad philosophorum ac Christianorum lites cognoscendas apprime factum, cui Λόγος ἀληθὴς titulum praefecit, παυσργίᾳ callidissima serioribus ac nostris etiam temporibus artem tradens fumum lectoribus vendendi ornatissimis pessimorum librorum titulis. Sic nempe, Seculo V, Λόγοι φιλαλήθεις conscripsit HIEROCLES, et postea TINDAL Christianam religionem impugnavit sub titulo *Christianity as old as the creation*, et DE LA SERRE sub illo *La vraie religion demontrée par l'Ecriture sainte*, et quam scite recentiores Sociniani et Neo-ariani, nostro etiam tempore, Germanicae Unionis, quae dicitur, patroni STEINBART, RIEM, BAHRDT, PRIESTLEY, PURGOLD, alii, hanc artem calluerint, exemplis probavi in *Dissert. mea Belgica pro def. rel.* saepius laudata, *pag.* 208. Praeter hoc opus grandius alii duo

sub

sub nomine CELSI circumferebantur libri, itidem in Christianos; utrum vero ab eodem CELSO, aut alio eiusdem nominis, conscripti, non adeo constat; ipse dubitavit ORIGENES, qui, εἰγε, inquit, ἔτός ἐστι ὁ κατὰ χριστιανῶν ἄλλα δύο βιβλία συντάξας. *Si modo idem est ille, qui alios duos contra Christianos libros composuit.* Denique et librum *de bene vivendi praeceptis* spoponderat CELSUS, sed utrum ediderit unquam, non satis liquet. ORIGENES enim, refutatis prioribus illis, hunc nondum viderat, et AMBROSIUM, amicum, cui octo suos, quos contra CELSUM habemus, libros inscripsit, rogat, ut eum, si forte prodiisset, refutandum ad se mittat. Interea tantum abfuit, ut per ea, quae CELSUS attulit, labefactata fuerit veritas Euangelica, ut stabiliatur contra egregie, quod quidem posterius, dum sequenti Capite exemplis confirmatum dabimus, nunc ex proposito ea demonstratione erimus contenti, futilia, ac de nihilo esse, quae in Christianam religionem evomuerit, cuncta.

Nativitatem enim O. M. IESU ex virgine signata (ut de eodem, quo Sectione praecedenti, argumento ordiamur) cum calumniari vellet, nec, quo historiam dubiam redderet, quicquam haberet, aut reperiret ipse, Iudaeum quendam quasi loquentem introducit, at qualia loquentem? μειρακιωδῶς καὶ ἐδὲν φιλοσόφω πολιᾶς ἄξιον, inquit ORIGENES *L. I. fol. 22. puerilia quaedam et indigna philosophi canitie.* Narrat enim ille quasi Iudaeus, finxisse quidem IESUM (absit blasphemia!) se virgine natum, τὴν ἐκ παρθένε γένησιν, re vera autem viri Iudaici fuisse spurium. Scilicet: „ Vir quidam, faber materiarius uxorem habuit, „ pauperculam, victum manuariis operibus quaerentem, quam in adulterio deprehensam domo eiecit. „ Haec autem ita expulsa et ignominiose vagabunda

„ IE-

„ IESUM ex ſtupro clanculum peperit, qui poſtea, „ prae inopia, mercede conductus in Aegyptum ab„ iit, ubi artes quasdam Aegyptiacas edoctus in pa„ triam rediit, efflatus adeo, ut δι' αὐτὰς θεὸν αὐτὸν „ ἀνηγόρευσεν, *propter illas Deum ſe ipſe finxerit.*" Quis non CELSUM Heroem et Chriſtianiſmi profligatorem miratur? aut quis potius non ridet fabulatorem lepidiſſimum? Quid? nihil, perſona ſua dignius, contra Euangeliſtarum narrationem reperire licuit ſubtiliſſimo Philoſopho, ut Rhetorum more, vi ſtrategematis, calumniantem introducat Iudaeum? Iudaeum? CELSO adeo inviſum, ut illos πάντων ἀνθρώπων ἀνηκοτάτους, *omnium hominum ſtaltiſſimos dixerit*, ORIG. *L. IV. fol.* 189. Iudaeum? qui quanto odio perſequeretur Chriſtianos, non latuit virum, harum rerum peritiſſimum. Num ergo decuit Philoſophum eorum uti teſtimoniis, quos vera ne hac quidem in re dicere poſſe optime norat? et nonne omni dubio caret apud quemvis cordatum narratio Euangelica, cum CELSUS, vir tam eruditus, nil niſi ineptiſſima Iudaeorum, quos ipſe irridebat, commenta contra eam proferre potuerit? Quod enim ad ipſum commentum attinet; hoc inde, quod nec cum Talmudicis conviciis, nec cum תולדות conſentiat, falſitatis arguitur. Ceterum lectorem ad ea remittimus, quibus IESUM, Dominum noſtrum, non ממזר fuiſſe, contra Iudaeos, evicimus *Sect. I. C. III.* § 1., quibus addantur, quae habet ORIG. *L. I. contra* CELS. *fol.* 22.

Quod autem *de magicis artibus* addidit, non maioris eſt momenti, hoc enim ſaepius repetiviſſe CELSUM, diſcimus ex ORIG. *L. I. fol.* 30. *L. II. fol.* 81. *cett.* Sed heus tu CELSE! tuorum dogmatum tantopere obliviſcaris? Non admittebant Epicurei magicas artes, quas ridebant potius et explodebant, impo-

postores dictitantes, quicunque per eas portenta se edere posse iactitabant. Nunc vero, cum haud negari posse, nec impostoris annumerari miracula adorandi nostri servatoris videret vir acutissimus, magicas artes nominat; nunc iis portenta edi posse, nunc iis reapse edita fuisse, sibi et aliis persuadere conatur Epicureus noster Philosophus! Ceterum hic repetenda sunt, quae de IESU miraculis contra Iudaeos disputavimus *Sect. I. C. III.* § 2.

Properemus ad alia. Divinitatem Servatoris refutaturus eruditionem suam ostendit Philosophus, nec alio modo CHRISTUM a suis DEUM vocatum fuisse putat, quam quo Graecorum nonnulli *mundum* DEI FILIUM dixerint: sic enim CELSUS apud ORIG. *L. VI. fol.* 308. Ὁπόθεν δὲ καὶ αὐτὸ ἐπῆλθεν αὐτοῖς, θεοῦ υἱὸν καλεῖν, σημαίνω. ἄνδρες παλαιοὶ τὸν δὲ τὸν κόσμον, ὡς ἐκ θεοῦ γενόμενον, παῖδά τε καὶ ἤθεον προσεῖπον. πάνυ γοῦν ὅμοιος οὗτός τε κἀκεῖνος παῖς θεοῦ. *Quomodo autem iis in mentem venerit, ut vocent Dei filium, iam ostendo. Prisci mortales hunc mundum, ut a Deo factum,* Dei filium *et* Deo aequalem *dixere: pulchra vero huius et illius Dei filii similitudo.* Quid iterum inde pro confirmanda religione petendum sit, deinceps videbimus, nunc, quam parum noceant, quae scripsit, vidisse contenti. Unde enim novit CELSUS, discipulos IESU, homines Iudaeos, Galilaeos, plebeios, illiteratos ea noviisse, quae prisci Graecorum *de Mundo* philosophati fuissent, et suam de Magistro suo opinionem ab iis mutuo sumsisse? aut quo fundamento inter *mundum* et IESUM, et modum, quo hic et ille *filius Dei* alii genti, alioque seculo, dictus sit, comparationem institui posse somniavit? Iamne oblitus erat vir sagacissimus, se ipsum ex ore calumniatoris Iudaei scripsisse, IESUM magiae peritia elatum, se *pro Deo haberi* postulasse?

Certe nescivit CELSUS, quid Christianis obiiceret; Deum habere filium cuncta moderantem, negare non ausus ob PLATONIS reverentiam; fumum ergo vendidit, partium studio serviens, frivola dixit, nec quicquam attulit, quo Christianae religionis veritas aliquantulum vacillet. Cum vero clarissimae famae fuerit, singulari Numinis providentia illi se opposuit ORIGENES, ingenii et doctrinae copiis adversario non aequalis, sed longe superior, qui, VIII Libris in eum conscriptis, et CELSUM ad silentium coëgit, et aeternam sibi famam comparavit, de republica Christiana optime meritus, ac iustis elogiis honoratus ab EUSEBIO *contra* HIEROCLEM, *statim ab initio*, cui addas PET. DAN. HUËTIUM, *Origenianor. L. III. C. III. Sect. II.* § 5. *fol.* 267, quem virum doctissimum non equidem vellem, *L. I. C. II.* § 13. et *C. IV.* § 4. calumniis EPIPHANII, *Haeres. LXIV.* § 2., fidem addidisse, quem secuti sunt NUMESIUS in Epist. Synodica ad convocandos Patres Constantinopolitanos pro celebranda Syn. Oecumen. V, iussu IUSTINIANI, conscripta, aliique plures, quasi postea, minis perterritus, thura obtulisset Alexandriae. Fabulae sunt, iam diu refutatae a BARONIO *ad Ann. CCLIII. n.* 120., HALLOIX. ORIG. *defens. L. IV. Quaest.* 3., VALESIO ad EUSEB. *L. VI. C.* 39., SPANHEMIO *Introd. Mai. in H. E. T. I. fol.* 323., CAVE *Antiq. Patr. T. I. fol.* 453. IO. AND. SCHMIDIO *Exercit. Hist. Eccl. de lapsu* ORIGENIS, *Helmst.* A. MDCCIV. CETT. Non enim tempore DECII, aut ORIGENES Alexandriae fuit, aut etiam DEMETRIUS, a quo excommunicatus fuisse fertur, cum DIONYSIUS, tertius ab illo, tum Episcopus Alexandrinus fuerit, unde et in ALEX. SEVERI tempora thuris oblationem istam reiicit HUËTIUS, *L. I. C.* 43., sub quo, mitissimo Principe, nemini Christianorum vis illata fuit, nam Martyrologia, quae affert vir clariss.

riſſ., ſunt ſubleſtae fidei; ante omnes, Praefecti, quin maligniſſimi, abſtinuiſſent ab ORIGENE, qui tantam gratiam inibat apud MAMMAEAM, Imperatoris matrem. Sibi ipſe obloquitur EPIPHANIUS, cum refert, ORIGENEM, non obſtante lapſu et excommunicatione, ab Eccleſiarum Palaeſtinarum antiſtitibus cum applauſu receptum et in cathedram eccleſiaſticam, renitente ipſo, protruſum, quod quam longiſſime ab Eccleſiae antiquae diſciplina abhorreat, quisque videt, qui rerum Eccleſiaſticarum non plane hoſpes eſt. Non tacuiſſent lapſum, ſi verus fuiſſet, EUSEBIUS, RUFFINUS, aliique iſtius temporis Hiſtorici fide digni, non poſtea tacuiſſent HIERON. et THEOPHILUS, ἄσπονδοι nominis Origeniani hoſtes et EPIPHANII aequales, non denique PORPHYRIUS, aliorum impudentiſſimus calumniator. Ne addam magnanimi viri conſtantiam et propter CHRISTUM tolerantiam, de qua EUSEB. *L. VI. C.* 2., ut et imminens ſtuprum per ἀιθίοπα a veri ſpecie et Alexandrinorum moribus alienum, cum ORIGENEM ad agendum impotens, ad patiendum nimis ſenex eſſet. Auſugit quidem Alexandria, ut DEMETRII furorem evitaret, non vero thuris oblati poenam luens, ſed Epiſcopi furori cedens ORIGENIS applauſu offenſi, qua de re ipſe noſter Apologeticam ſcripſit epiſtolam, quam HIERON. legit, nihil habens, quod exciperet, licet noſtro eſſet infenſiſſimus, et quae Apologia in cauſa fuit, cur honorifice adeo a Palaeſtinis, ſenis noſtri miſertis et DEMETRII arrogantiam deteſtantibus, fuerit receptus. Fabula ergo eſt, quicquid de tanto noſtri lapſu narretur, non EPIPHANII libro ſuppoſita a Synodicae Epiſtolae ſcriptore, uti BARON. et HALLOIX ſuſpicantur, ſed ab ipſo EPIPHANIO illo profecta, cuius immoderati erga ORIGENEM affectus notiſſimi ſunt, HIERON., THEOPHILUM, et monachos Anthropomorphitas

in suas partes trahentis, qui non tantum in illum scriberent, sed et illius asseclas gladio et igne persequerentur. Quid porro contra virum, iam diu defunctum, in Concilio diocaesiano egerit, quosque motus dein Constantinopoli moverit, mansueto CHRYSOSTOMO molestissimus, ex Historia Ecclesiastica notum, donec desperato successu ex urbe, et in ipso itinere ex vita migravit, IUSTINIANO Imp. et Patribus Conc. Oecum. V odii istius abominandi haeredibus.

Origenistas erroneos et petulantes ab Ecclesiae censuris non defendo, omnino vero ORIGENEM, quod in transitu hoc loco notare necesse iudico, ne quis veritatis defensoris, ac CELSI victoris laudibus detrectet per calumnias, quae ex EPIPHANII odio theologico, affectibus suis nimis indulgentis, ortum habuerunt. Conf. H. W. BIEL, *Hist. Sec. III. variorum fabulis maculata*, *Helmst.* 1709. et IO. ANDREAE SCHMIDI *Diss. de Lapsu* ORIGENIS.

§ 3.

CELSO omnino iungendus LUCIANUS Samosatensis, non tantum, quia eodem cum illo vixit tempore, sed quia CELSI amicissimus atque illius laudis praeco fuit. Ipse enim *Pseudomantem* se ideo scripsisse testatur, ut propensi erga CELSUM animi daret τεκμήριον, et EPICURUM defenderet. Nempe utriusque mores erant simillimi, et eidem sectae Philosophicae nomen dederunt. Hinc ita de EPICURO scribit ad CELSUM in *Pseudom.* Τὸ πλέον δὲ, ὅπερ καὶ σοὶ ἥδιον, Ἐπικούρῳ λιμωρῶν, ἀνδρὶ ὡς ἀληθῶς ἱερῷ καὶ θεσπεσίῳ τὴν φύσιν καὶ μόνῳ μετ' ἀληθείας τὰ καλὰ ἐγνωκότι καὶ παραδεδωκότι, καὶ ἐλευθερωτῇ τῶν ὁμιλεσάντων αὐτῷ γενομένῳ. *Tum etiam, quippe quod tibi iucundius, ut* EPICURUM *ulciscar,*

ſcar, virum vere ſacrum, ingenioque divino, quique, quae vere honeſta ſint, noverit et tradiderit ſolus, eosque, qui conſuetudinem cum ipſo habebant, reddidit liberos. Et de ipſo CELSO: Σοὶ (inquit) ἀνδρὶ ἑταίρῳ καὶ φίλῳ, καὶ ἐν ἐμοὶ πάντων μάλιστα θαυμάσας ἔχω, ἐπί τε σοφίᾳ, καὶ ΤΩι ΠΡΟΣ ΑΛΗΘΕΙΑΝ ΕΡΩΤΙ, καὶ τρόπῳ πραότητι, καὶ ἐπιεικείᾳ, καὶ γαλήνῃ βίου, καὶ δεξιότητι πρὸς τὲς συνόντας. *Tibi, viro familiari et amico et quem ego omnium maxime ſuſpicio, et propter ſapientiam* VERITATISQUE STUDIUM, *morumque manſuetudinem et moderationem, et ob vitae tranquillitatem et erga familiares humanitatem.*

Quibus verbis τῷ πρὸς ἀλήθειαν ἔρωτι LUCIANUM ad ipſum illud CELSI opus, cui λόγε ἀληθὲς titulum praefixit (et de quo§ praeced.) reſpexiſſe, ſuſpicatur H. VALESIUS in *Epiſt. Laud. Sect. II. C. I.* § 3, qua in re rectiſſime illum iudicaſſe, equidem exiſtimo.

Quid vero egit LUCIANUS, ex quo timendum foret religioni Chriſtianae? omnino nihil. Quicquid enim dixit in *Dialogo*, cui titulus περὶ τῦ Περεγρίνε τελευτῆς, *Opp. T. II. fol.* 558. Ed. Amſt. MDCLXXXVII de *mirabili Chriſtianorum ſapientia*, de illorum φιλαδελφίᾳ, *omnium rerum*, imino *mortis contemtu* &c., talia ſunt, aut talibus permixta, ut per ea religionis noſtrae veritas confirmetur maxime, minime autem labefactetur.

Verum iſta dum in ſequens Caput reiicimus, in praeſenti haec notaſſe ſufficiat, quod ille, quo praeditus eſſet ingenio, Satyricus, quicquid ei diſpliceret in quorumvis Philoſophorum dictis et factis, ridere ſoleret, atque adeo non ita ex inſtituto, ſed re ita ferente, acriter in Chriſtianos ingenio maledico indulſerit. Illum enim in quibusdam Dialogi locis plures blaſphemias in CHRISTUM dixiſſe, quae a Chriſtianis poſtea ſublatae fuere, exiſtimat quidem TANA-

QUILLUS FABER, non vero constat. Quod vero dicit LUCIANUS, „adeo incautos esse Christianos et citra „ fidem accuratam cuncta recipientes, ut, si quis ad „ illos veniat praestigiator et versutus, rebusque ge„ rendis appositus, hic, fuco simplicibus hominibus „ facto, brevi admodum ditescere possit," nihil facit ad evertendam religionem Christianam; multos enim fuisse simpliciores homines, facile in rebus, praesertim mundanis, ab impostoribus fallendos, haud quidem negamus; at vero, quid sentiendum est de plebe Ethnicorum, dolis et impostoris vatum et sacrificulorum suorum identidem decepta? cuius rei indicia ex oraculis veterum plurima dedit A. VAN DALE, quem, si non in omnibus sequaris, (sequendum enim in omnibus, minime duco) in multis tamen, immo plerisque nec licet deserere. Non quaeritur de Christianis ipsis; non, utrum nebulonibus et falsis aliquando doctoribus, qui, zelum et pietatem mentiti, sua tantum, non quae CHRISTI sunt, spectabant, faciliores fuerint, de quo ipse PAULUS Apostolus Corinthios et Galatas multa monuit? sed utrum *ipsa religio Euangelica*, et historia vitae, mortis et gloriae IESU O. M., et dogmata super eam fundata, vera sint et omni exceptione maiora? Cuius contrarium nec LUCIANUS, nec ullus alius, demonstravit. Ceterum, non omnes ad unum Christianos adeo fuisse rudes et homines nihili, ex metu, quem Ethnicis iniecerunt, ex doctissimorum Patrum Apologiis, et ex ipso, quod CELSO, LUCIANI ἑταίρῳ, opposuit ORIGENES, doctissimo opere, scivit noster, unde et hoc non diutius nos detinebit, hoc unum si exceperis, nihil, nisi (si bene perspiciatur) quod admodum honorificum sit Christianis, attulisse LUCIANUM, de quo plura in sequentibus, ubi et de iis, quae in *Philopatro* exstant, disseremus.

Fi-

Finem huic § imponerem, nisi verbulo notasse e re fore iudicassem, inter *illius*, id est *secundi* seculi, Philosophos unum adhuc, alterumve fuisse, qui, non itidem ex professo et ratiociniis, sed in transitu quasi, et conviciis, odium suum in Christianos testati fuerint. Ita enim ARRIANUS, EPICTETI discipulus, et Philosophus clari nominis, eos invisо *Galilaeorum* nomine appellat, et ὑπὸ μανίας ἢ ὑπὸ ἔθους *ex insania aut consuetudine* illorum ad rogum usque constantiam derivat. *Diss. in* EPICTET. *L. IV. C.* 7. Cf. cl. I. F. BUDDEI *Diss. de orig. dignitate et usu nominis Christiani.* § 17. Quin ipse non infimae laudis Imperator et Philosophus M. AUREL. ANTONINUS, *De se ipso ad se ipsum L. XI.* § 3., eorum in subeundo martyrio fortitudinem ψιλὴν παράταξιν *meram obstinationem* vocat, quae non oriebatur ἀπὸ τῆς ἰδικῆς κρίσεως, *ex cuiusvis proprio iudicio.* Sed quam parum faciant eiusmodi convicia ad evertendam *ipsius religionis* veritatem, ex ante dictis constat, et cuivis bono facile patebit.

§ 4.

Pervenimus ad Seculum *tertium*, ubi omnium primus nobis occurrit PORPHYRIUS ille, de quo, atque infestissimi in Christianam religionem odii causis iam quaedam notavi *huius Sectionis Cap. I.* § 3., gente Tyrius, ibique *Malchus* dictus, quod nomen, *Regem* significans, Graeco nomine πορφύριος, a vestitu regio desumto, mutavit. Philosophicis studiis Athenis primum a LONGINO, Romae deinceps a PLOTINO, cuius vitam conscripsit, imbutus. Natus fuit A.D. CCXXXIII, mortuus Romae septuagenario, uti videtur, maior. Libros XV edidit sub titulo κατὰ χριστιανῶν, *contra Christianos*, quos male BARONIUS in Bithynia, recte vero HOLSTENIUS, l.l. in Sicilia scriptos affirmat.

Re-

Responsum tulit a METHODIO, postremum Tyri Episcopo, teste HIERON. ad MAGNUM *Ep.* 83. nitidum compositumque sermonem laudante. Accessit EUSEBIUS, qui in PORPHYRIUM XXX libros conscripsit, quorum XX tantum viderat HIERONYMUS, *Ep.* 81. Denique item XXX libros APOLLINARIUS Laodiceno-Syriae Episcopus. ID. *Ep.* 104. In numero librorum paulum a se ipso differt HIERON. *Ep.* 84. *Scripserunt contra nos* (inquit) CELSUS *atque* PORPHYRIUS: *priori* ORIGENES, *alteri* METHODIUS, EUSEBIUS et APOLLINARIUS *fortissime responderunt, quorum* METHODIUS *usque ad decem millia procedit versuum:* EUSEBIUS et APOLLINARIUS *quinque et triginta volumina condiderunt.* Ceteris palmam praeripuisse APOLLINARIUM, testatur PHILOSTORGIUS *Hist. Eccl. L. VIII. C.* 14. et *L. X. C.* 10, ut et VINCENTIUS LERINENSIS *Commonitor. Cap. XIV. p.* 228, qui maximopere illum collaudat; quod vero LUCIUS DEXTER (auctor est Ψευδόνυμος) *in Chronico ad Ann.* CCCX triginta Scriptores adversus PORPHYRII blasphemias scripsisse ait, erroris convicit IAC. GOTHOFREDUS *ad* PHILOSTORGII *Hist. Eccl. fol.* 349.

Atque adeo plures de iis, qui PORPHYRIUM refutarunt, enumerare, necesse duximus, quo constaret, nihil ab eo ad labefactandam veritatem Christianam in medium fuisse prolatum, quod non a pluribus ex doctissimis et sollertissimis Ecclesiae Patribus refutari potuit. Ceterum quid proprie attulerit, non adeo liquet, cum totum quantum PORPHYRII opus, una cum Patrum refutationibus, temporum iniuria, perierit. Quod ne ob rerum pondera per Christianos, metu detectae fraudis, effectum esse, ullus statuet, cavit Deus sapientissimus et veritatis suae per omne tempus vindex et patronus invictissimus. Supersunt enim, pauca licet, aliquot operis Porphyriani fragmenta, hic illic apud EUSEBIUM, HIERONYMUM, aliosque ob-

obvia, quae omnia accurate collegit HOLSTENIUS, *l.l. C.* II. *p.* 274, unde quam exigui ponderis fuerint quaevis PORPHYRII obiectiones, nemo est, qui non videat.

Verbi causa; *Libro I* probare studuit, in Sac. script. esse contradictiones, atque adeo illam a Deo non esse profectam, quibus vestigiis seriori aevo non solus eum secutus est B. DE SPINOZA, in *Tract. theol. polit. de libertate philosophandi*, sed omnes fere ii, qui sub Deistarum, aut alio quovis nomine S. scripturae auctoritatem impugnare voluerunt. Magna verba audis, Lector! at, quaenam sunt istae contradictiones, PORPHYRI? — Provocat ad *Galat. II:* 11, ubi PAULUS se PETRO in faciem restitisse memorat, unde colligit: „ Ergo Apostolos suae potius quemque gloriae, „ quam hominum saluti studuisse, contra id, quod „ saepius alibi de se ipsis testantur". — Sed unde probabit adversarius, PAULUM suae ipsius gloriae hic consuluisse, ubi nullum huius rei exstat vestigium? Veritatis causa fecit, quae fecit, dum PETRUS Iudaeis, rigorem legis urgentibus, ex nimia timiditate, cessit, humani nihil a se alienum esse ostendens. Ceterum, non est, quod huic obiectioni inhaereamus diu; quid enim ad illam responderi debeat, in compendio dedit illustriss. noster GROTIUS, *de verit. rel. Christ. L. III.* § 13., et eodem fere tempore e Maioribus nostris Cl. IOANNES SCHARPIUS, apud Diënses in Delfinatu Professor et Rector Magnif. perpetuus, *de Symphonia Prophetarum et Apostolorum*, quibus cunctos veritatis defensores iungas, qui Deistis sese opposuerunt, in quibus praecipui ABBADIE, LELAND, SCHEUCHZER, LILIENTHAL, et novissime HAMELSVELDIUS in *Defens. Bibl.*, et passim, qui rem Theologicam tractarunt.

Libro III in *Interpretibus* invenire ſtudet, quod fruſtra in *S. Scriptura* quaeſiverat, nec inveniens, quod iure reprehendat, maledicentia illis obtrectat, inprimis ORIGENI, qui ob reportatam de CELSO olim victoriam peſſime apud illum audiebat, et cuius allegorias acerrime perſtrinxit, atque (verbis utor EUSEBII) ἀπορίᾳ λόγων ἐπὶ τὸ λοιδορεῖν τρέπεται, καὶ τὰς ἐξηγητὰς διαβάλλει, *rationum inopia ad calumniandum et interpretes perſtringendum convertitur.* Non probamus ipſi, ſaltem in plerisque, ORIGENIS, ceteroquin viri doctiſſimi, allegorias et ſcripturas interpretandi rationem, nec probarunt aequales, ſed qui in ſcripturam (quod faciunt plerique) nihil afferunt, praeter nonnullorum interpretum naevos et errores, virium ſuarum imbecillitatis convicti, Chriſtianis veris, doctis, piis, victoriae palmas tradunt ipſi, quod qui non ſentit, ignorat cum ignorantiſſimis.

Libro IV Hiſtoriam Moſaicam et antiquitatem Iudaicam tractat; illum vero eandem veritatem, quam inſectabatur, mirifice confirmaſſe, ſequenti Capite docebimus.

Libro XII et XIII (de reliquis nihil habemus apud veteres) acerrime in DANIELEM calamum ſtrinxit, eo quod „ſuppoſitum eſſe illius librum contendit, ſub „ ANTIOCHO EPIPHANE ab impoſtore quodam Iudaeo „ confictum, qui res antea geſtas ut futuras, ſub no„ mine DANIELIS, conſcripſerit, reliqua autem, quae „ vere futura eſſent, atque adeo ſibi ignota, incer„ tis falſisque vaticiniis praenuntiaſſet.“ At quibus argumentis hoc ſuum commentum probare poteſt hic noſter Antagoniſta? Si res ad ANTIOCHUM usque, quas praedixit vates, tam luculenter deſcripſerit, et non *futura*, ſed *praeterita* narrare, non *vatis*, ſed *Hiſtorici* ſit, honorificum hoc utique DANIELI noſtro, minime vero ſuppoſitum eſſe illius vaticinium demon-

monstrat, eo minus, cum totus quantus falsus sit PORPHYRIUS. Auctorem vere futura falsis et incertis vaticiniis praenunciasse clamitat; nihil enim certius experientia constat, quam omnibus iis, quae DANIEL vaticinatus est, et quae *longe ultra* tempora EPIPHANIS excurrunt, eventum historicum quam accuratissime respondisse, quod vel unicum de LXX hebdomadibus, tempore adventus Messiae, oraculum vel minus attendenti comprobat. Rectissime ergo HIERONYMUS, *in Praefat. Comm. in* DAN. *Tanta*, inquit, *dictorum fides fuit, ut propheta incredulis hominibus non videatur futura dixisse, sed narrasse praeterita.* Quod vero ad rem ipsam; huncce librum vere a DANIELE, non vero ab alio quodam, tempore ANTIOCHI EPIPH., fuisse compositum, solidissimis argumentis ex istius vaticinii Interpretibus, Cl. ALPHENIO, VOS, SCHUTTE, KLINKENBERGIO, HAMELSVELDIO, S. CHANDLERO, et aliis bene multis, evinci potest, uti iam antea egregie factum fuit a PET. DAN HUETIO *Demonstr. Euang. Prop. IV. p.* 403., et CARPZOVIO *Critica V. T. T. II. Part. III. C. VI.* § 3. *p.* 242. Atque ista de PORPHYRIO.

§ 5.

Tempore aequalis, atque eodem in Christianos animo fuit PHILOSTRATUS, cuius nova prodiit editio Lipsiae anno huius seculi nono, ac de quo multa scripserunt HUETIUS, *Demonstr. Euang. Prop. IX. C.* 147. *fol.* 650-655., I. F. BUDDEUS *Diss. de verit. rel. Chr.* § 10, 11. *p.* 59-74., Cl. HOFSTEDE, *Byzonderh. der H. S. T. II. p.* 57-60., *ipsemet in Dissert. Belgica*, saepius laudata, *p.* 26 *in Notis.*

Lemnius fuit, non Athenienſis, docentibus EUNAPIO, HESYCHIO, et SUIDA; vixit ad finem Sec. II, et initio Sec. III, tempore SEVERI, qui ab A. CXCIII

usque ad CCXII imperii habenas tenuit, ac PROCLUM *Naucratitam*, DAMIANUM *Ephesinum* et HIPPODROMUM *Larissaeum*, Sophistas, habuit praeceptores, ac primum quidem Athenis, postea Romae artem oratoriam docuit variis scriptis clarus.

Praecipuum illius opus, et quod ad nostrum institutum propius pertinet, illud est, quod *de vita* APOLLONII *Tyanensis*, *Pythagorei* conscripsit, de quo non constat inter eruditos.

Alii enim magum ac praestigiatorem illum faciunt, ex recentioribus GROTIUS, CASAUBONUS, HUËTIUS, TILLEMONTIUS, alii, quos laudavit auctor anonymus libri gallici, *Histoire d'* APOLLON. *convaincue de fausseté. Pref. p.* 17., et Lipsiensium Theologus Cl. G. OLEARIUS, qui PHILOSTRATUM edidit, *Praefat. p.* 34. Notatu vero dignissimum, quod et veteres Ethnici illum Magiae et impostura accusarint. Exstat locus memorabilis ap. LUCIANUM in *Pseudomanti*, *p.* 750, ubi de ALEXANDRO quodam loquitur, itidem Tyanaeo, ἐρασῇ, *libidinoso*, APOLLONIO familiarissimo, et uno τὴν πᾶσαν αὐτῆ τραγωδίαν ἰδότων, *illorum, qui omnes illius artes et theatra noverant*; locum adduxi in *Diss. Belg.* loco laudato.

Alii vero PHILOSTRATUM mendacii incusant, atque fabulam Romanensem (quam vocant) ab eo conscriptam affirmant, qua CARACALLAE et IULIAE, quae istiusmodi fabulas maxime amabant, placeret. Legi in hanc rem meretur GAB. NAUDAEUS, *Apologie pour les grands personages, soupconnés de Magie. p.* 239.

Alii denique miranda APOLLONII admittunt, sed cum rerum naturalium esset peritissimus, arti, impostura, vel casui omnia tribuunt, ita ut iure seculi primi CAGLIOSTRO dici mereatur.

Secunda nobis illorum magis arridet sententia, PHILOSTRATUM falsa de APOLLONIO narrasse, quae qui-

quidem non omnia finxit ipse, sed partim ex DAMIDIS et MAXIMI AEGIENSIS commentariis hausit, malam praeterea fidem eo prodens, quod ipse non satis sibi constet et secum pugnantia narret.

Nec dubium est, quo consilio talia scripserit PHILOSTRATUS, et ἐξειλεγμέναις καλλιεπείαις, *delectis verborum scitamentis* ornaverit, (verbis utor CYRILLI ALEX. *contra* IULIAN. *L. III. p.* 88.) nempe ut ea, quae de IESU O. M., eiusque sapientia, sanctitate et miraculis narrant Euangelia et credunt Christiani, imminueret, unde EUNAPIUS, *Proöem. ad vitas Sophistarum*, illum non APOLLONII vitam, sed ἐπιδημίαν εἰς ἀνθρώπους θεοῦ, *Dei ad homines adventum* scripsisse ait, qui quam superstitiosus atque Christianis infensus fuerit, docet HUETIUS *l.l. Prop. IX. C.* 147. *fol.* 974. Quicquid enim de nativitate Domini nostri, deitate, vitae sanctitate, miraculis, institutionibus, malis ab inimicis illatis, resurrectione et in coelos adscensione, narrant Euangelistae, simile quid de suo THYANAEO semper narrat PHILOSTRATUS; eo consilio, ne Ethnici Christianam religionem amplecterentur, cum inter Philosophos exstiterit CHRISTO in omnibus, si non praeferendus, saltem aequalis.

Quam parum vero haec de APOLLONIO commenta rei Christianae nocuerint, demonstrant HUËTIUS, *l.l.* et, quem praeterire nefas esset, HENR. MORUS, qui in MYSTERIO *pietatis*, *L. IV. C.* 2., dissimilitudinem CHRISTI et APOLLONII luce clarius declaravit. Breviter hic repeto (cum inter scribendum dissertationem nimis excrescere sentiam), quae in *Diss. Belgica l.l.* attuli. 1.) Quis cum Euangeliis, inter aequales publicatis, conferat legenda, quae *ultra centum annos post facta* conscripta, neque ab *auctore*, neque *ab oculato uno teste* confirmata sunt? quae quantum distent ab iis, quae I IOAN. I: 1--3. exstant, nullus non videt.

2.) Neque apud TACITUM, SUETONIUM, DIONEM CASSIVM, PLUTARCHUM, neque apud ipsum CELSUM, qui hostili admodum in CHRISTUM animo fuit, ulla reperitur de APOLLONIO mentio, unde facile concludas, quam minima viri laus, quam falsa PHILOSTRATI narratio fuerit. 3.) Fabulae, historiae naturali et omni experientiae contrariae, quas auctor narravit, rei falsitatem extra omne dubium ponunt. V. C. quae somniat *L. I. C.* 11., de Euphrate sub terram currente, et in Aegypto cum Nilo fluvio se coniungente, et *L. III. C.* 4., de Indorum mulieribus, non nisi ad pectus usque nigris, albis deorsum. 4.) Ipse denique PHILOSTRATUS, sibi minime constans, facta THYANAEI non *miracula*, sed *artes edoctas* fuisse innuit, cum Heroem suum a Brachmannis Indicis edoctum fuisse, *L. VIII*, et a Magis Chaldaeorum pro fratre agnitum fuisse fateatur, *L. I.*

PHILOSTRATO omnino iungendus HIEROCLES, de quo et antea quaedam notavimus, et qui ad finem Sec. III et initio Sec. IV inclaruit; qui an idem fuerit cum Platonico illo HIEROCLE Alexandrino, qui *de Fato* scripsit, disputant Eruditi; conf. hinc inde IONSIUS *de scriptor. Hist. Philos. L. III. C.* 18., PEARSON. *proleg. ad* HIEROCLIS *aurea carm.*, IO. A. FABRICIUS in *Bibl. Graec. L. II. C.* 12., et CAVE *Hist. Litt. Script. Eccles. Sec. IV. fol.* 94 *et* 198. Duos libros conscripsit sub titulo λόγοι φιλαλήθεις πρὸς χριστιανὲς, non *contra*, sed *ad* Christianos, *ne*, (inquit LACTANTIUS, *Div. Instit. L. III. C.* 2.) *inimice insectari videretur, sed ut humane et benigne consulere putaretur*, quod quomodo cum odio in illos conveniat, ex ante dictis colligere licet. Quid autem alicuius momenti in religionem attulit? — Plane nihil. Nam *primo*, S. S. non sibi constare, sed secum pugnantia continere dicit, qua de re *praeced.* §. iam egimus,

nec,

nec, cum HIEROCLIS libri perierint, per partes ire possumus. *Secundo*, fallaciae Apostolos insimulat, ubi se ipsum refutat, dum *rudes* illos et *indoctos* dicit, uti recte observat LACTANT. *l. l.* Quomodo enim ista, quae illis tribuuntur, nulli unquam Philosopho excogitata, omnium captum superantia, rationi attamen consentanea, nec ipsis Iudaeorum istius temporis Doctoribus perspecta, aut etiam cognita, ab hominibus rudibus et indoctis excogitari potuissent? *Tertio*, ad convicia conversus CHRISTUM, *fugatum a Iudaeis, collecta DCCCC hominum manu aperta latrocinia fecisse* (verba sunt LACTANTII) calumniatur, quod quidem mendacium tam apertum, tam manifestum, tamque Iudaeorum pariter et Gentilium monumentis contrarium est, ut vix memoratu dignum censeri queat; nec iniqua erit conclusio, adversarios, qui, cum nihil inveniant, ad talia confugiunt, religioni Christianae parum fore nocituros. *Denique* (quare cum PHILOSTRATO illum coniunximus), cum negare non audeat, multa miracula IESUM fecisse, ad PHILOSTRATI commentum confugit, et APOLLONIUM vel paria, vel etiam maiora fecisse affirmat. Argumenta nostra non repeto. Hanc vero operis Hierocletiani partem sibi ex professo refutandam sumsit EUSEBIUS *ad calcem Demonstr. Euang.*, cetera non itidem, cum non adeo discreparent ab iis, quae iam CELSUS obiecerat, et ab ORIGENE erant refutata, incredulorum more, qui crambem recoctam usque apponunt. Certe, si eiusmodi fabellae aliquid ponderis habere censeri possint, profecto et *Dom* CERVANTES, ab ingeniosissimo ARIOSTE conscriptus, inter fide dignas historias medii aevi, et Danorum Satyrici HOLBERGII *Iter subterraneum* NICOLAI KLIMMII inter optima itineraria locum facile obtineant. Quid nostri aevi adversarii, eodem plane modo, argumentati sint ex quasi miraculis Abbatis

PA-

PARIS, et quam futilia sint, quae produxerunt, argumenta, discas ex Rever. Senis IACOBI *Dissert. de momentosis relig. veritt.*, ex Germanico etiam Belgico idiomate a Rev. VAN VOORST donata. *T. I. C. 2.*

§ 6.

Ordine temporis sequitur, nec tamen rerum pondere gravior, LIBANIUS, Antiochenus, Sophista, doctrina, ingenio, eloquentia haud inter minimos. Hunc Nicodemiae Rhetoricam docentem audire cupivit IULIANUS, adolescens, prohibitus ab Imperatore clam etiam audivit, unde maximus dein utriusque favor. Animum, quo esset in Christianam religionem, infestissimum atque Ethnicorum superstitionibus devotissimum, ubique in scriptis suis prodidit; nihil tamen et ille protulit, quo fides nostra vacillet. Unicum tantum locum scio, qui ad hoc nostrum institutum trahi possit. Exstat apud SOCRATEM, *Hist. Eccl. L. III. C. 23.* Τῦ χειμῶνος ἰὰς νύκλας ἐκτεινοντος (verba sunt LIBANII) ἐπιθέμινος ὁ Βασιλεὺς ταῖς βίβλοις, αἳ τὸν ἐκ Παλαισίνης ἄνθρωπον θεόν τε καὶ θεῦ παῖδα ποιῦσι, μάχῃ τε μακρᾷ καὶ ἐλέγχων ἰσχύι γέλωτα ἀποφήνας καὶ φλήναφον τὰ τιμώμενα, σοφώτερος ἐν τοῖς αὐτοῖς δέδεικται τῦ Τυρίε γέροντος. *Hieme noctes extendente, Imperator libros illos aggressus, qui hominem ex Palaestina Deum ac Dei filium faciunt, longa concertatione et argumentorum invicta vi, ridicula et meras nugas esse, quae ab iis colluntur, ostendit, peritior et sapientior in hac re Tyrio sene* (PORPHYRIO), quae an iure dixerit mox videbimus: nunc solum observantes, ipsum LIBANIUM illa, quae PORPHYRIUS in libris adversus Christianos scripsit, non magni feciisse, quod bene notandum adversus illos, qui ob rerum pondus illos a Christianis e medio ab-

ablatos calumniantur. Quid *pro nobis* exinde sequatur, quod *Christianos hominem Palaestinensem Deum et Dei filium facere dicat*, in sequentibus attingemus: at LIBANIO Christianis illa obiicere minime conveniebat, qui rhetor, in orationibus suis, per Herculem, per Bacchum, per Aesculapium identidem iurabat et impurissimos illos, omnigena labe commaculatos, homines pro Diis habebat. Cetera, quae attulit, nihil faciunt ad religionem ipsam. In altera quidem *Orat. funebr.* cui titulus ἐπιτάφιος ἐπὶ Ἰουλιανῷ (alteram μονῳδίαν εἰς Ἰουλιανὸν vocavit) accusat Christianos, ac si ab illis potius, quam ab hostibus IULIANUS interfectus fuisset, *Opp. T. II. fol.* 324, unde et in *Orat.* περὶ τῆς τιμωρίας Ἰουλιανῷ THEODOSIUM hortatur, ut Imperatoris caedem ulciscatur. Rem ipsam hic non discutio, cum non mihi materia, sed tempus, et charta deficiat: dubitanter hic loquitur SOZOMENUS, *Hist. Eccl. L. VI. C.* 2., quem nollem illud factum, si factum fuisset, laudasse; verum nec ZOZIMUS, Christianorum minime fautor, *Hist. nov. L. III. C.* 29, nec AMMIANUS MARCELLINUS, *L. XXV. C.* 3, hic quicquam Christianis imputarunt; quin et EUTROPIUS, qui isti expeditioni interfuit, *Brev. Hist. Rom. L. X. C.* 8, et SEXTUS RUFUS *in Breviar. C.* 28, et VICTOR in *Epitome*, IULIANUM ab hostium equite, et quidem fugiente, conto percussum fuisse narrant. — Sic et in *Orat.* ὑπὲρ τῶν ἱερῶν Christianis, praesertim monachis, exprobrat LIBANIUS impetum in templa et raptum bonorum, sub specie, ea Diis esse sacrata.

Nos nonnullorum iniustum zelum non defendimus, et omnes omnino tumultus, rapinas et personarum iniurias, quovis tandem tempore et per quamvis causam, detestamur, licet ab altera parte intempestive conquererentur Ethnici, qui ipsimet, quamdiu potu-

rant, in Christianos inhumaniter saevierant: atqui, si omnia concederemus, IULIANI caedem, templorum devastationem, agrorum etiam rapinas, et quaevis plura; scelera fuerunt hominum, religionis larva abutentium, pravissimo ardore flagrantium, qui toto coelo a mansuetissimi Domini ac Praeceptoris monitis et legibus deflectebant, uti (proh dolor!) hodiedum multorum Christianorum sunt mores; verum quid illud ad ipsam religionis doctrinam, longe alia suadentem?

Nihil ergo et hae accusationes, etiamsi verae, nec adauctae, faciunt ad veritatem Euangelicam labefactandam: atque adeo, quia ad nostrum institutum non adeo pertinent, ad alia transibimus.

LIBANIO proxime iungendus (quem admodum admiratus fuit ille) IULIANUS ipse, dignitate non magis, quam ingenio et doctrina praeclarus, at nemini non notissimus. Hic, postquam a religione, quam prae metu simulaverat, defecit, nihil antiquius duxit, quam ut, Christianorum nomine deleto, avitam superstitionem et Deorum cultum postliminio reduceret. Longum est, quibus laudibus iure sit extollendus, quibus praeter modum extollatur, hic inquirere. *Magnus* certe fuit, nec, si odium infestissimum in Christianos excipias, inter infimae laudis Imperatores ponendus IULIANUS. Neque magis variis, lepidissime inventis et rei Christianae pernicioſissimis, inhaereo artibus, quibus, dum a sanguinolentis persecutionibus fere abstinuit, plus detrimenti Ecclesiae CHRISTI attulit, quam omnes, qui ante illum fuerunt, etsi crudelissimi. Nostri instituti memores ad tres illos solum libros attendimus, quos in expeditione Parthica adversus Christianorum fidem conscripsit, et quorum maximam partem nobis in refutationibus suis servavit CYRILLUS *Alexandrinus*. Multum ex iis roboris veritati accedere, sequentia docebunt; nunc, quantilla sint, quae obiiciat, videbimus. Pri-

Primo enim convicia et virus in pectore clausum evomuit, cum in religionem Christianam in genere invadens, illam vocat τῶν Γαλιλαίων τὴν σκευωρίαν, πλάσμα ἀνθρώπων ὑπὸ κακεργίας συντεθέν· ἔχουσαν μὲν οὐδὲν θεῖον, ἀποχρησαμένην δὲ τῷ φιλομύθῳ καὶ παιδαριώδει, καὶ ἀνοήτῳ τῆς ψυχῆς μορίῳ, τὴν τερατολογίαν εἰς πίστιν ἤγαγεν ἀληθείας. *Galilaeorum sectam, quae humanum sit commentum, malitiose confictum, quae nihil quidem divini habeat, sed fabulis addicta, et puerili ac stolida animi parte abusa, prodigiosas narrationes in veritatis testimonium adduxerit.* ap. CYRILL. *contra* IUL. *L. II. fol.* 39. Declamationes audio et verba sesquipedalia; sed dic, sodes!, ab Apostolis, piscatoribus, simplicibus, artis fallendi ignaris, *commentum* tale excogitatum fuit, cui nulla, quantumvis magna, sapientia resistere potuit? *Nihil divini* habet religio, tot CHRISTI miraculis, ipso fatente IULIANO, probata, tantam morum sanctitatem, charitatem et φιλανθρωπίαν, quam ipse laudat et ad imitandum proponit Imperator, suadens? *Fabulis addictum esse* Christiano exprobret homo Ethnicus, et quidem superstitiosissimus, cuius quasi religionem chaos fuisse adsurdissimarum et ineptissimarum fabularum tironibus nostris notum est? *Prodigiosas* dicit narrationes Euangelicas; atqui ipse miracula CHRISTI non ausus est negare; ergo, si vincere vellet, non *prodigiosas*, sed *fabulosas* ac *falsas* esse eas demonstrare oportuit, quod si sine demonstratione dixerit, non nisi convicium esse, et a vera Philosophia alienissimum, constat.

Dein, hoc peculiare fuit IULIANO, quod obiiciat, religionem Christianam non minus a Mosaica, quam a gentilium institutis dissentire, ex utraque commixtam, adeo quidem, ut non optimum, sed deterius quodque ex utraque desumtum fuerit. Loca ex IU-

LIANO dabit CYRILLUS, *L. I. fol.* 6. et *L. VII. fol.* 238.

Facile quivis sentit hominis in nostra religione ignorantiam, aut malam fidem. Doctrina MOSIS et Prophetarum, aut *universalis* est et ad cunctos, cuiusvis loci et temporis, homines spectat, aut *specialis*, quae ad gentem et ecclesiam Iudaicam, veteri sub oeconomia, pertinuit. *Illis* Christiani, veram et divinam MOSIS missionem et Prophetarum θεοπνευσίαν agnoscentes, tenentur, *his* non item. Quae si consideraveris, non *dissensum*, sed *verum consensum* reperies. Quod ad *gentiles*; non ex illorum imitatione Christiani a ritibus et caeremoniis Iudaeorum abstinuerunt, sed ex ipsa religionis Messiaticae sub nova oeconomia indole ac natura. Ceterum, si in nonnullis eadem cum gentium Philosophis doceant Christianorum magistri, hoc ex utrisque communi ratione ortum traxit, et ex τῷ γνωστῷ τȣ̃ θεȣ̃, ὅ ἐστι φανερὸν ἐν αὐτοῖς. *Rom. I:* 19.

Porro in ipsum servatorem nostrum tela sua emisit, omni conatu in illud intendens, ut probaret, illum non esse Deum, serioribus aevis facem praeferens. Provocat ad illud MOSIS vaticinium, *Deut. XVIII: Prophetam suscitabit Dominus Deus vester ex fratribus vestris*, SICUT ME, *ipsum audietis*, CYRILL. *L. VIII. fol.* 253. Negat, MOSEN hic de CHRISTO locutum fuisse, de quo etiam nunc multi viri docti dubitant; vidd. quae habet SEILER *l. l. p.* 134. At, ait, si concedatur, sequitur CHRISTUM non esse Deum, cum Propheta promittitur MOSIS *instar*, id est, *ex hominibus*, *ex fratribus*. Quasi Christiani negarent, CHRISTUM verum fuisse hominem, et ex fratribus, secundum carnem, ortum. Catechumenus tiro talia refutabit, uti et illud, quod ex *unitate* Dei, a MOSE adeo inculcata, attulit, ubivis a Systematographis uberius tractatur, nec Christianos *unicum* uno ore confiteri Deum, ullum fugit. In hoc praeterea falsus est IU-

LI-

LIANUS, quod scribit, *L. VI. fol.* 213, et plenius *L. X. fol.* 327. ap. CYRILLUM. τὸν γὰρ Ἰησᾶν ὅτε Παῦλος ἐτόλμησεν εἰπεῖν θεὸν, ὅτε Ματθαῖος, ὅτε Λουκᾶς, ὅτε Μάρκος· ἀλλ' ὁ χρηστὸς Ἰωάννης, αἰσθόμενος ἤδη πολὺ πλῆθος ἐαλωκὸς ἐν πολλαῖς τῶν Ἑλληνίδων, καὶ Ἰταλιωτίδων πόλεων ὑπὸ ταύτης τῆς νόσου. ἀκούων δὲ, οἶμαι, καὶ τὰ μνήματα Πέτρου καὶ Παύλου, λάθρα μὲν, ἀκούων δὲ ὅμως, αὐτὰ θεραπευόμενα, πρῶτος ἐτόλμησεν εἰπεῖν. IESUM *quippe illum neque* PAULUS *Deum dicere ausus est, neque* MATTHAEUS, *neque* LUCAS, *neque* MARCUS; *sed bonus ille* IOANNES, *cum sensisset, magnam multitudinem in plerisque urbibus Graecis et Italicis iam tum eo morbo captam esse, audiretque, opinor, monumenta* PETRI *et* PAULI, *clam quidem, sed tamen audiret, ea coli, primus id prodere ausus est.* Vides summam viri impudentiam, Lector!, saepius religionis adversariis quasi propriam, nec ad refutationem aliud requiretur quicquam, nisi quod PAULI Epistolas et MATTHAEI, MARCI et LUCAE Euangelia inspicias.

Nec firmioribus argumentis sospitatoris nostri θαυματουργίαν insectatur; miracula enim negare haud sustinuit, sed parvi pendenda iudicat. Ita enim εἰ μήτις οἴεται, τοὺς κυλλοὺς καὶ τυφλοὺς ἰάσασθαι, καὶ δαιμονῶντας ἐφορκίζειν ἐν βηθσαϊδᾷ καὶ ἐν βηθανίᾳ ταῖς κώμαις, τῶν μεγίσων ἔργων εἶναι, *nisi quis claudos ac coecos curare et daemonio correptos adiurare, in pagis Bethsaida et Bethania, magnorum facinorum numero habeat.* Habebit profecto quivis iustus rerum arbiter, quod ad talia respondeat; nec meliora regeram, quam quae ad ea scripsit P. D. HUËTIUS, *Dem. Euang. Part. II. Prop. IX. fol.* 749. „Quod (ait) mihi stolidissime di-„ctum videtur, quasi nihil magnum, aut memora-„bile sit, quam quod magnis sumtibus et in magna

„ hominum frequentia administratur, plusque admi-
„ rabilitatis insit acutis ingeniosorum repertis, aut
„ magnificis regum molitionibus, vel exercitibus com-
„ parandis, urbibus vel exstruendis vel expugnan-
„ dis, gentibus vel regendis vel domandis, quae
„ omnia sunt intra naturae artisque fines, et ab ho-
„ minum industria et ingenio proficiscuntur, quam
„ iis, quae naturae superant vires, quae supra ho-
„ minum captum posita sunt, et peculiari Dei nutu,
„ certoque consilio geruntur: quae vere maxima et
„ miranda opera sunt." Quibuscum conferas, quae de IESU miraculis, haud parvi faciundis, in disceptationibus meis cum G. F. MEYER notata, *ipsius Historiae* inserui amplius.

Mitto cetera Imperatoris convicia, quae, ut LIBANII illa, non tam religionem, quam mores Christianorum perstringunt, aut ea continent, quae, iam ante illum, ab aliis dicta et a Patribus refutata fuerant.

Totum IULIANI opus sedulo refutavit CYRILLUS ALEXANDR., quem edidit Cl. EZECH. SPANHEMIUS, ut et ad ea, quae in LUCAE historiam Apostolicam notavit Apostata, egregie responsum fuit a Clariss. DID. V. D. KEMP, Prof. quondam Leidensi, in Hist. Eccles. Praeceptore mihi dilectissimo, Ecclesiae et Academiae acerbissimo funere erepto, in *Dissert. pro* CORNELIO *Centurione* et SERGIO PAULO, tota quae legi meretur, in OELRICHS *Collect. Opusc. T. I. N. XIII. p.* 393.

§ 7.

Vela ut contraham, de serioribus gentilibus, qui contra Christianos scripserunt, breviori esse licebit. Hi enim, dum interea mire excrevit Ecclesia, et Impe-

peratores patronos habebat et vindices, cautius et modestius plerumque res suas egerunt, nullis tamen *novis* in ipsam veritatem usi argumentis, quae non ante ab iis, quos vidimus, allata et ab Ecclesiae patribus refutata fuerant; aut, si quid novi habebant, id ad mores Christianorum, qui tunc iam corruptiores esse incipiebant, erat referendum; atque adeo ad nostrum institutum haud pertinet.

Inter illos PHOTIUS, *Cod. CLXV. p.* 355, HIMERIUM Sophistam ex Bithynia nominat, qui *Seculo IV* floruit, nihil tamen de eo addens, nisi quod, canum instar, Christianos allatraverit. AMMIANUS MARCELLINUS in *Hist. Rom.* vix aliud, quam depravatos Christianorum mores carpsit. Infensiores se prodiderunt EUNAPIUS SARDIANUS *in vita* AEDESII, qui, quo magis CONSTANTINUM ob destructa Ethnicorum sacra vituperat, eo magis IULIANUM ob eadem restituta laudavit; et SYMMACHUS, de quo iam *huius Sectionis Cap. I.* § 2., nonnulla notavimus: hic enim in *Relatione pro ara victoriae* gentilismum maxime ex antiquitate commendavit, omnia imperii mala in Christianismum, ut unicam irae Deorum causam, reiiciens, quod quam futile sit, nemo non videt. Refutavit illum, praeter AMBROSIUM, AURELIUS PRUDENTIUS *Libris duobus in* SYMMACHUM.

Sequenti *Seculo V* OLYMPIODORUS edidit *Historiarum Libros XXII*, THEODOSIO MINORI inscriptos, quorum amplissima excerpta dedit PHOTIUS, *Cod. LXXX. p.* 178, in quibus SYMMACHI vestigiis institit, quod et ZOZIMUS in *VI* suis *historiarum libris* fecit, pro quo tamen Apologiam scripsit LEUNCLAVIUS, ZOZIMI libris, quos Anno MDCLXXIX edidit CELLARIUS, annexam. Namque non tam in religionem, quam praecipuos illius fautores, CONSTANTINUM et THEODOSIUM MAGNUM, est invectus, quos hic defendere non

si-

sinit instituti ratio. Sed sit ita, non in omnibus se, uti fas erat, gesserint Imperatores illi, vel alii quicunque; non cum iis stat, vel cadit ipsius religionis veritas, quae non ex *confessorum* vel *patrocinantium moribus*, sed ex *solidissimis argumentis* diiudicanda manet. In LEUNCLAVIUM nonnulla notavit CAVEUS, *Hist. Lit. Script. Eccles. sec. VII. fol.* 30.

Sexto adhuc seculo τὴν μιαρὰν καὶ ἐφύβριζον γλῶσσαν, *impuram ac contumeliosam linguam* exacuit PROCLUS, Platonicus; verbis utor SUIDAE *in voce Proclus.* Hic enim, inter alia, *octodecim argumenta*, quae ἐπιχειρήματα κατὰ χριστιανῶν vocat, reliquit, quibus, teste SUIDA, IO. PHILOPONUS responsa dedit. Opus utrumque deperditum crediderunt multi, sed Cl. IO. ALB. FABRICIUS, *ad Marini Neapolitani Proclum*, quem edidit, observat, haec XVIII ἐπιχειρήματα non *omnem* religionem Christianam, sed unicum dogma *de mundo non aeterno* impugnasse, adeoque et hodie superesse in PHILOPONI *Libris XVIII de aeternitate mundi contra* PROCLUM.

Nescio denique, an his etiam annumerandus sit DAMASCIUS, eiusdem seculi Stoïcus, vel (ut aliis placet) Peripateticus, qui scriptis suis, apud PHOTIUM, *Cod. CLXXXI et CLXXXII*, etiam religionem Christianam aggressus est, adeo tecte et timide, ut vix in censum nostrum venire posse videatur. Ab eo enim tempore cessit fere ubique in Europa religio Ethnicorum, saltem iis in regionibus, ubi Philosophi pro ea dicerent, scriberentque.

Concludimus ergo, huius Capitis proposito satis esse factum; liquet enim, viros ingenio, doctrina, eloquentia, dignitate praestantissimos, omnes nervos intendisse ad veritatem religionis Christianae labefactandam; at nihilominus, quaecunque a subtilissimis allata sunt, tam lubrica esse et vana, ut sua futi-

tilitate corruant ipsa; nullum, quo cadit Euangelistarum et Apostolorum fides, ab ullo, productum fuisse argumentum; ex odio, superbia, avaritia, libidine, superstitione adversarios egisse, et, cum praeterea nihil haberent, ad mendacia et convicia turpissima confugisse, vel Christianorum mores cum Christiana veritate confudisse. Atque adeo *religionis Christianae veritatem obtrectationibus gentilium Philosophorum, aeque minus, quam Iudaeorum, labefactari.* Q.E.D. Sequenti Capite ostensuri, quam mirifice ex iisdem veritas Euangelica *stabiliatur* et *confirmetur*, viam persequemur.

CAPUT III.

§ 1.

Scilicet illud supplices veneramur inexhaustum sapientiae divinae βάθος, quo praevissima etiam pessimorum hominum consilia et facta in optimum finem suo nutu regit dirigitque, ita ut saepius ex iis, quae non nisi perniciem minantur, summum, sive privatum, sive etiam publicum, oriatur commodum atque emolumentum.

Hanc veritatem, in tristissimis cuiusvis generis miseriis solamen, si ad rem nostram applicamus, admiramur vehementer Dei O. M., Patris Domini nostri IESU CHRISTI, curam atque in Ecclesiam suam benevolentiam, qua, quicquid molirentur veritatis infensissimi hostes, ad ipsius veritatis decus, robur ac confirmationem conducere iussit.

Hoc dum ita se habere demonstrabimus, priori loco, eadem, quae recensuimus, Philosophorum scripta denuo perlustrabimus, argumenta pro veritate

Euangelica inde excepturi; posteriori, et alia ex Gentilium scriptis pro eadem veritate documenta dictis addituri, quod ut breviter tamen fiat, et dictorum ubertas, et multitudo rerum, quae tractanda supersunt, omnino suadent.

De CRESCENTE cum paucissima ad nos pervenerint, nihil hic habeo, quod afferam, nisi hoc unum ex ante dictis constare, eum non tantum nihil habuisse, quod IUSTINO regereret, sed τὸ ἐν αὐτοῖς μεγαλεῖα, maiestatem, quae religioni nostrae inest, adeo sensisse, ut ad maledicentiam et contumelias se ideo solum contulerit, πρὸς τὸ μὴ ὑποπτευθῆναι τοιοῦτος, *ne pro Christiano forte haberetur*, documento, se nihil reperisse, quo Apostolorum, aut Apostolicorum virorum, quibuscum vivebat, fidem et auctoritatem enervaret.

At plura dabit CELSUS, licet ex infensissimis: quo non adeo refero, quod, Epicureus cum esset, nihilominus, cum Christianis disputans, Epicureum dissimularet, προσποιούμενος πρόνοιαν εἰδέναι, *Providentiae agnitionem affectans*, uti habet ORIGENES, *contra* CELSUM, *L. IV. fol.* 163; Hoc tamen ORIGENES haud male observat, CELSUM, cum infimae sortis CHRISTUM faceret, nec tamen ad summum sapientiae et potentiae fastigium eum perveniisse negaret, eo ipso veritati testimonium praebuisse, cum fieri hoc non potuisset, nisi quid sublimius et divinum subfuisset. Sed maiora adsunt. Dogma illud *de vera Christi Deitate*, quo omnis doctrina vere Christiana et cultus Euangelicus nititur, nisi sit idololatricus, et Gentium Deastros cum alio Deastro commutatos dixeris; Dogma illud, inquam, quod ante Concilium Nicaenum ignorasse Christianos clamant SOCINI, PRIESTLEII et PURCOLDI assecIae, ex CELSO probatur Apostolicae Ecclesiae

siae commune fuisse: θεὸν υἱὸν, παῖδα et πίθηκον Christianos Illum dixisse affirmat, ut suo loco diximus. Hoc cum sensisset CHRIST. SANDIUS, *in Nucleo Hist. Eccl. L. I. p.* 88, 89, totus in eo est, lectoribus ut persuadeat, CELSUM h. l. Christianos pupugisse; verum ex sola ipsius loci lectione liquebit, iure voluisse CELSUM, Christianos Servatorem suum *Deum, Deique filium* dixisse, et ita quidem, ut *Deo illum aequarent*, neque aliud ex ORIGENIS responsione colligas. Et verax in hoc CELSUS, uti ex Patrum locis in *Dissert. Belgica, Not. ad pag.* 264, probatum dedi: loca hic notasse sufficerit, vidd. CLEM. ROM. *Ep. I. ad Corinth.*, IGNATIUS *Ep. ad* POLYCARP. et *ad Philadelph.*, *cuius* διαθεντίαν defendit Cl. VENEMA, *Hist. Eccl. T. III. Sect. II.* § 10. *p.* 355, IUSTIN. M. *Apol. II. p.* 53, quam A. CXL conscripsit, et *Expos. fid. p.* 379, quod vere IUSTINI opus esse vindicat SYLBURGIUS, *Not. ad* IUST. *p.* 31, PLINIUS SECUNDUS *ad* TRAI. *L. X. Ep.* 93, de quo videas LE MOYNE, *Var. Sac. T. II. p.* 142-145. VOSSIUM *Opusc. Var. Argum. Opp. T. IV. fol.* 58. Addatur IRENAEUS *Adv. Haeres. L. I. C.* 2. *fol.* 20. Patres iuniores excitare non vacat, quoniam haec, quae adduximus, adeo sunt indubitata, ut PRIESTLEIUS ipse in infelicissimo opere, quod *Verbasieringen des Christendams* inscripsit, negare non sustinuerit, iam *Sec. II.*, THEOPHILUM, TATIANUM et IRENAEUM voce τριάδος usos fuisse.

Porro ex eodem CELSO Euangelicae narrationis veritas de *miraculis*, a Christo perpetratis, extra dubium ponitur; haec enim nunquam negavit, et recte dicit, apud ORIG. *L. II. p.* 87., ἐνομίσατε αὐτὸν εἶναι υἱὸν θεοῦ, ἐπεὶ χωλοὺς καὶ τυφλοὺς ἐθεράπευσε. *Credidistis, eum esse filium Dei, ideo, quod claudos et coecos sanavit:* nam quod de Magia addit, ineptum esse,

antea ostensum fuit; unde recte GROTIUS *Ver. Rel. Christ. L. II.* § 5, ita de miraculis: *quae quidem fama tam certam atque indubitatam habuit originem, ut edita a* CHRISTO *prodigia aliqua neque* CELSUS, *neque* IULIANUS, *cum in Christianos scriberent, negare ausi fuerint:* quibus addas, quae egregia habet SAM. WERENFELSIUS in *Dissert. de veritate miraculorum scripturae.* —

Sequitur CELSI ἑταῖρος LUCIANUS, qui non pauca ad stabilienda religionis Christianae dogmata contulit in ipsis iis, quibus illam pungere studuit, Satyris. — Videamus ea.

In Dialogo, cui titulus περὶ τῆς Περεγρίνυ τελευτῆς, sive *de morte Peregrini*, *Opp. T. II. fol.* 558. *Edit. Amst.* MDCLXXXVII, historiam narrat Philosophi cuiusdam Cynici, istius nominis, qui Christianam religionem amplexus postea ab ea defecerat, et senex tandem, post Olympia celebrata, in *Arpina*, XX stadiis ab Olympia dissita, conscenso rogo, spectantibus omnibus, se ipsum combussit. Ex hoc Dialogo illa tantum ad nos, quae ad vitam PEREGRINI inter Christianos pertinent. Narrat autem, hunc PEREGRINUM, postea quam τὴν θαυμασὴν σοφίαν τῶν χρισιανῶν, *mirandam Christianorum sapientiam didicisset*, tanta apud eos auctoritate invaluisse, ut Doctoris munus adeptus fuerit, qua de re nihil certi ex historia constat; quod enim addit, *pro Deo quodam* eum fuisse habitum, hoc (si ad literam intelligas) falsum esse, cuilibet planum est, qui Christianorum doctrinam et vitam habet cognitam. — Haec dum narrat, evidentissimum praebet testimonium, et pro veritate narrationis Euangelicae *de morte* CHRISTI, et pro cultu divino, quem illi praebere solebant primi illius temporis Christiani; ita enim, τὸν μέγαν γὲν ἐκεῖνον ἔτι σέβεσιν ἄνθρωπον, τὸν ἐν τῇ παλεσίνῃ ἀνασκολοπισθέντα, ὅτι

ὅτι καινὴν ταύτην τελετὴν εἰσήγαγεν εἰς τὸν βίον, *itaque etiamnum magnum illum hominem colunt, qui in Palaestina crucifixus est, quia novam hanc religionem et vivendi morem introduxit.* — Postea vero, cum narrasset, Christianos omnem movisse lapidem, ut *Peregrinum* tunc suum, in carcerem coniectum, libertati restituerent, hoc tamen cum fieri non posset, cuncta charitatis et obsequii officia illi praestitisse, anus, viduas, orphanos; varias coenas collatas; sermones sacros habitos; alios e primoribus intus servisse, corruptis custodibus; quin et ex Asiaticis urbibus venisse, qui ex publico opem ferrent, et consolarentur virum; quibus nihil narravit, quod non honorificentissimum Christianis, quorum assiduitatem et alacritatem in huius generis officiis laudat: postquam haec (inquam) narrasset, plura addit, quae de Christianae fidei dogmatibus invictum, contra nostri temporis Novatores, praebeant argumentum. — Causam nempe indicaturus tantae Christianorum constantiae simul et mutuae charitatis, πεπείκασι γὰρ (inquit) αὐτὲς οἱ κακοδαίμονες, τὸ μὲν ὅλον ἀθάνατοι ἔσεσθαι, καὶ βιώσεσθαι τὸν ἀεὶ χρόνον, *etenim persuaserunt sibi miseri illi, se omnino immortales fore et aeternum victuros*; et recte dicit; hoc enim Christianorum dogma, omni consolatione plenum, „vitam aeternam, ob opt. ser-„ vatoris merita, credentibus, et fidem ex charitate „ constanter et alacriter demonstrantibus, a Deo gra-„ tiose esse promissum." Unde addit ille, παρ' ὃ καὶ καταφρονὲσι τὲ θανάτε, καὶ ἑκόντες αὐτὲς ἐπιδιδόασιν οἱ πολλοὶ, *idcirco mortem contemnunt, et ultro se offerunt multi.* Et quare? ita fert doctrina Euangelica, ut, „ a malo aversati, fide, obedientia et charitate CHRI-„ STUM Dominum veneremur et sancte vivamus;" quod ita LUCIANUS: ἔπειτα δὲ ὁ νομοτεθὴς ὁ πρῶτος ἔπει-

ἔπεισεν αὐτοὺς, ὡς ἀδελφοὶ πάντες εἶεν ἀλλήλων· ἐπειδὰν ἅπαξ παραβάντες, θεοὺς μὲν τοὺς ἑλληνικοὺς ἀπαρνήσωνται, τὸν δὲ ἀνεσκολοπισμένον ἐκεῖνον σοφιστὴν αὐτῶν προσκυνῶσι, καὶ κατὰ τοὺς ἐκείνου νόμους βιῶσι: *dein Legislator primus ipsis persuasit, alios aliorum esse fratres, cum semel a nobis desciscentes Graecorum Deos abnegaverint, et crucifixum illum, praeceptorem suum adoraverint, et vitam secundum leges eius instituerint:* ubi nihil ad nos, utrum νομοθέτης ille ὁ πρῶτος, qui adeo ἀδελφότητα commendavit, PAULUS sit, uti TANAQ. FABER, an IOANNES, uti FABRICIUS voluit, *Bibl. Graec. L. IV. C. 16. p.* 500. Habes vero, Lector!, omnia si coniungas, satis rectum loci Paulini commentarium TIT. *II:* 11-13. ἐπεφάνη ἡ χάρις τοῦ θεοῦ παιδεύουσα ἡμᾶς κ. τ. λ. — Vincit ergo quasvis LUCIANI obtrectationes religio Christiana, ab ipso mirifice confirmata; nam quod Christiani Graecorum Deos deseruerint, non est, quod adeo miretur LUCIANUS, cui notissimum erat, quam absona illi de Diis suis tradiderint, quae ipse ridet in *Iove Tragoedo*, *Opp. T. II. fol.* 152., nec Christianos hominem crucifixum, praeceptorem suum, adorare, atque adeo pro Deo habere (cum aliquid praeter Deum verum adorare vetet religio) fuisset miratus, si illum, quem μέγαν ἄνθρωπον vocat, rectius cognovisset. Denique, si *animas immortales* et *praemia futura* deridebat LUCIANUS *Epicureus*, haec dogmata aliis Philosophorum sectis non tam absona fuisse visa, novit ipse cum gnarissimis.

Progredimur ad alium Dialogum, titulum cui praefecit *Philopatris*, *Opp. T. II. fol.* 770, ex quo praeclarum pro dogmate *Trinitatis*, ut primae Ecclesiae dogmate fundamentali, recentiores contra oblocutores, depromturi sumus argumentum. Ad irridendum enim introduxit Christianum, qui Ethnicum religionem Chri-

Christianam doceret, et inter alia mysterium S. S. Trinitatis. Rogat Catechumenus, καὶ τίνα ἐπωμόσομαί γε; *quemnam tibi adiurabo?* cui TRIPHON Catechista: ὑψιμέδοντα θεὸν, μέγαν, ἄμβροτον, ἑρανέωνα, υἱὸν πατρὸς, πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον, ἓν ἐκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία, ταῦτα νόμιζε ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν. *Deum alte regnantem, magnum, coelestem atque aeternum, Filium Patris, Spiritum ex patre procedentem, unum ex tribus, et ex uno Tria. Haec tu Iovem puta, hunc existima Deum.*

Sunt, fateor, qui hunc Dialogum LUCIANI esse non audeant affirmare, et ipse ego, quia negavit GESNERUS, dubitanter locutus sum in *Dissert. Belg. p.* 267 *in Not.* Dubitant etiam IAC. MICYLLUS *in Argum. huic dialogo praefixo*, et HUETIUS *Dem. Euang. fol.* 61, cuius tamen argumenta non apodictica censuit BUDDEUS, *l. l.* Conferri merentur DODWELLUS *de Iure Laicorum sacerdotali, p.* 284, et BLONDELLUS, *de Episc. et Presbyt. p.* 228., laudati a FABRICIO, *Bibl. Graec. L. IV. C.* 16. *p.* 504.

Sed sit ita, ab alio conscriptus sit iste Dialogus, manet tamen, quod ex eo depromsimus, argumentum: illi enim Viri Doctissimi auctorem antiquiorem esse contendunt, et cum extra controversiam Ethnicus fuerit, quid veteres Christiani, sive sub TRAIANO, sive sub ANTONINO, de *Trinitate* crediderint, ex eo discimus.

Cum tamen huius dogmatis adversarii illius argumenti pondus rite ponderantes, acriter in illud insurgant, non mirum est, si C. SANDIUS facem iis praetulerit, in *Nucleo Hist. Eccles. L. I. p.* 88, qui non Christianos, sed *sectam aliquam* ab auctore innui asseverat, sed responsum tulit a BULLO, *Defens. fid. Nic. Sect. II. C. IV.* § 11. Et certe si, quod statuit, ii indi-

dicarentur Haeretici, de quibus in PSEUDO-CLEMENTIS *Conſtit.* et in *Epiſt.* IGNATII mentio fit, non recte ſcripſit auctor; hi enim *filium ipſum Patrem eſſe* dicebant, qui in Dialogo diſtinguitur prorſus, quod ex CRITIAE, ſive Catechumeni reſponſo patet, ἀριθμέειν με διδάσκεις (inquit) καὶ ὅρκος ἡ ἀριθμητική. — οὐκ οἶδα γὰρ τί λέγεις, ἓν τρία, τρία ἕν. *Numerare me doces, et iusiurandum eſt arithmeticum. — Neque intelligo, quid dicas: unum tria, tria unum.* Quibus addas, quod et per *Filium* ridens iurat, νὴ τὸν υἱὸν τὸν ἐκ πατρὸς, *per Filium qui ex Patre*, quae omnia illi ſectae haud conveniunt.

§ 2.

Sequenti Seculo audivimus PORPHYRIUM, et nihil momenti alicuius in illius obtrectationibus invenimus; quae autem pro religione faciunt, etiam pauciora, cum viri ſcripta, ut et Antagoniſtarum, diu perierint; habemus tamen pauca, ſed evidentia. Auctoritatem, verbi cauſa, quam *Epiſtola ad Galatas* in Eccleſia veteri habuit, probavit PORPHYRIUS ex obiectione de altercatione PETRI et PAULI, quam ex ea depromſit, et de qua pluribus egimus *praeced. Cap.* § 4. —

Maiorem fidem addit hiſtoriae Moſaicae, veritatis vi adactus ad confirmanda, quae refutare non potuit; verbis hic uti HUETII malo, quam meis. „ Atque utinam (inquit) tam aequa de his ſenſiſſet, „ quam recte ſcripſit, MOSEN veriſſima de Iudaeis „ narraſſe, quemadmodum deprehendiſſe ſe ſignifi„ cat ex conflictu commentariorum SANCHONIATONIS. „ Itaque ex ἐπιλογισμοῖς temporum, iuxta PORPHYRII „ rationes ductis, colligit EUSEBIUS, MOSEN annis „ plus

„ plus quam DCCC Troiae ἄλωσιν praeceſſiſſe, ce-
„ leberrimos vero Graeciae Philoſophos, PYTHAGO-
„ RAM, DEMOCRITUM et reliquos ſequentis aevi,
„ annis MD."

PHILOSTRATI maior uſus eſt in dogmaticis. Probat enim, maxima religionis myſteria, quae rationi contraria eſſe Novatores cuiusvis aevi identidem clamitant, re vera non eſſe talia, nec Ethnicos ideo Euangelium reſpuiſſe, *quia ratio ei reluctabatur*, ſed *alias ob cauſas*, quarum nonnullas in ſuperioribus memoravimus. Ex PHILOSTRATO autem tria religionis myſteria Ethnicis ipſis per ſe credibilia fuiſſe conſtat, quia, quod in IESU O. M. negant, in APOLLONIO ſuo admittunt; quae ſi eorum ratio admittat, nulla eſſe cauſa potuit, cur non et reliqua admitteret. Verbi cauſa. Quis non audivit ex religionis obtrectatoribus, dogma „de IESU *Nazareno* non tan-
„ tum vero homine, ſed et vero Deo, Patris per ae-
„ ternam generationem filio" rationi adeo eſſe contrarium, ut tale quid a nullo Philoſopho admitti queat? Sed quid nobis PHILOSTRATUS? Haud obſcure de APOLLONIO ſuo innuit, illum non merum fuiſſe hominem, ſed divinae naturae participem. Narrat enim, *L. I. C. IV*, matri gravidae ſpectrum apparuiſſe Αἰγυπτίᾳ Δαίμονος, id eſt, PROTEI, varias formas induentis, qui nihil perterritae, ſed interroganti feminae, „Quemnam paritura eſſet?" Ἐμὲ reſpondit. — At quisnam es tu? — Πρωτεὺς, inquit, ὁ Αἰγύπτιος θεός· ſicut *L. I. C. VI.* aperte profitetur, Tyanenſes dixiſſe, παῖδα τὸν Διὸς τὸν Ἀπολλώνιον γεγονέναι, *Apollonium Iovis eſſe filium.*

Vides, fuiſſe inter Ethnicos, etiam Philoſophos, qui fieri poſſe faterentur, ut homo aliquis ſimul ſit verus Deus; non enim Heroëm facit APOLLONIUM,

hominem ex Deo quodam et muliere, sed ipsum PROTEUM, *Deum praeëxistentem incarnatum.* Hinc non plane negat, CHRISTUM etiam *verum Deum* fuisse, sed nugatur, et inter Philosophos fuisse, de quo idem dici possit.

Alterum, quod inter fictas narrationes referre student Euangelicae veritatis inimici, est caput de *miraculis*, a CHRISTO perpetratis, naturae vires transcendentibus et divinae suae potentiae documentis. Quid ad illud PHILOSTRATUS? Nec miracula edi posse, neque a CHRISTO edita fuisse, negat, neminem Euangelistarum falsitatis arguens; verum eadem de APOLLONIO suo fabulatur. Hunc enim daemonia eiecisse narrat, *L. IV. C. XX*, et puellam quandam e mortuis resuscitasse, *L. IV. C. XLV*, posterius quidem dubitanter, nam εἴτε (ait) σπινθῆρα τῆς ψυχῆς εὗρεν ἐν αὐτῇ, ὃς ἐλελήθει τὲς θεραπεύοντας, — εἴτ' ἀπεσβηκυῖαν τὴν ψυχὴν ἀνέθαλψέ τε καὶ ἀνέλαβεν, ἄῤῥητος ἡ κατάληψις τῦτο γέγονεν, ἐκ ἐμοὶ μόνῳ, ἀλλὰ καὶ τοῖς παρατυχοῦσιν. *Utrum scintillam animae in ipsa invenerit, quae medicos latuerat, — utrum extinctam animam refocillaverit atque reduxerit, difficile est indicare, non mihi soli, verum iis etiam, qui praesentes tum fuerunt.* Sed quod ille dubitanter, id diserte affirmat FL. VOPISCUS, *in Vita* AURELIANI, *C. XXIV. Quid enim* (scribit) APOLLONIO *sanctius, venerabilius, diviniusque inter homines fuit? Mortuis reddidit vitam: ille multa ultra homines et fecit et dixit.* In quibus observari velim, non tantum miraculorum patrationem, sed et mortuorum resurrectionem haud inter ἀδύνατα referenda esse, quod alii bene multi Philosophorum volebant.

Tertium, quod in historia Euangelica si non falsum, dubium tamen increduli declarant, est: CHRISTUM

CTUM tam ſanctum, pium, benevolum, tot miraculis clarum, veritatis et virtutis praeconem, tamen a ſuis ſpretum, captum, male habitum, interemtum fuiſſe, tertia vero die reſurrexiſſe, et adſcendiſſe in coelos, ut viveret in aeternum. At talia non ἀδύνατα, aut cum ratione pugnantia PHILOSTRATO videbantur. Etſi enim, teſtante illo, APOLLONIUS ſuus, Deus ἐν σαρκὶ, ſapientia, et morum integritate omnes ſuperaret, tamen ab hominibus ſpretus, vexatus, et in iudicium tractus fuit, ita ut illi coram DOMITIANO cauſa dicenda fuerit, *L. VIII. C. I.* Porro, utrum vere mortuus ſit APOLLONIUS, dubitat PHILOSTRATUS, nam, cum varios de illius morte ſpargi rumores dixit, addit: εἴγε ἐτελεύτα, *ſi tamen mortuus ſit*, *L. VIII. C. XXIX*, quod ſi verum crediderint Ethnici, et vivum illum in beatorum ſedes tranſlatum; cur non et CHRISTUM, cuius mortis ſublimiorem cauſam S. Litterae docent, a mortuis reſuſcitatum in coelos adſcendiſſe, ſecundum vaticinia crederemus?

§ 3.

Atque haec demonſtrationi illius, quod poſuimus, veritatem nempe multum lucratam fuiſſe ex ipſis Gentilium in eam conatibus, ſufficerent, niſi et, ratione Philoſophorum, quos ex inſequentibus temporibus excitabamus, idem breviter exemplis certis probare e re noſtra eſſe iudicaremus.

Nam de HIEROCLE non eſt, quod multa addam, libri cuius ſunt deperditi, et ex cuius fragmentis, praeter apertiſſima mendacia et convicia, non niſi Apoſtolorum ruditatem veritati obiectam reperies, quae tantum abeſt, ut noceat, ut contra pro religionis vegitate idoneum inde petatur argumentum; unde LA-

CTANTIUS, *Inſtit. L. III. C. II, abfuit ergo ab his fingendi voluntas et aſtutia, quoniam rudes fuere. Aut quis poſſit indoctus apta inter ſe et cohaerentia fingere, cum Philoſophorum doctiſſimi*, PLATO, *et* ARISTOTELES, *et* EPICURUS, *et* ZENON *ipſi ſibi repugnantia et contraria dixerint? Haec est enim mendaciorum natura, ut cohaerere non poſſint. Illorum autem traditio, quia vera est, quadrat undique, ac ſibi tota conſentit, et ideo perſuadet, quia conſtanti ratione ſuffulta est.* Ceterum, cum miracula Chriſti haud negaverit, ſed PHILOSTRATI propoſitum apertius exſecutus ſit, comparatione inſtituta CHRISTUM inter et APOLLONIUM, eadem in hunc quadrant, quae de PHILOSTRATO, §*praeced.*, obſervavimus, et quae repetere non vacat.

LIBANIUS autem, quod de CELSO antea notavimus, contra Theanthropo-machos argumenta ſuppeditat, quibus, ante Concilium Nicaenum CHRISTUM pro vero Deo habitum fuiſſe, evincamus, cum, loco antea laudato ex SOCRAT., *H. E. L. III. C.* 23, illos τὸν ἐκ Παλαιστίνης ἄνθρωπον θεόν τε καὶ θεοῦ παῖδα habere aſſeveret, *hominem ex Palaeſtina Deum et Dei filium*. At plura dabit ipſe IULIANUS, LIBANII diſcipulus et poſtea intimus, qui eo non tantum religioni robur addidit, quod nihil alicuius momenti in illam dicere potuerit ſubtiliſſimus Imperator, ut ante monuimus, ſed plura fecit et maiora. Ex ipſius enim in Chriſtianos libris authentiam MOSIS et nonnullarum prophetiarum, praeſertim Euangeliorum et Apoſtolicarum Epiſtolarum, ut et primorum Chriſtianorum Canonis, diſcimus, quippe ex quibus, contortis quidem et male explicatis, varias in religionem obiectiones expiſcatus fuit, tametſi fraudis non accuſaverit Iudaeos, vel Chriſtianos, quod ſcripta illa ſupposuerint. MATTHAEUM, MARCUM, LUCAM et *Epiſtolas* PAULI, ut ſanctos Chriſtianorum libros, affert in

in suis contra eos disceptationibus; IOANNEM vero tam accurate legit, ut veram CHRISTI deitatem illum docuisse recte tradiderit, et illud commune Christianorum dogma fuisse asseveret, quod, cum ex IULIANO discant, pudeat contorti scripturarum sensus *Socinianos* et PRIESTLEUM. Neque miracula CHRISTI negavit, sed, uti vidimus, infelici conatu extenuare studuit, quae, si vera, (quod concedit) adeo maxima fuere et divina, ut Christianismi veritas ex iis solidissime confirmetur.

Ex reliquis autem, qui serioris aevi sunt, et, propter causas supra memoratas, timidius scripserunt, et non adeo Elenchticos libros, quam declamationes convicioſas in Christianos ediderunt, pauciſſima addi possunt, cum hoc unum sufficiat, neminem ex iis, infestissimis licet et acutissimis, ullum argumentum suppeditasse, quo aut sacri scriptores falsitatis, aut Christianismus erroris convinci possint.

Atque haec de iis, quos antea recensuimus, religionis infensioribus Philosophis, qui, quam enervare studebant, corroborarunt religionis veritatem, id, quod demonstrandum nobis sumsimus, cum sufficiant, progrediamur ad alia Gentilium testimonia, quae eidem demonstrationi inserviant.

CAPUT IV.

§ I.

Reliqua Gentilium de CHRISTO ac rebus Christianorum testimonia, quae Euangelicae veritati fulcrum addiderunt, dum breviter percurrimus, unam in antecessum praemitti observationem, ipsius rei natura postulat, quae, a nonnullis neglecta, veritati, quam

tueri ſtuduerunt, non minimum attulit detrimentum. Quamlibet enim, quam ſtabilire volumus, veritatem, vilibus atque futilibus ſi utamur argumentis, prodimus magis, quam iuvamus, unde admodum peccaviſſe mihi ſemper viſi ſunt illi, qui religionis Chriſtianae myſteria, rationi humanae non contraria quidem, prorſus tamen incognita, ſine quibus nulla divina Revelatio concipi poteſt, ex coecorum gentilium lacunis confirmare anniſi ſunt; atque non niſi σόφισμα appellandum eſſe cenſeo, cum vana et hac in re profana Ethnicorum ſcripta in aequiorem ſenſum flectuntur, quaſi illa myſteria comprehendant clariori etiam et, ut ita dicam, ſyſtematico ſenſu, qui priſcis quidem Iudaeis, Prophetis etiam et ſanctiſſimis viris, veteri et umbroſa ſub oeconomia, non ita clarus fuit et manifeſtus. Non eiusdem tamen commatis illuſtria praeclarorum virorum conamina cenſeo, qui non tam religionis myſteria, quam hiſtoriae Euangelicae teſtimonia apud ipſos Gentiles quaerenda eſſe iudicarunt, qua quidem ratione maximus noſter GROTIUS, LARDNERUS, aliique viri clariſſimi maxime excelluerunt. Nec laude atque utilitate caret eorum inſtitutum; quid enim veritati exoptatius accidere poteſt, quam ſi, quae Prophetae de CHRISTO implenda praedixere, Euangeliſtae impleta monſtravere, calculo ſuo ipſi hoſtes approbant? quid Chriſtiano homini iucundius atque ſuavius, quam ſi hiſtorias, quibus tota religionis veritas ſuperſtructa nititur, non negaſſe auſos, immo confirmaſſe iuratos rei Chriſtianae hoſtes, oculis ſuis cernat atque animadvertat paſſim? — Non ergo ab inſtituti noſtri ratione me aberraturum fore iudico, ſi iam ſupra enarratis et alia quaedam gentilium dicta ac facta addiderim, quae ad hiſtoriam Opt. Max. Servatoris pertinent, reiectis tamen, non vero penitus intactis, quae vulgo, licet falſo, huc pertinere viſa fuere. Non

Non itaque insistam multis, quae in gentilium scriptis reperire licet, vestigiis, quibus nonnullos Messiam et praenovisse et exspectasse iure colligas, de quibus haud pigebit legisse HUETIUM, *Dem. Euang. Propos. VII.* § 32. *p.* 661. et in *Quaest. Alnet. L. II. C.* 13. *p.* 235. Haec enim, sive ex BILEAMI inter Moabitas vaticiniis, sive ex aliis Iudaeorum libris et colloquiis, orta sint, non inquirimus; hoc tamen pro certo habentes, non ex Gentilium genio, sed ex ipsorum Iudaeorum fontibus ista dimanasse, unde pro re nostra non adeo firmum suppeditant argumentum. Hinc illam etiam deducimus, quae percrebruit oriente toto, veterem et constantem opinionem, *esse in fatis, ut eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur*, de qua consulas SUETON. *in Vita* VESPAS. *Cap. IV.* et in vita AUGUSTI, *Cap. XCIV.* et inter recentiores amicum meum, dum in vivis erat, integerrimum, P. NIEUWLAND, *Lect. Exeget. T. I. p.* 19-23.: addas TACIT. *Hist. L. V.* et IOSEPH. *de B. I. L. VII. C.* 12., quam opinionem adulatio perperam propagavit, ut docet GALLAEUS, *De Sibyll. et eorum Orac. C. XVIII. p.* 367. — de quibus Sibyllinis oraculis pauciora hic dicenda sunt, cum, quam subiectae fidei ista sint, nemo nesciat, qui, quid de iis scripserint IS. VOSSIUS, MARCKIUS, PETITUS, GALLAEUS, REISKIUS, aliique, inter se contulerit, quibus addas, quae habet REISKII antagonista TENZEL, *in Monatl. Unterred. Anni* MDCLXXXIX, *Mens. Mart. p.* 304., *Mens. Dec. p.* 1251., et *Anni* MDCXC. *Mens. Dec. p.* 1130. — Quare ad illa tantum paucis progredimur, quae ex Ethnicorum scriptis de *natalibus*, — *vita* et *operibus*, — *morte*, — et *honoribus* CHRISTI potiori iure expiscari licet.

§ 2.

De *nativitate* CHRISTI acturi non pauci ad notissimam et elegantem VIRGILII Eclogam IV provocant, qua, quod de CHRISTO Sibylla Cumana praedixisse fertur, aut ipse de CHRISTO intellexisse, aut in filium ASINII POLLIONIS, Consulis Romani, transtulisse, multis visus fuit Poëtarum ille Princeps. Hoc non tantum ex antiquis censuerunt CONSTANTIN. M., *Orat. ad Sanct. Coet. ap.* EUSEB. *C. XIX--XXI.*, LACTANT. *Instit. L. VII. C.* 24., AUGUSTIN. *Ep. CCLVIII*, sed et ex recentioribus viri, omni doctrinae et eruditionis laude insignes, IS. VOSSIUS, *de Sibyll. Orac. C. X.*, MONTACUTIUS, *in Appar. ad Orig. Eccles. p.* 130., BEVEREGIUS, *Codic. Canon. Vindic. p.* 145., CUDWORTH, *Syst. Intell. C. IV.* § 16. Nos quidem non adeo ad nostrum institutum hanc litem pertinere iudicamus, de iis tantum testimoniis solliciti, quae CHRISTO *iam nato* a Gentibus data fuerunt; Ecloga vero VIRGILII. SALONINO POLLIONIS filiolo dicata, multis annis (XL multi numerant) prior fuit. Deceptos interim fuisse Patres et recentiores probat SPANHEMIUS *in Summ. Hist. Eccles. N. T. p.* 51., cui iungas GALLAEUM, *Diss. Laud. p.* 369., invictis et solidissimis argumentis evincentem, *nihil in dicta Ecloga de Messia, Iudaeorum Rege, reperiri, verum quicquid in ea continetur, superstitionem et profanam gentilitatem redolere:* addas in primis HEYNIUM, qui Eclogam illam, qualis Graece reddita est, in *Excurs. I. ad Bucolica* iterum excudi curavit, refutatis iis, quae pro VIRGILIO. adventus CHRISTI praecone, adduci solent, argumentis, eorum etiam, qui ex eo, quod Rex HERODES POLLIONIS hospitio usus fuerit, (secundum IOSEPH. *Ant. Iud. L. XV. C.* 13.) atque adeo omnia de CHRISTI adventu cum illo commu-

municare potuerit, opinionem ſuam tueri conantur. Nec porro viri magni ſententiam minuunt *verſ.* 21 *et* 22.

Ipſae lacte domum referent diſtenta capellae
Ubera: nec magnos metuent armenta leones.

eorumque cum notiſſimo IESAIAE loco convenientia; cum, qui ex his verſibus aliud quid, quam poëticam picturam eliciat, indoctus ſit et haberi debeat; ceterum non ſemel in ſacro Codice loci quidam inveniuntur, qui cum Graecorum aut Romanorum dictis comparari poſſint, v. c. *Pſalmus LXXIII.* cum initio CLAUDIANI *in* RUFFINUM, quapropter nihil mirum accidat, ſi hi VIRGILII verſus aliqua ex parte cum IESAIAE carmine conveniant. —

Sed propero ad alia. —

Potiori iure huc referri poſſet egregius AMELII locus, viri inter iuniores Platonicos illuſtriſſimi, *de* VERBO *Dei, ſive* ΛΟΓΩι, *carnem aſſumente.* Hic enim apud EUSEBIUM, *Praepar. Euang. L. XI. C.* 19, ſcribit: Λόγον ἐν τῇ τῆς ἀρχῆς τάξει τε καὶ ἀξίᾳ καθεσηκότα πρὸς Θεὸν εἶναι, καὶ Θεὸν εἶναι, δι' ὃ παντὸ ἁπλῶς γεγενῆσθαι· ἐν ᾧ τὸ γενόμενον ζῶν, καὶ ζωὴν, καὶ ὂν πεφυκέναι· καὶ εἰς τὰ σώματα πίπτειν, καὶ σάρκα ἐνδυσάμενον φανταζέσθαι ἄνθρωπον, μετὰ καὶ τὸ τηνικαῦτα δεικνύειν τῆς φύσεως τὸ μεγαλεῖον· ἀμέλει καὶ ἀναλυθέντα πάλιν ἀποθεῶσθαι, καὶ Θεὸν εἶναι, οἷος ἦν πρὸ τὸ εἰς τὸ σῶμα, καὶ τὴν σάρκα καὶ τὸν ἄνθρωπον καταχθῆναι. Id eſt (ex verſione VALESII): VERBUM, *ſeu* Λόγον, *apud Deum in principii gradu ac dignitate conſtitutum, immo et Deum ſimul eſſe, per quod facta ſimpliciter omnia ſunt, in quo quidquid factum est et vivens et vita et aliquid pro ſua quodque natura fuerit: immo porro in corpora delabi tradit et carne indutum, humanam ſpeciem prae ſe ferre, ſic tamen, ut ſuae interea naturae maieſtatem oſtendat. Adeoque ſolutum ubi iam fuerat, Dei iecum*

denuo capeſſere, ac Deum prorſus eundem eſſe, qui erat priusquam in corpus atque in carnem hominemque deſcenderat. Verum enim vero, quoniam cum EUSEBIO nulli dubitamus, quin potiora hic depromta ſint e S. IOANNIS Euangelii initio, cuius nomen ſuppreſſit AMELIUS, *Barbarum*, quia Iudaeus fuit, appellando, neque certum ſit, utrum, quae retulit, ſua etiam fecerit, nec huic loco, clariſſimo ceteroquin, inſiſtimus.

Bethlehemi naſciturum CHRISTUM praedixit MICHA vates, natum vero fuiſſe teſtantur Euangelia. Hoc autem, quod teſtantur, veritati conſentaneum eſſe, Romanorum tabulae Cenſuales demonſtrarunt, quas pro figmento nullus habebit, vel doctus, vel prudens, qui rite perpendit confidentiam Patrum, qua ad haſce tabulas provocarunt, nemine unquam ex Gentilibus mendacii ipſos inſimulante. Quos inter Patres IUSTINUS MARTYR. *Apol. II. pro Chriſt.*, qui, cum O.M. Servatorem *Bethlehemi* natum dixiſſet, ita Romanos affatur: *ὡς καὶ μαθεῖν δύνασθε ἐκ τῶν ἀπογραφῶν τῶν γενομένων ἐπὶ Κυρηνίου τοῦ ὑμετέρου ἐν Ἰουδαίᾳ πρώτου γενομένου ἐπιτρόπου*, *uti et diſcere poteſtis ex tabellis primi cenſus in Iudaea habiti ſub Praeſide* CYRENIO; cui iungas TERTULLIANUM *adv.* MARCION., *L. IV. C.* 7. *Cenſum* AUGUSTI *teſtem fideliſſimum Dominicae nativitatis Romana archiva cuſtodiunt*, quod idem fere repetit *C.* 19, ubi SENTIUM SATURNINUM quidem nominat, loco CYRENII, ſed cui dubio non inſiſtimus, lectorem ablegantes ad ea, quae ad LUC. *II.* 2 ſcripſerunt viri eruditiſſimi, ut et ad doctas PH. PRIORII notas ad priorem TERTULLIANI locum. — Neque civitatem tantum *Bethlehemum*, ſed et ipſum dominicae nativitatis locum, eundem quem Patres, ipſi religionis hoſtes infenſiſſimi commonſtrant. — Scilicet *antrum* quoddam exſtitiſſe, quo natus fuerit Servator, *uno ore* affirmant Eccleſiae Patres, quorum non-

nonnulli hanc ſpeluncam EXTRA *urbem Bethlehemum* fuiſſe tradunt, v. c. IUSTINUS, *Dial. cum* TRYPH., EUSEB., *Dem. Euang. L. VII. C.* 2., IUVENCUS, *Hiſt. Euang. in verſus redactae L. I.*, quos deceptos fuiſſe ſpurio *Proteuangelio* IACOBI, ſuſpicatur BUCHNERUS, *Not. ad* PRUDENT. *Hymn. in Natali* CHRISTI, *pag.* 96. Notiſſimae hinc exortae lites BARONIUM inter et CASAUBONUM, quorum *ille* opinionem tuetur, CHRISTUM extra oppidum in ſpecu quodam natum fuiſſe, ubi *praeſepe* in ſaxo inciſum fuerit; vel ubi viatores, cum iumentis divertere ſoliti, eum ſpecum *praeſepe* appellaverunt; provocans ad Patres et recentiorum plurimos, quos videas apud QUENSTEDIUM, *de Patr. Illuſtr. p.* 568, et uberius in SAVEDRAE *Amoenit. Bibl. p.* 411. CASAUBONUS vero, in *Exercit. Anti-Baron. II. p.* 145, nihil obſtare docuit, quo minus ſpecus ii in urbibus, atque in Bethlehemo inprimis, fuiſſe potuerint, quam quidem ſententiam, nobis etſi magis arrideat, ex ipſa voce φάτνη, et ex illo paſtorum, διέλθωμεν ἕως, vel ut alii codd. ἕως εἰς, LUC. *II.* 14, hoc tamen loco non latius perſequimur, qui ideo tantum huius antri mentionem fecimus, quod ipſi Gentiles in tali ſpelunca natum fuiſſe CHRISTUM, ſuo teſtimonio confirmarunt, cui demonſtrationi unus ORIGENIS locus ſufficiat, *L. I. contra* CELS. *fol.* 39., Δείκνυται τὸ ἐν Βηθλεὲμ σπήλαιον, ἔνθα ἐγεννήθη (Ἰησοῦς) καὶ ἡ ἐν τῷ σπηλαίῳ φάτνη, ἔνθα ἐσπαργανώθη. Καὶ τὸ δεικνύμενον τοῦτο διαβόητόν ἐστιν ἐν τοῖς τόποις, καὶ παρὰ τοῖς τῆς πίστεως ἀλλοτρίοις, ὡς ἄρα ἐν τῷ σπηλαίῳ τούτῳ ὁ ὑπὸ Χριστιανῶν προσκυνούμενος καὶ θαυμαζόμενος γεγέννηται Ἰησοῦς. *Oſtenditur* (a gentibus nempe, quibus urbem, Veneris et Adonidis aede profanatam, impleverat HADRIANUS) *Bethlehemi ſpelunca, ubi natus fuit* IESUS, *et in ſpelunca praeſepe, ubi faſciis involu-*

tus iacuit; et quod ostenditur, celebratissimum est iis in locis, apud eos etiam, qui a fide alieni sunt, in ea ipsa spelunca natum esse IESUM, *quem Christiani adorant et suspiciunt.*

Neque in iis subsistimus; habeo, quae addam. — Stellam nempe Magis visam et observatam, quam rident serioris aevi incredulorum et insipientia, et impudentia, non negare ausi fuerunt religionis ex gentilibus Antagonistae. Non equidem illis assentior, qui crinitum illud sidus idem fuisse, ac magorum stellam suspicantur, quod post IULII CAESARIS obitum per septem dies in regione coeli, quae sub Septentrionibus est, conspicuum fuit, de quo SUETON., *in vita C. LXXXVIII*, et PLINIUS, *Hist. Nat. L. II. C.* 25, quod quidem sidus vulgo pro signo habitum fuit, animam CAESARIS inter Deorum numina receptam fuisse, ab AUGUSTO vero postea, ut felix omen, ad se tractum fuit.

Quanquam enim non litigandum esse iudico cum doctiss. DALECHAMP. in *Notis ad laudatum* PLINII *locum*, qui Magorum stellam, CHRISTI praenunciam, et Romae visam potuisse, docuit, reiiciendam prorsus esse illorum sententiam statuimus, qui hanc cum illa confundunt, quos inter vir, Marte et arte clarissimus, MORNAEUS, *de verit. rel. Christ. p.* 614, huc etiam trahens VIRGILII decantatissimum illud:

Ecce Dionaei processit Caesaris astrum,

refutatus abunde iis, quae iam de ista VIRGILII Ecloga notavimus. Ceterum omnino nostra facimus, quae scripsit HUETIUS in *Quaest. Alnetanis, L. II. C.* 15. *fol.* 243. *Reclamat non ratio solummodo temporum; sed locus etiam stellae, in Oriente Magis visae, cum illa Caesaris, quae sub Septentrionibus fulserat, non congruit.* Attamen, non adsint licet, qui se huius stellae testes αὐτόπλας fatentur, Gentiles, non deest, qui rei veritatem postea agnovit, IULIANUS παραβάτης. Hic enim, ne-

neque ſtellam ipſam, neque Magorum, ſtella duce, adventum negare ſuſtinuit, etſi cauſis naturalibus illius ortum adſcribat, *fuiſſe*, dicens, *eam, quae vocatur ab Aegyptiis* Aſaph, *quam quadringenteſimo quoque anno conſpici tradunt*; ad quae recte MORNAEUS, *l. l. p.* 615, *praeterquam quod anterioribus ſeculis nihil eiusmodi legimus, biſce mille et quingentis annis, qui exinde lapſi ſunt, nuſquam conſpectam ſcimus.*

Quod autem MORNAEUS, atque ex illo plurimi, IULIANO addunt duos Philoſophos, Stoicum alterum CHAEREMONEM, alterum Platonicum CHALCIDIUM, hoc minime imitandum ducimus.

Nempe de CHAEREMONE narrat, illum noſtram ſtellam *ſalutiferum ſidus* dixiſſe, addentem „ſe, cum Deos ſuos labefactari ſenſiſſet, in Iudaeam cum quibusdam aſtrologis tranſiiſſe, ut de vero Deo certior fieret.“ At, unde haec habuerit vir doctiſſimus, neſcio. Certe non ex ORIGENIS illo, quem in margine citat, loco. Hic enim theſin ſuam: „Cometas non mali ſemper, ſed boni etiam aliquid interdum praenunciaſſe,“ teſtimonio quodam comprobaturus, hoc tantum addit: „Legere nos in CHAEREMONIS, Stoici, commentario, quem de Cometis „ſcripſit, quod nonnunquam res etiam bonas Cometae praeſignaverint.“ Hinc etiam VOSSIUS, cum *L. II, de Hiſt. Graec. p.* 164, 165., de CHAEREMONE mentionem iniecit, locum quidem ORIGENIS laudavit, ſed nihil eorum, quae ſcripſit MORNAEUS.

De CHALCIDIO alia ratio. Exſtat nempe apud illum, *p.* 219, illuſtriſſimum de ſtella noſtra teſtimonium, his quidem verbis: „Sane notanda eſt alia ſanctior „et venerabilior hiſtoria, quae perhibet de ortu ſtellae cuiusdam, non morbos mortemque denuntiantem, ſed deſcenſum Dei venerabilis ad humanae „converſationis rerumque memorabilium gratiam,

„ quam ſtellam cum nocturno itinere ſuſpexiſſent „ Chaldaeorum profecto ſapientes viri, et conſidera- „ tione rerum coeleſtium ſatis eximii, quaeſiviſſe di- „ cuntur recentis Dei ortum, repertaque illa Maie- „ ſtate puerili, venerati eſſe et vota Deo tanto con- „ venientia nuncupaſſe." — Sed, quo minus hoc illuſtre effatum ad noſtrum propoſitum facere arbitremur, vetat clariſſimorum virorum obſervatio, CHALCIDIUM non Platonicum modo, ſed Chriſtianum fuiſſe ſcriptorem. Legantur, praeter FABRICIUM in *Bibl. Lat.*, HUËTIUS, *Quaeſt. Alnet. fol.* 243., VOSSIUS, *de Idololatr. L. II. C.* 45., BARTHIUS, *Adverſ. L. XXII. C.* 16., qui et dubium removet, quod obortum fuit CAVEO in *Hiſt. Liter.*

Ceterum de hac ſtella legi meretur Rev. TH. VIERBOOTH, V.D.M. Wormerenſis, diſſertatio, inſerta *Diſſertationibus Academicis*, Belgice editis, *T. VII. p.* 412. *ſeqq.*, de qua et ipſe quaedam notavi in opuſculo maiori, Belgice publica auctoritate conſcripto A. MDCCLXXXVI, *Geſchiedenis en Coſtumen van Axel*, *Tom. I.*, in *Notis ad pag.* 25-27.

De Fuga CHRISTI in Aegyptum, quomodo ex Gentilium ſcriptis probari poſſit, in antecedentibus iam diximus, eamque ab ipſo CELSO agnitam fuiſſe, teſtis iam fuit HUËTIUS, *Dem. Euang. Propoſ. III. fol.* 47. Quod ita accipiendum eſſe docuimus, ut ipſum quidem in Aegyptum receſſum agnoverit CELSUS, circumſtantias vero (quas dicunt) mirifice et falſo mutaverit, et *infantem* IESUM eo migraviſſe potius negaverit, uti diſcas ex ORIGENE, *L. I. contra* CELSUM, *fol.* 47: Μὴ πιστεύει Κέλσος, ἀναχωρῆσαι (τὸν Ἰωσὴφ) μετὰ τοῦ παιδὸς καὶ τῆς μητρὸς αὐτοῦ εἰς Αἴγυπτον. — Hoc enim voluit, uti *huius Sectionis*, *C. II.* § 2. notavimus, CHRISTUM in Aegyptum abiiſſe, artes Aegyptiacas edocendum, unde in patriam redux, propter illas,

pro

pro Deo haberi postulavit, scribens αὐτὸν σκότιον τραφέντα, μισθαρνήσαντα, εἰς Αἴγυπτον, δυναμεών τινων πειρᾳθέντα ἐκεῖθεν ἐπανελθεῖν, Θεὸν δι' ἐκείνας τὰς δυνάμεις ἑαυτὸν ἀναγορεύοντα. Quibus mendaciis cum solidissime responderit ORIGENES, nihil iis, quae l. l. scripsimus, praeterea addendum duximus.

Restat tristissima illa strages, qua plurimis infantibus, ad duos annos aetate provectis, CHRISTO recens nato, interitum machinabatur HERODES tyrannus, cuius rei rumor ad Gentiles non dimanare haud potuit. Ad ipsum enim AUGUSTUM tanti facinoris famam pervolasse, unus testatur MACROBII locus in *Saturn. L. II. C. 4. Cum audisset, inter pueros, quos in Syria* HERODES *Rex Iudaeorum intra bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait: Melius est,* HERODIS *porcum esse, quam filium.* Quem MACROBII locum probe scio ab illustri GROTIO, *ad* MATTH. *II:* 16, non magni ponderis iudicatum fuisse, eo quod duas historias, tempore et loco adeo diversas, confundat, alteram de παιδοκτονίᾳ Bethlehemitica, alteram de caede ANTIPATRI. Humani vero quid patitur vir magnus; id enim tantum voluisse videtur MACROBIUS, aut utriusque caedis nuncium eodem tempore ad AUGUSTUM fuisse perlatum, aut eodem fere tempore mori iussum fuisse ANTIPATRUM, quo innoxiae infantum catervae mors illata fuerit. Quin, si diversa confudisset MACROBIUS negligentior, vel ipse etiam AUGUSTUS, nihilominus de ipsius infanticidii veritate per MACROBIUM constaret. Pluribus satisfacere GROTIO studuit HUETIUS, *l. l. Prop. IX. C. XVI. fol.* 788, 789. — Aut dicat aliquis, „Forte MACROBIUS, qui in aula THEODOSII vixit, Christianus fuit." Verum ex annalibus constat, plures Ethnicos sub THEODOSIO non tantum in aula Caesaris, sed et in Senatu fuisse,

se. MACROBIUS autem Ethnicismo adeo deditus fuit, ut in iisdem *Saturnalibus* Christianorum in Polytheismum obiectiones refutandas sibi sumserit, neque alios, nisi Ethnicos, loquentes introduxerit, v. c. VETTIUM AGORINUM, SYMMACHUM, et PRAETEXTATUM, notissimum Vestae sacerdotem, *L. I. C.* 24. — Neque ex Euangelio desumsit; historias enim, quas, uti *in Prooemio* fatetur, ex Graecis et Latinis depromsit, verbotenus fere descripsit, uti ex collatione illius cum PLUTARCHO et GELLIO constat; hic vero ea est a MATTHAEO differentia, ut illa GROTIO difficultates peperisse visa fuerit. Causa vero, cum huius rei mentionem haud inveniamus apud scriptores reliquos, in promtu est. TACITUS libros suos incipit ab *ultimis* AUGUSTI *temporibus*, et vix HERODEM nominat, *Hist. L. V. C.* 19. — ex DIONE CASSIO periit liber LV, Historias complectens ab Anno U. C. DCCXLVIII--DCCLVIII, quo tempore CHRISTUS natus fuit: vid. XYLANDRUM, *Not. ad fol.* 556. — STRABO, more suo concinno, non nisi perfunctorie de HERODE locutus est, *L. XVI*, *Edit. Casaub. fol.* 765. — IOSEPHUS multa facinora HERODIS silentio praeteriit in gratiam AGRIPPAE, cuius amicitia usus est, generaliter tamen *multas strages* memorat, timore natas, *ne regno exueretur*, *Ant. L. XVII. C.* 2. § 6. — Recentioribus autem, qui de genuinitate duorum priorum MATTHAEI capitum dubitarunt (vid. Anonymi Angli *Liberam inquisit. in II priora Cap.* MATTH. MICHAËLIS *Introd. in N. T. p.* 1131., et *Bibl. Orient. et Exeg. Part. I. p.* 68, 69.) satis facit LILIENTHAL. *T. XVI.*, uti et Anonymo Anglo (quem IO. WILLIAMS dicunt) ex professo respondit Rev. VELTHUSIUS, V. D. M. in *St. Iames*, in *Authentia II priorum Cap.* MATTH. *vindicata*, *Lond.* MDCCLXXI, itidem Anglico idiomate conscripta. Scriptorem vero tẽ *Toled. Iesu*,

fu, *Ed.* HULD. veritatem infanticidii Bethlehemitici agnoviſſe, ſupra notavimus, *Sect. I. C. III.* § 1. et *C. IV.* § 2.

Ceterum, hos infantes (quorum numerum ad MCCCC inepte auxit Miſſale Aethiopicum, ineptius, ex *Apocal. XIV:* 1, ad XIV millia I. G. ECKARD. *Corp. Hiſt. medii aevi*, *T. II. p.* 1348.) non, niſi improprie, MARTYRUM catalogo inſertos fuiſſe ob *Confeſſionis* et *Spontaneitatis* defectum, demonſtravit Clariſſ. HOFSTEDE in Diſſert. Belgica, *Over het klein getal der echte Martelaaren*, *p.* 61. inſerta *T. II.* libri eruditiſſimi, cui *Byzonderheden der H. Schrift* titulum praefecit vir mei amantiſſimus, mihique cariſſimus.

§ 3.

Pergamus ad *vitam* et *opera* CHRISTI, et, quaenam in Gentium monumentis pro veritate Euangelica, hac etiam in parte, erui poſſint argumenta, videamus.

NUMENIUS, philoſophus Pythagoricus et Platonicus, qui in multis ipſi PLATONI palmam praeripuiſſe fertur, et EUSEBIO ſaepius laudatus fuit, (conf. SPENCERI *Not. in L. I.* ORIG. *contra* CELS. *ad fol.* 13.) quandam περὶ τῦ Ἰησῦ ἱστορίαν conſcripſit *Libro tertio* περὶ τῦ ἀγαθῦ, ut iex ORIGENE diſcas *L. IV. fol.* 198. Qualis vero fuerit hiſtoria, non conſtat, cum opus illud ſit deperditum, etſi forte vero haud abſimile conjicias, ſi, miraculum quoddam ex Euangeliis decerptum a NUMENIO narratum fuiſſe, ſtatueris. Quidni enim ex Euangeliſtarum voluminibus aliquid petiiſſet ſcriptor, qui Moſaica doctrina libros ſuos locupletavit? quod de eo probatum dedit HUËTIUS, *Dem. Euang. Prop. IV. C. II.* § 54. *fol.* 109.

Facultate divina futura praedicendi polluiſſe O. M. IESUM, docent Euangeliſtae; vera autem docuiſſe e-

os, exinde probaveris, quod in exoticis historiis eventu probatas legas plerasque Domini prophetias, ab Euangelistis memoratas, quas quasi oculo conspiciendas dedit HUËTIUS, *l. l. Prop. IX. C. XXIX. fol.* 814. — Sed et aliud in promtu habemus argumentum. Notissimus est PHLEGON TRALLIANUS, HADRIANI libertus (non AUGUSTI, quod contra nonnullorum anachronismum evicit VOSSIUS, *de Hist. Graec. L. II. C. XI. fol.* 218.). Ille ergo PHLEGON disertis verbis asseveravit, a vaticinandi virtute instructum fuisse nostrum, quem veneramur, IESUM. Ita enim ORIGENES *contra* CELS. *L. II. fol.* 69. Φλέγων μέν τοι ἐν τρισκαιδεκάτῳ ἢ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ τῶν Χρονικῶν, καὶ τὴν περὶ τινων μελλόντων πρόγνωσιν ἔδωκε τῷ Χριστῷ, καὶ ἐμαρτύρησεν, ὅτι κατὰ τὰ εἰρημένα ὑπ' αὐτοῦ τὰ λεγόμενα ἀπήντησε. PHLEGON *quoque, in Chronicorum Libro XIII vel XIV, futurorum praescientiam* CHRISTO *tribuit, atque eventum iis, quae praedicta fuere, respondisse fatetur.* Excidium Hierosolymitanum, aliasque Iudaicae gentis calamitates a servatore praedictas innui, integrum est coniicere, cum ex opere deperdito certius quid constituere non liceat.

Vaticiniis iungenda sunt *miracula*, quae neque a Iudaeis, neque a Gentilibus negata fuisse, antea demonstravimus. CELSUS enim, teste ORIGENE, *L. II*, non negavit Christianorum argumentum, quo αὐτὸν εἶναι υἱὸν Θεοῦ demonstrant, nempe ἐπεὶ χωλοὺς καὶ τυφλοὺς ἐθεράπευσεν, *quod claudos et coecos sanaverit;* quanquam ad illud, quod ἀνέστη νεκρούς, *mortuos resuscitaverit*, addit, ὡς ὑμεῖς φατε, *uti vos quidem dicitis*, quibus illud quasi ἀδύνατον reiicere videtur, suis etiam bello indicto, qui plurima eorum, quibus ad vitam reverti datum fuit, exempla coacervant, de quibus quid statuendum

dum sit, docet LOEFLERUS, a nostri temporis LOEFLERO toto coelo diversus, *Diss. de iis, qui inter gentes in vitam rediisse perhibentur. Lips. A.* MDCXCIV. — Ipse etiam IULIANUS annuit, extenuans tantummodo, quae divinam virtutem testantur, uti antea ex CYRILLO, *L. VI. adversus* IULIAN., probavimus. conf. *huius Sectionis Cap. II.* § 6. et *Cap. III.* § 3. Obtrectantibus autem, quod *Magus* fuerit IESUS noster, et *clandestinis artibus omnia perfecerit, Aegyptiorum ex adytis angelorum potentium nomina et remotas furatus disciplinas*, uti habet ARNOBIUS *adversus Gentes, L. I. p.* 25, saepius iam responsa dedimus; hoc unum nunc addituri, quod (fucus ne mendacio deesset,) effinxerint, CHRISTUM libros, de artibus magicis a se conscriptos, PETRO simul ac PAULO dedicasse; quod non tantum IULIANI commentum fuisse, ex CYPRIANI *L. I. contra* IUL. probat G. HORNIUS, *Hist. Eccl. p.* 108, sed et a veteribus Haereticis quibusdam promulgatum fuit, docente Hipponensium Praesule clarissimo, *de Consensu Euangelistarum L. I. C.* 9, 10, qui *ita vero*, inquit, *isti desipiunt, ut in illis libris, quos* (CHRISTUM) *scripsisse existimant, dicant contineri eas artes, quibus eum putant illa fecisse miracula, quorum fama ubique percrebuit, quod existimando se ipsos produnt, quid diligant et quid affectent. Quandoquidem* CHRISTUM *propterea sapientissimum putant fuisse, quia nescio quae illicita noverat, quae non solum disciplina Christiana, sed etiam ipsa terrenae Reipublicae administratio iure condemnat. Et certe, qui tales* CHRISTI *libros legisse se affirmant, cur ipsi nulla talia faciunt, qualia illum de libris talibus fecisse mirantur.* — Num opus est verbis? quomodo enim Dominus librum suum more antiquo PAULO inscripsit, qui illa aetate inter Christianos nomen suum nondum erat professus? aut quis nugarum finis erit, si, post suum in coelos adscensum,

talia exaraſſe ac PAULI nomini conſecraſſe ſanctiſſimum IESUM, ſomniaveris? — Audiamus AUGUSTINUM, qui *l. l. fol.* 266 addit: „Et fieri poteſt, ut, ſive inimici nominis CHRISTI, ſive qui eiusmodi exſecrabilibus artibus de tam glorioſo nomine pondus auctoritatis dare ſe poſſe putavere, talia ſub CHRISTI et Apoſtolorum nomine ſcripſerint? in qua fallaciſſima audacia ſi excoecati ſunt, ut etiam a pueris, qui adhuc pueriliter in gradu lectorum Chriſtianas litteras norunt, merito rideantur. Cum enim vellent tale aliquid fingere CHRISTUM ſcripſiſſe ad diſcipulos ſuos, cogitaverunt, ad quos potiſſimum ſcribere potuiſſe facile credereter, tanquam ad illos, qui ei familiarius adhaeſiſſent, quibus illud quaſi ſecretum digne committeretur, et occurrit eis PETRUS et PAULUS. Credo, quod pluribus in locis ſimul eos cum illo pictos viderunt, quia merita PETRI et PAULI etiam propter eundem paſſionis diem celebrius et ſollenniter Roma commendat. Sic omnino errare meruerunt, qui CHRISTUM et Apoſtolos eius, non in Sanctis Codicibus, ſed in pictis parietibus quaeſiverunt. Nec mirum, ſi a pingentibus fingentes decepti ſunt. Toto enim tempore, quo CHRISTUS in carne mortali cum ſuis diſcipulis vixit, nondum erat PAULUS diſcipulus eius, quem poſt paſſionem ſuam, poſt reſurrectionem, poſt adſcenſionem, poſt miſſum de coelis Spiritum S., poſt multorum Iudaeorum converſionem et mirabilem fidem, poſt lapidationem STEPHANI Diaconi et Martyris, cum adhuc SAULUS appellaretur, et eos, qui in CHRISTUM crediderant, graviter perſequeretur, de coelo vocavit et ſuum diſcipulum atque Apoſtolum fecit. Quomodo igitur potuit libros, quos, antequam moreretur, eum ſcripſiſſe putari volunt, ad diſcipulos tanquam familiariſſimos

„ PE-

„ PETRUM et PAULUM ſcribere, cum PAULUS nondum „ fuerit diſcipulus eius. Illud quoque attendant, „ qui magicis artibus tanta potuiſſe et nomen ſuum „ ad populos in ſe convertendos arte ipſa conſecras- „ ſe delirant, utrum potuerit magicis artibus tantos „ Prophetas divino ſpiritu, antequam in terris naſce- „ retur, implere, qui de illo talia futura praelocuti „ ſunt, qualia iam praeterita in Euangelio legimus, „ et qualia in orbe terrarum praeſentia nunc vide- „ mus? Neque enim ſi magicis artibus fecit, ut co- „ leretur et mortuus, magus erat antequam eſſet na- „ tus &c." — Addatur HIERON. *Comm. in* EZECH. (cuius verba vide ap. IO. LOMEIER *de Bibliothecis*, *p.* 116.) et RICH. SIMON, *Hiſt. Critique du Texte du Nouveau Teſtament. Chap. III des Livres, qui ont été publiez ſous le nom de* IESUS CHRIST *et des Apôtres. p.* 22. —

Neque illam θαυματεργικὴν coecos atque claudos ſanandi virtutem agnoverunt ſolum, ſed et O. M. IESU in *Daemonia* potentiam. Hinc conqueſtus legitur PORPHYRIUS, Aeſculapium et reliquos Gentilium Deos poſt Chriſtianismi doctrinam diſſeminatam nihil amplius virium aluiſſe, ad opis aliquid ſuis cultoribus afferendum: ita enim de illo EUSEBIUS, *Praep. Euang. L. V. C.* 1. Ἰησῦ (inquit PORPHYRIUS) τιμωρέντε, ὐδεμιᾶς τις θεῶν δημοσίας ὠφελείας ἤσθετο. adde, quae de IULIANO adduximus *huius Diſſert. Sect. I. C. III.* § 2. *in fine.* Quo (ni longus eſſem) notiſſima illa pertineret Quaeſtio de Oraculorum circa nati CHRISTI tempora defectu, quem diſſimulare haud potuerunt PLUTARCHUS, *in integro de hac re libro*, CICERO *de Divinat. L. II.*, IUVENALIS *Sat. VI*, alii. Querulae Apollinis valedicentis voces notiores ſunt, quam ut repetamus, praeſertim cum has, aliaque huc ſpectantia, congeſſerint alii, quos inter MORNAEUS, *de Verit. Rel. Chriſt. C.* 32., et MOEBIUS,

Tract. Philol. de oraculorum ethnicorum origine, propagatione et duratione, qui doctissimo ANTONIO VAN DALE (*cuncta* omnino oracula Ethnica *mera* artificia et fraudes fuisse, contendenti) ita respondit, ut palmam facile ei praeripuisse censeatur ab eruditissimis scriptoribus *du Journal des Scavans*, *A. seculi elapsi LXXXVI. p.* 257. *seqq.* Oggerit quidem IULIANUS *ap.* CYRILL. *L. VI*, *ista tempora Prophetiis etiam*, *quas nos veras veneramur*, *attulisse finem.* At sonticam *illius* silentii causam afferant, quam *huius* quidem ex ipsius Christianismi natura et indole, atque donorum extra ordinem, pro tempore et loco concessorum, scopo, nos afferimus. Ceterum ad aliorum obiectionem, *quod post illa tempora etiam responsa dedisse oracula legantur*, non male respondet HUETIUS, *Dem. Euang. Prop. IX. C.* 39. *fol.* 830. „ Quae post CHRISTUM edita referuntur oracula, postremi fuerunt abolitae falsae cultatis conatus, ac velut fumus extinctae facis, „ aut vanae lumbrici secti vertigines. Neque haec „ ita stricte sumenda, quasi post CHRISTI obitum „ nullum omnino editum sit miraculum. Velut cum „ dicimus, per CHRISTI mortem abrogatam fuisse Iudaicam legem, abolita sacrificia, extinctos idolorum cultus, gentes ad CHRISTI obsequium conversas, non ea volumus contigisse hoc ipso puncto „ temporis, quo CHRISTUS obiit, sed iacta tum esse „ fundamenta factasque radices, unde postea rerum „ illarum eventus sit consecutus." — Ceterum de *Oraculorum origine inter gentes* legendus omnino Cl. SEILER, *Die weissagung und ihre erfüllung* § 22. *p.* 297, qui *oraculum Ammonis* a CHAMO, Noachi filio, deducit, eiusque immutationem cum Astrologia memorat, laudato I. S. VOGELII libro, cui titulus *Versuch über die Religion der alten Egypter und Griechen. Neurenb. A. huius seculi XCIII:* atque, quomodo haec ad Chal-

Chaldaeos, aliasque gentes transierit, docet, *pag.* 300-302, ex PAUSANIA, *L. IX. C.* 39, et BANIERI *Mythologie*, *T. I. L. III. C.* 1. *p.* 307, 320.

Eiusdem brevitatis causa non moror, quae Gentilibus admodum familiaris fuisse videtur, obtrectationem, quasi aut vivus tumultibus praeiverit CHRISTUS, aut talem saltem sparserit doctrinam, qua homines ad concitandas subinde seditiones armaverit. Aut enim vitam optimi Servatoris ignorat, aut agnoscit quivis, illius intaminatam pietatem neque Deo, neque Caesari defuisse, neque vel vivum, vel ablatum, per doctrinam suam tumultus conflasse unquam. — Seditionis crimen, inter alia immania scelera Christianis olim obiectum, satis amovit partim eorumdem ardor, pro Gentili Magistratu preces fundentium, (vid. TERTULLIAN. *Apolog. C. XXX.*) partim patientia, qua iniuste habiti ne vitam quidem suam, etiam si occasio faveret, ab invasoribus defendebant, cuius rei exempla ubique in historiis illius aevi exstant: conf. Cl. RECHENBERGII *Schediasma historicum de Apologiis Doctorum veteris Ecclesiae*, § 53 *et* 54.

Finem tamen antequam huic § imponamus, verbum addere lubet de tritissimo illo SUETONII loco, *in vita* CLAUDII *C. XXV.* ubi, CLAUDIUM (ait) *Iudaeos, impulsore* CHRESTO, *assidue tumultuantes Roma expulisse.* Hunc enim locum permulti doctissimorum virorum non tantum de CHRISTO, Domino nostro, interpretantur, quod nomen cum CHRESTO confudisse paganos existimant, sed et aliquod inde argumentum depromere solent, quo pateat, quam late CLAUDII iam aetate propagata fuerit CHRISTI doctrina; neque ipse aliam de SUETONII loco olim sententiam fovi. Verum, an recte, dubito iam vehementer. Postquam enim ex DAN. MULLERI et I. F. PHILIPPI *Dissert. de testimon. Gentil.*, *Lips. A.* MDCXCVIII, aliam cognovi

vi (nam, quaesitam ubivis, invenire non potui) PAUL. CHRIST. HILSCHERI Dissertationem *de CHRESTO, cuius mentionem facit* SUETONIUS, *quod ille non sit CHRISTUS mundi Salvator*, multa mihi dubia exorta fuere, et res ulterioris indagationis visa fuit. Hic enim, testibus illis § 19, probandum sibi sumsit 1.) *CHRESTI* nomine *non paucos* appellatos fuisse, contra ANT. BYNAEUM, qui, praeter Sophistam BYZANTIUM nullum istius nominis virum insignem novit, *de Nat.* CHRISTI *L. I. C. 2. p. 162.* 2.) CHRESTUM et *Chrestianos* pro CHRISTO et *Christianis* dictos quidem fuisse ab inconsiderante et ignara plebecula, quo trahit loca IUST. *Mart. Apol. II*, LACTANT. *Inst. Div. L. IV. C. 7.*, TERTULLIANI *adv. Gentes*, non vero a doctis et ad res cognoscendas animum advertentibus, quales ipsi sunt, praeter SUETON. nostrum, TACITUS *Annal. L. XV. C. 4.*, PLIN. *L. X., Ep. XCVII.*, IOSEPH. *Antiq. L. XVIII. C. 4.*, VOPISCUS *Vita* SATURNINI, GALENUS *de differentia pulsuum L. III*, LAMPRIDIUS *vita* SEVERI ALEXANDRI. 3.) De SUETONIO in specie probat, quod verum salvatoris nomen scire potuerit, debuerit, voluerit. 4.) *Iudaeorum* nomen (quo Christianos stilo Gentilium comprehendi vulgo statuunt,) de Christianis usurpatum fuisse, satis fide digno testimonio evinci posse, negat, vel si illud, id tamen esse in confesso pergit, *Nazaraeorum*, *Galilaeorum* et *Christianorum* nomina iam tunc tritissima fuisse. 5.) Ex LUCA, *Act. XVIII: 2*, non Christianos, sed Iudaeos relinquere urbem coactos fuisse, probat. 6.) Urget Christianorum, Iudaeorum, Romanorum, Graecorum, scriptorum denique omnium in reticendo hoc Christianorum exsilio consensum. 7.) Si CLAUDIUS urbe interdixerit Christianis, falsos esse TERTULLIANUM et EUSEBIUM, qui NERONEM primum afflixisse Ecclesiam affirmant. 8.) Insul-

fulfiſſimam ſic eſſe SUETONII locutionem, Iudaeos, *impulſore* CHRESTO, tumultuatos, nam, aut crediderit, neceſſe eſt, tunc temporis adhuc CHRISTUM in terra verſari, aut, ſi de doctrina illius acceperit aliquid, nemo animi ſenſus infelicius exprimere potuit. Denique teſtimoniis GROTII, SELDENI, PITHOEI, HUËTII, PEARSONII, BYNAEI opponit teſtimonia MARESII, ALEX. MORI, WORMII, DONATI GUINETI; ex quibus omnibus tandem infert, CHRESTUM SUETONII *non eſſe* CHRISTUM. — Palaemonis vices haud ſubeo, neque, an argumenta ſua valide urſerit, quem inſpicere mihi non licuit, HILSCHERUS, ſatis ſcio; quibus etiamſi nonnulla regeri poſſint, dubia tamen plurima remanebunt, quare, usque dum maiori luce fruamur, ἐπέχειν; atque ulteriorem huius rei curam aut in alios exercitatiores viros, aut in aliud ſaltem tempus, reiiciamus. Interim pro communi ſententia conferas MICH. ROSSAL, *Obſerv. de* CHRISTO *per errorem in* CHRESTUM *commutato*, qui et ex Gallico nomine *Chretiens* argumentatur, et clariſſimum meum quondam in Theologicis Praeceptorem, νῦν ἐν ἁγίοις, BERN. DE MOOR, *Comment. Perpet. T. III. p.* 641-643.

§ 4.

Pergimus ad illa teſtimonia, quae de ipſa Domini *morte*, et quae illam conſectabantur, miraculis, aut apud Gentiles vere exſtant, vel a nonnullis exſtare exiſtimantur.

Priora inter eminet celeberrimus TACITI locus *Annal. L. XV. C.* 44, ubi, poſtea quam narraverat, Chriſtianos in ſuſpicionem incenſae urbis veniſſe, ſtatim addit: *Auctor nominis eius* CHRISTUS, *qui*, TIBERIO *imperitante, per Procuratorem* PONTIUM PILATUM *ſup-*

plicio affectus erat, qui quidem locus adeo clarus et eminens, ut nihil illi addere vacet. — Pluribus iam olim disputatum fuit de ACTIS PILATI, quae ad Caesarem TIBERIUM transmiserit, et quibus vita, mors et resurrectio Domini Imperatori nota sit facta. Ad illa enim saepius Patres provocant: e. g. IUSTINUS *Martyr*, *Apol. II.* (quam potius *primam* esse notat LE MOYNE ad POLYCARPI *Epistolas*, *p.* 176, 179.) ubi, facta mentione mortis CHRISTI et vestitus, sorte distributi, addit καὶ ταῦτα ὅτι γέγονε, δύνασθε μαθεῖν ἐκ τῶν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου γενομένων ἄκτων. itidem TERTULLIANUS, *Apol. C.* 5 *et* 21., ne nunc, brevitatis memor, compilem testimonia, ex actis SS. TARACHI, PROBI et ANDRONICI; ex actis PETRI cum SIMONE *Mago* sub nomine MARCELLI (filii MARCI praefecti urbis Romae, et PETRI, si credere fas est, Discipuli) editis a FRED. NAUSEA sub nomine *Anonymi Philalethi Eusebiani*; ex EUSEBIO *Hist. Eccl. L. II. C.* 2; ex *Homilia Viti in Pascha*, quae CHRYSOSTOMO adscribi solet; ex OROSIO, *L. VII. C.* 2; ex EPIPHANIO, *Haeres. L*; ex NICEPHORO, *L. II. C.* 8 et multis aliis, qui cuncti horum PILATI Actorum mentionem iniiciunt. Quin et GREGORIUS *Turonensis*, *Hist. Francorum L. I. C.* 24, ad acta illa non tantum provocat, sed et *apud se tum temporis retenta fuisse scripta* affirmat; add. IVONIS *Carnotensis Excerpt. Chron. Part. I. p.* 25. insertis *Corp. Hist. Franc. Han. A.* MDCXIII. —

Quibus *Actis* addenda *Epistola* PILATI, cuius exempla, quae circumferuntur, mire inter se dissident. Ita enim illa, quam habent SIXTUS *Senensis* in *Biblioth. Sanct. L. II. p.* 109. et MARIANUS VICTORIUS in *Indice ad Opp.* HIERON. *voce Pilatus*, plane alia est ab illa, quae habetur in *Anacephalaeosi Pseudo-Egesippi L. V.* in *Annalibus* BARONII *Ann. XXXIV. n.* 218. et in *Biblioth. Patr. T. VII.* a quibus iterum differt epi-

epistola, quam COTELERIUS edidit *Vol. II. Patr. Apost. fol.* 162. ex Cod. Regio MMCCCCXXXI, sub titulo ἀναφορὰ Πιλάτε πρὸς Τιβέριον, ut et illa, quam XAVERIUS *Historiae* CHRISTI *Persicae* inseruit, quam unde nactus sit, ignorare se fatetur L. DE DIEU in *Animadvers. ad h. Libr.* — Militant pro iis CASAUBON. *Exerc. Antibaron. XVI. n.* 154. *p.* 676., PEARSON *Expos. Symb. Apost. Art.* 4. *p.* 352., HUET. *Demonstr. Euang. Prop. III. n.* 23. — Contra, plurima dubia attulit SAM. BASNAGE, *Exerc. Historico-Critic.* BARONIO *oppositis ad Ann. XXXV. N.* 29. — Nostram si quaeris sententiam, ab una parte pro certo habemus, vera et genuina exstitisse, atque exstitisse diu, PILATI tum *acta*, tum *ad Caesarem epistolam*, quod nisi foret, Sanctissimo *Martyri* os prorsus impudens et frons fuisset perfricta, neque impuni Imperatorem ipsum cum S.P.Q.R. ad acta publica ablegasset, quae nuspiam exstitissent. Res autem pro more accidit; ita enim EUSEB. *l. l.* vocat παλαιὸν κεκρατηκότα ἔθος τοῖς τῶν ἐθνῶν ἄρχουσι τὰ παρὰ σφίσι καινοτομούμενα τῷ τὴν βασίλειον ἀρχὴν ἐπικρατοῦντι σημαίνειν, ὡς ἂν μηδὲν αὐτὸν διαδιδράσκοι τῶν γενομένων, *veterem consuetudinem Praefectorum Provinciarum, ut quicquid novi apud ipsos contigisset, Imperatori nunciarent, ne quid ipsum eorum, quae fierent, fugeret*, quod etiam, tum aliunde, tum ex PLINII ad TRAIANUM Epistolis, constat, quare PILATUS, eodem ex more, in causa CHRISTI egisse, nemo sanus dubitabit, praesertim cum animadverteret facile vir prudens et artium aulicarum gnarissimus, res illas tam illustres, et, tot Romanis videntibus atque attonitis, gestas, difficulter admodum Caesaris cognitionem effugituras; quare consultum magis atque e re sua fore existimarit, si ipse eas ordine TIBERIO narraret, quam si a delatoribus, quorum in aula TIBERII ingens co-

pia erat, rem in maius, ut fit, extollentibus, atque omnia in peius interpretantibus, deferrentur. — Ab altera parte ultro damus, illa, quae nunc habemus *Acta*, vel *Epistolae* PILATI *Exempla* falsa esse et supposita, quo conferas ALB. FABRICII *Cod. Apocr. N. T. p.* 212. — Verbo, melius nostram ἐπίκρισιν explicare non possumus, quam verbis CASAUBONI *l. l.* „Non „audiendos esse eos, qui fidem huic historiae „abrogent, licet ex Patrum verbis colligi haud pos„sit, vel Epistolam PILATI vel Acta sic fuisse evul„gata, ut in manibus hominum versarentur: sed ve„risimile fieri, huius rei notitiam perveniisse ad Chri„stianos per aliquem e Caesaris ministris, qui, ad „CHRISTUM conversus, quae ipse, scrinia tractans „Augustorum, comperisset, fidelibus narravit." — Ceterum praetermittendum haud putamus, tempore MAXIMINI ab *Ethnicis* conficta fuisse spuria quaedam Acta PILATI, quorum in supra excitatis TARACHI et ANDRONICI mentio fit, quae referta erant blasphemiis in O. M. Servatorem, et quae per omnes imperii Romani regiones, per vicos, per urbes mittebantur, una cum Edicto, ut a Praeceptoribus iuventuti instillarentur. Vanissimae odii in Christianos artes! quibus nihil detrimenti tamen veritati illatum fuit, tum temporis iam satis superque confirmatae. Fraudes narrat, simulque refellit EUSEBIUS, *Hist. Eccl. L. I. C. 9. et L. IX. C. 5.*

Verum haud eadem cum fiducia provocare audemus ad notissimam illam historiam, qua, circa tempora patientis CHRISTI, THAMUM Aegyptium, Echinadas praeternavigantem, ad Praxas, vox quaedam compellavit, iussitque ipsum, simul atque appulisset ad portum Pelodem, clamare, magnum PANA esse mortuum. Historiae, quam uberius narrat PLUTARCHUS *Libr. de defectu Oracul.*, atque ex ore AEMILIANI

ANI *Rhetoris*, cuius pater in ipsa illa navi vehebatur, accepisse se perhibet, fidem dedit EUSEB. *Praep. Euang. L. V. C. 9.*, dubia vero opponit SPONDANUS, *Epit. Annal. p.* 34. PANA autem non illum cogites, qui Silvarum Dominus, sed quem MACROBIUS *Saturn. L. I. C.* 23. τὸν τῆς ὅλης κύριον, *Universae substantiae Dominum*, appellat, quemque adeo ILLUM esse, multi viri Docti crediderunt, qui cum Patre est τὰ Πάντα ἐν πᾶσι, ἐξ ἅ, ἐν ᾧ, εἰς ὃν εἰσι πάντα.

Neque sine omni haesitatione adduceremus illorum testimonia, qui de Solis defectione et Terrae motu ad mortem CHRISTI μαρτυρέντας plerique afferunt, de quibus consulas HUETIUM *Dem. Euang. p.* 48. Inter hos PHLEGON numeratur, qui (teste PHOTIO in *Myriobulo*, Cod. *XCVII.*) in Ὀλυμπιονικῶν καὶ Χρονικῶν συναγωγῇ de illis mentionem iniecit, et cuius verba ex opere deperdito, si quaedam excipias fragmenta, ita servavit EUSEB. *in Chronico Part. I. p.* 77. *et Part. II. p.* 202. Τῷ δ' ἔτει τῆς σβ ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον, καὶ νὺξ ὥρα ς' τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι. σεισμὸς δὲ μέγας κατὰ Βιθυνίαν γενόμενος, τὰ πολλὰ Νικαίας κατερρέψατο. *Anno IV Olympiadis CCII Eclipsis Solis fuit maior omnibus, quarum memoria prostat, atque hora* VI *diei nox fuit, ita ut stellae in coelis conspicerentur. Ac magnus terrae motus in Bithynia factus est, qui multos in urbe Nicaea domus evertit.* Etsi enim hoc TRALLIANI testimonium magno nisu defendatur ab ipso HUETIO, cui ὁμόψηφοι BENEDICTUS *XIV*, TILLEMONTIUS, GROTIUS et Auctor Libelli *La Religion Chretienne autborisée par le temoignage des anciens auteurs payens*, pondere tamen haud carent, quae in aliam partem scripserunt PETAVIUS, BASNAGE, LI-

LIENTHAL, MOSHEIM, aliique plurimi. THALLUM etiam *L. III Hiſtoriarum* huius Eclipſeos memoraviſſe, ſcribit AFRICANUS apud SYNCELLUM *fol.* 322, qui et illum culpat in eo, quod praeternaturalem illam Solis obſcurationem ἔκλειψιν vocaverit, defenſum tamen ab HUËTIO *p.* 50, deliquium omne ſolis, quomodocumque id demum fiat, innui vocabulo iſto oſtendente. Fuit autem THALLUS Syriacae Hiſtoriae ſcriptor perantiquus, utpote cuius nomen iam exſtat ap. IUST. M. *Cohort. I. ad Graecos*, TERTULL. *Apol. C. X et XIX*, aliosque veterum; ſed et huius ſcripta cum interciderint, non auſim defendere THALLUM eandem Eclipſin innuiſſe, quam Euangeliſtae ad mortem CHRISTI memorant, et quo illius verba traxit AFRICANUS.

Firmiori forte talo nituntur, quae ex PUBLICIS ACTIS huc afferri ſolent. Ad ea enim provocat TERTULLIANUS *Apol. C. XXI. Eodem* (inquit) *momento dies, medium diem ſignante Sole, ſubductus est: deliquium utique putaverunt qui id ſuper* CHRISTO *praedicatum non ſciverunt, et tamen eum mundi caſum relatum in arcanis* (RIGALTIUS legit *archivis*) *veſtris habetis.* Quae eadem acta imperterrita voce gentibus in memoriam revocavit LUCIANUS, Antiochiae Presbyter et ſub DIOCLETIANO Martyr, qui *Conſulite* (inquit) *annales veſtros, invenietis* PILATI *temporibus, dum pateretur* CHRISTUS, *media die fugatum Solem et interruptum diem.* Ubi iterum haud facile quis ſibi finget, tantam Chriſtianis fuiſſe inſolentiam, immo amentiam, ut in iis, quae ad defendendam religionis Chriſtianae veritatem aut dicerent, aut publici iuris facerent, ad monumenta haud exſtantia provocaſſent, quorum falſitate detecta, corruiſſet totius Apologiae vis atque Apologiſtarum auctoritas et fides. Minoris tamen ponderis illa ducimus, quae ex Sinenſibus monumentis con-

conferri solent, non iis quidem *Novissimis Sinicis*, quae A. MDCXCVII cum erudito orbe communicavit Ill. LEIBNITIUS, sed iis, quibus annotasse dicuntur Sinenses, ad illud tempus, in quod annum Aetatis CHRISTI XXXII conferunt Christiani, circa mensem Aprilem, solare deliquium, praeter ordinem Naturae et leges curriculis astrorum praefixas, contigisse, cuius rei novitate QUAMVUTIUM Imperatorem vehementer commotum fuisse, eadem monumenta addidisse dicuntur. Vid. HUETIUM, *l.l. p.* 49, et inprimis ANDREAM MULLERUM, virum, dum vivebat, rei et literaturae Sinicae callentissimum, in *Disquisitione de Eclipsi Passionali*, cuius summam habes *in den Monatl. Unterred. A.* MDCLXXXIX. *p.* 327. *seqq.*

Haec vero cum minoris pretii habeamus, non illud omnino volumus, quod illae Soli tenebrae suffusae dicantur anno, quo, nobis supputantibus, XXXII demum annos natus fuisset CHRISTUS: leviorem enim istum dissensum non curabit, qui mente revolvit diversas Christianorum de Christi Θεανθρώπε Epocha, et ipso Nativitatis anno; verum enim vero, cum neque res ipsa satis probata nonnullis videatur, neque facili methodo Chronologia Sinica et illorum supputandi annos ratio cum aliarum Gentium comparari possit, unde plane fit incertum, an eandem, quam Euangelistae, narrent historiam, ab hoc argumento, uti et a similibus, abstinendum esse duximus, quae increduli veritatis hostes, si non prorsus *enervant*, facile tamen *evitant*, uti iam initio § 1 *huius Capitis* monuimus.

Neque aliam ob causam reticemus notissimum illud, et in ipsis suggestibus adeo repetitum, DIONYSII *Areopagitae* testimonium, qui ipse cum APOLLOPHANE Sophista testis oculatus harum tenebrarum fertur, atque ab hoc responsum tulisse: ἢ τὸ θεῖον πάσχειν, ἢ πάσχον-

χοντι συμπάσχει, *aut Numen patitur aut patienti compatitur.* DIONYSII enim scripta partim supposita, partim interpolata cum sint, γνησιότητα huius testimonii defendere haud possumus; quare incertis, vel potius falsis, non diutius immorantes ad alia properemus. Legendus interim Cl. MARCKIUS *Exerc. Script. in N. T. Exerc. IX*, qui, repudiatis § 7 testimoniis exoticis, omnem de hisce Tenebris historiam erudite tractavit, easque recte (nostro quidem Iudicio) ad *Iudaeam*, vel *loca Cruci vicina* restrinxit. § 8.

§ 5.

Postremum, de quo *hoc Capite* agendum duximus, illos spectat, quos O. M. Servatori nostro ipsi Gentiles destinaverunt, *honores*, quique haud spernendum pro Euangelica veritate atque nominis IESU oprima inter exoticos fama, suppeditant argumentum. Etsi enim vix quicquam probatur facilius, quam quod CHRISTUS in crucem actus, sub nomine תלוי τῦ Iudaeis *offendiculum* (uti *Sect. I.* visum) Graecis, (quo nomine quasvis Gentes intelligit Apostolus, 1 *Cor. I:* 23.) *stultitia* fuerit, aliquos tamen, paucissimos licet, eorum, eosque non infimae sortis, sed regali solio sedentes, illum honoribus minime vulgaribus dignum censuisse, demonstrabimus, et huic Sectioni finem imponemus.

Atque ita sponte sua pervenimus ad illustrissimam illam in Historia Ecclesiastica Quaestionem de ἀποθεώσει, quam Christo destinasse fertur TIBERIUS CLAUDIUS NERO, posteaquam a PONTIO PILATO (uti § praeced. vidimus) de rebus a IESU *Nazareno* gestis certior fuisset factus, quem vero a Senatu, ad quem hoc retulisset, repulsam tulisse addunt. Assensum historiae prae-

praebent multi, magnique in re Literaria viri, quos inter nominasse sufficit AVENTINUM, *Annal. Boiorum L. II. p.* 105., BARONIUM, *ad Ann. XXXIV. n.* 63, eiusque Epitomatorem SPONDANUM *ibid.*, CAVEUM, *T. I. de Vit. Apost.*, C. CELLARIUM, *Diss. de primo Christ. princ.* § 6, 7., I. C. DIETERICUM, *Hist.* TIBERII, *n.* 2. *p.* 115., HUETIUM, *Dem. Euang. Prop. III.* § 22., T. HASAEUM, *Diss. Particulari. Hanov.* MDCCIX, *recusa Erfurti.* MDCCXV, et in Cl. OELRICHS *Collect. Opusc. T. I. p.*503., HONERTIUM *Filium*, *Orat. Inaug. de Hist. Eccl. A.* MDCCXXXII, qui et Patrem laudat ὁμώνυμον, HORNEUM, *Hist. Eccl. L. I. C.* 4., HEIDEGGERUM, *de Myst. Bab. p.* 56., C. KORTHOLT, *de Persec. Eccl.* § 5. *p.* 7., LE MOINE, *Var. Sacr. in Not. ad p.* 145., DU PIN, in *Prol. super Bibl. T. II. C.* 7. § 3. *p.* 118., I. PEARSONIUM, *Lect. ad Acta Ap. L. IV.* § 14., FR. SPANHEMIUM FIL. *Hist. Eccl. Saec. I. C. X.*, TILLEMONTIUM, *Hist. Eccl. T. I. Part. II. Art.* 19. *p.*422 *et* 722., USSERIUM, *Ant. Brit. C. I.*, quibus sexcentos iungere possis. — Ab altera parte clarissimi itidem viri, quicquid huius narrationis est, fabularum numero adscribunt, e quibus praecipui TANAQ. FABER, *Epistolarum L. II. Ep.* 12., S. BASNAGIUS, *Exercit. Antibar. ad Ann. XXXV. n.* 29.. ANT. DALENUS, *de Orac. Ethnic. Diss. II. C.* 2., CLERICUS, *Hist. Eccl. p.* 325., et IO. ANDR. SCHMIDT, *Hist. Seculi II fabulis variorum maculata. p.* 52. — Nobis quaenam hac de re sedeat sententia, paucis docuimus in *Notis ad Historiam infelicissimi* F. G. MEYER, Belgice editam, A. MDCCXCVI. *p.* 307-309. — Hic vero rem paulo uberius, brevitatis tamen haud immemores, investigare lubet.

Rem omnem, ut vulgo notissimam, narrat scriptor gravissimus TERTULLIANUS, *Apolog. C. V. Vetus*, inquit, *erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi a Senatu confirmatus. Facit et hoc ad causam*

noſtram, quod apud vos de humano arbitratu Divinitas penſitatur. Niſi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo iam Deo propitius eſſe debet. TIBERIUS *ergo, cuius tempore nomen Chriſtianum in ſeculum introivit, adnuntiatum ſibi ex Syria Palaeſtina, quae veritatem illius divinitatis revelarent, detulit ad Senatum cum praerogativa ſuffragii ſui. Senatus, quia non in ſe probaverat, reſpuit. Caeſar in ſententia manſit.* — Ubi illud *cum praerogativa ſuffragii ſui* ita παραφράζει FRANC. ZEPHYRUS: *Non ut ex Senatorum ſententia, quid ſibi faciendum ſuper hac re eſſet, videret, ſed ut ſuae illi ſententiae ſubſcriberent et adſentirentur. Ipſe enim ius omne ſuae praerogativae in dedicationem contulerat.* — Adde, quae dictis addidit TERTULL. *C. XXI.* Ceterum illud, *quia non in ſe probaverat*, ita explicat IS. VOSSIUS, *de Orac. Sybill. C. XI. Senatum ſervili adulatione, eo, quod* TIBERIUS *ipſe recuſaſſet* Divus *appellari, noluiſſe* CHRISTUM *inter Deos admittere*, quibus facile reſpondetur ad obiectionem, quae ex adulatione et ſervitute Senatus ſub TIBERIO peti ſolet. Hanc enim adulationem ipſe aegre tulit TIBERIUS, ita etiam, ut *adverſus ſententiam ſuam decerni ne queſtus quidem ſit.* vid. TACIT. *Annal. L. III et IV.* SUETON. *in Vita C. XXVII.* et Senatus, qui recuſare videbatur, totus fuit in adulatione, cum (prae metu forſitan, num haec tentandi ſolum eorum animos cauſa proponeret) decrevit, neminem divino cultu mactandum fore, *quem non in ſe probaverat* TIBERIUS, quippe qui *templa et Flamines Sacerdotes decerni ſibi prohibuit, etiam ſtatuas atque imagines, niſi permittente ſe, poni, permiſitque, ea ſola conditione, ne inter ſimulacra Deorum, ſed inter ornamenta aedium ponerentur.* Addantur quae habet LE MOYNE, *l. l. p.* 149. Eadem cum TERTULLIANO narrat EUSEB. *in Chronico fol.* 159, et *Hiſt. Eccl. L. II. C.* 2., hoc quidem addens, Senatum

tum relationem adſpernatam fuiſſe, τῷ μὲν δοκεῖν *ſpecie quidem*, ὅτι μὴ πρότερον αὐτὴ τοῦτο δοκιμάσασα ἦν, παλαιᾷ νόμῳ κεκρατηκότος, μὴ ἄλλως τινὰ παρὰ Ρωμαίοις θεοποιεῖσθαι, μὴ ἐχὶ ψήφῳ καὶ δόγματι συγκλήτου. *Quia* (vertit VALESIUS) *Senatus auctoritas ad id non exſpectata videbatur, cum tamen vetus lex eſſet apud Romanos, ne quis abſque decreto Senatus pro Deo haberetur.* τῇ δ' ἀληθείᾳ, ὅτι μὴ δὲ τῆς ἐξ ἀνθρώπων ἐπικρίσεώς τε καὶ συγκάσεως, ἡ σωτήριος τοῦ θείου κηρύγματος ἐδεῖτο διδασκαλία. *Re autem ipſa, quod ſalutaris divinae doctrinae praedicatio auctoritate et auxilio hominum non indigeret.* Quae eadem, more ſuo, id eſt elegantter, expreſſit I. CHRYSOSTOMUS *in Ep. II ad Corinth. Homil. XXVI.* Addatur OROSIUS. *Hiſt. Eccl. L. VII. C.* 3, 4., notandus tamen in eo, quod SEIANUM, *Praefectum* TIBERII, *ſuſcipiendae religioni obſtinatiſſime contradixiſſe* perhibet; ille enim SEIANUS iam ante CHRISTI deceſſum, *anno nempe Aerae Vulg. XXXI, a. d. XV Kal. Nov.*, a TIBERIO morti traditus fuit. Reliqua veterum teſtimonia ex CEDRENO, ZONARA, Auctore *Chronici Alexandrini*, EUTYCHIO Patriarcha Alexandrino, GREGORIO *Turonenſi*, IVONE *Carnotenſi*, NICEPHORO CALLISTO, multisque aliis, facile negotio depromſerim; verum, cum haec illorum auctoritate nitantur, brevitatis cauſa, omitto.

Quis vero (ut ad rem ipſam accedamus) niſi negandi libidine occupatus, TERTULLIANUM teſtem recuſabit? Virum prudentiae laude inſignum, in cauſis foro dicendis conſummatum, quique merito apud EUSEBIUM *l. l.* audit ἀνὴρ τοὺς Ρωμαίων νόμους ἠκριβωκὼς, τότε ἄλλα ἔνδοξος, καὶ τῶν μάλιστα ἐπὶ Ρώμης λαμπρῶν. *Vir legum Romanarum peritiſſimus, et in reliquis celebris, ac inter Romanos ſcriptores prae aliis emi-*

nens. Hic primus quidem huius rei meminit, sed quis miratur? cum pauci Graecorum, nullus Latinorum, illius aetatem antecedant; qui non privatim, sed publice; non ad Christianos, sed ad S.P.Q.R.; non sermone barbaro, sed Latino; non dubitanter, sed audacter, tanquam ad historiam notissimam provocat; eoque libello, quo Christianorum rem agit Apologista, qui, si fraudis convinci potuisset, rem, quam perorabat, plane prodidisset, verum qui nunquam ab ullo Gentilium, quorum adeo intererat, falsitatis, aut accusatus, vel convictus fuit.

Neque res ipsa, quam narrat, a Romanorum, aut etiam istius temporis moribus abhorruit. Non enim hoc sibi voluit TIBERIUS, cum CHRISTUM in Deorum censum transscriberet, eum *summum illud Numen* esse,

Quod mare, quod terras, et, quod tegit omnia, coelum,

nutu suo creatum moderatur etiamnum; sed hoc tantum meditabatur, cum res a CHRISTO gestae (quae Caesari per Famam publicam, quae vires acquirit eundo, magis vero per Acta et literas PILATI notae fuerunt) hominum vires longe superarent, illum si non *maximis*, vel *medioxumis*, *minorum tamen Gentium Diis* addendum esse. Ita enim Gentilium Deos natos fuisse, non tantum Ethnicis exprobravit LACTANTIUS *de ira Dei*, *C. XI*, sed et affirmat PERSEUS, ZENONIS auditor, apud CICERONEM, *de Nat. D. L. I*, et MARTIANUS ap. CAPELLAM *L. I. de nuptiis Merc. et Philos.* — Aut quis adeo rudis, ut nesciat IULIUM CAESAREM *in Deorum numerum relatum non ore modo decernentium, sed et persuasione vulgi*, uti habet SUETON. *in* CAES. *C. XXXVIII.*, neque AUGUSTO tantum *sepultura more perfecta templum et coelestes religiones decreta*, ex TACITO *Annal. L. I.* Sed, quod propius spectat propositum, TIBERIUS noster *coelo dedi-*

dicavit AUGUSTUM, *ut maiestatis numen induceret*, quod PLINIUS testatur *in Panegyrico ad* TRAIANUM. Plura dabit HASAEUS, *l. l.*, qui et addit, ipsos Imperatores Christianos, CONSTANTINUM M. cum Patre CONSTANTIO, matre HELENA et Filius, uti et THEODOSIOS, cett. dictos fuisse *Deos*, *Divos*, *Numina*. Neque iste honor familiae Caesarum particularis fuit, sed et CICERO de ἀποθεώσει filiae TULLIAE cogitavit, VITELLIUS inter aureos Lares NARCISSUM et PALLANTEM coluit, vid. SUETON. *in Vita C.* II., et HADRIANUS libertum suum ANTINOUM, &c., quare nihil mirum, si eiusmodi de consecrando IESU consilium ceperit TIBERIUS, Iudaeorum sacris infestissimus quidem, sed qui illum non Iudaismi patronum, sed Iudaeis perquam invisum fuisse scivit ex omni Illius historia, quam ignotam ei minime fuisse, antea demonstravimus.

Multa, nec inficior, a laudatis viris doctissimis, allata fuerunt, quae dictis regeri possent: sed paucis ad ea responsa dedimus in MEYERI *Historia*, *l. l.*, quae breviter hic repetenda duxissem, nisi adeo sub manu crevisset Dissertatio, ut, ne nimium illa excedat modum, saltem a repetendis iis, quae ipse alibi conscripsi in opere saltem vulgatissimo, abstineam, praesertim, cum et in hisce satis otii nobis fecerit Cl. HASAEUS; quare ad alias eiusmodi argumenti historias propero.

Prior est HADRIANI, de quo AELIUS LAMPRIDIUS, in vita ALEX. SEV. *C. XLIII.* ita: CHRISTO *templum facere voluit* (ALEXANDER) *eumque inter Deos recipere*, QUOD ET HADRIANUS COGITASSE FERTUR, *qui templa in omnibus civitatibus*, sine simulacris, *iusserat fieri*, *quae hodie idcirco*, quia non habent Numina, *dicuntur* HADRIANI, *quae ille* ad hoc parasse *dicebatur*, *sed prohibitus est ab iis qui*, *consulentes sacra*, *repererant*,

omnes Christianos futuros, *si id optato evenisset, et reliqua templa deserenda.* — Habes historiam, L. B., multis Eruditorum probatam, inter quos est HUETIUS, *Dem. Euang. Prop. III.* § 23, et HASAEUS *l. l.* § 11-14., verum etiam multis irrisam, post CASAUBONUM in doctissimis ad LAMPRIDIUM Notis. Nos quidem dubii et incerti, quibusnam illorum palmam porrigere debeamus, in re tanti momenti argumenta dabimus hinc inde; in affirmantium partim propensiores quidem, licet non ad illum certi gradum adsurgere licuerit, quo illud, quod de TIBERIO narratur, modo defendimus. Ceterum, penes Lectorem Iudicium esto.

Qui erravisse LAMPRIDIUM, aut ab aliis deceptum fuisse, putant, urgent primo „antiquissimorum Patrum, IUST. M., ATHENAGORAE, TERTULLIANI, „ CYPRIANI, aliorum silentium: unde illos nihil unquam de ea re audivisse colligunt." Quod ne mireris, volunt alii, cum perpaucis forte consilium suum aperuerit HADRIANUS, nec, quibus aperuit, hoc statim cum Christianis communicasse sit probabile, aut, si sciviſſent, minime tamen afferendum esse iudicarent Apologistae, cum in promptu foret Ethnicorum responsum, inchoasse quidem HADRIANUM illa templa, sed meliora edoctum ab incepto destitisse. Urgent praeterea, „Saeviisse maxime in Christianos „ HADRIANUM, adeo quidem, ut, si fides habenda „ sit Martyrologio Brixiano, decem millia militum „ Brixiae ad Martyrium adegerit." Neque negandum est, multos SULPITIUM SEVERUM *L. II.* secutos, hoc imperante *quartam persecutionem* institutam fuisse, asseverasse, nixos Apologiis, a QUADRATO et ARISTIDE, HADRIANO oblatis, uti et inscriptione quadam, quae ex ARINGHI *Roma Subterranea* adducitur, *de* MARIO, *duce militum, qui satis vixit, dum tempora*

HA-

HADRIANI *vitam pro* CHRISTO *cum sanguine consumserit, in pace tandem quieverit, quod bene merentes cum lacrimis et gemitu posuerunt.* Non tamen desunt, quae regerant alii, secuti DODWELLUM, qui, *Diss. de paucitate Martyrum*, quae inter *Cyprianicas* est *XI.* §28, omnino negat, *novam* ab HADRIANO persecutionem factam fuisse. Certe, illius persecutionis Hadrianeae ne verbum quidem memorant TERTULLIANUS, LACTANTIUS, MELITO, EUSEBIUS, nisi unus SULPITIUS, qui tamen addit: *Quarta sub* HADRIANO *persecutio numeratur, quam tamen postea exerceri prohibuit, iniustum esse pronuntians, ut quisquam sine crimine reus prostitueretur.* — Nullum illius exstat edictum, quo persecutionem sanciret, est vero Epistola, quam SERENO GRANIANO, sive potius istius successori MINUCIO FUNDANO, Asiae Proconsuli, rescripsit, qua illum a turbandis innoxiis Christianis deterreret; habet illam EUSEB. *Hist. Eccl. L. VIII. C.* 8, 9. — Praeterea quam benevolo animo in Christianos fuerit, exinde constat, quod, cum *Iudaeis* Aeliae Capitolinae, sive Hierosolymarum, inhabitationem sub gravissimis poenis negasset, eam Christianis concesserit; uti et inde quod IUST. M. in *Apol. II.* ANTONINI PII animum a persecutione aversurus, HADRIANI exemplum ei proponat; quodque denique, ex DIONE CASSIO, XIPHILINUS *C. LXX*, postquam de ANTONINO dixisset, *Nec caeteris subiectis gravis, nec Christianis infensus fuit, sed multam eis tribuit venerationem*, addat καὶ τῇ τοῦ Ἁδριάνου τιμῇ ἣν ἐκεῖνος ἐτίμα χριστιανοὺς προσθείς, *Honori, quo* HADRIANUS *honoravit Christianos, accessionem fecit.* — Unde facile colligas, si qui ob professionem fidei necati fuere, id potius furori Praesidum et Populi, quam Imperatori, tribuendum, nec nisi sub auspiciis illius imperii factum, postea vero ab ipso prohibitum fuisse, unde illa persecutio HIERONYMO, EUSEBIO, AU-

AUGUSTINO, et aliis, *non quarta*, sed *tertiae adpendix* dicitur. Inscriptio autem illa ARINGHI, ut et Acta SABINAE SERAPHIAE, EVARISTI, EUSTACHII et aliorum, ipsis viris doctis, qui illa ediderunt, subleſtae fidei esse videntur.

Denique magna cum fiducia, nodum se solvisse, putat CASAUBONUS, atque originem opinionis Lampridianae inveniſſe; statuit enim, „HADRIANUM templa „ sua, quae in omnibus civitatibus fieri iusserat, *suo* „ *ipsius nomini* consecrare voluisse, quod et SPARTI„ ANUS in illius vita testatur; morte autem praeven„ tus, cum illa perficere et sibi dedicare impedire„ tur, eaque sine simulacris manſiſſent, hinc factum „ esse, ut multi non SIBI, sed CHRISTO HADRIANUM „ illa dedicaturum fuisse existimarent." — At multa aliis dubium faciunt, quo minus viro, ceteroquin eruditiſſimo, assentiantur. Haud enim narrat SPARTIANUS, Imperatorem HAEC suo nomini consecranda deſtinasse, sed *templa suo nomini consecrasse*, quibus omnino alia templa innuisse videtur, neque alium pro sua sententia testem adduxit CASAUBONUS. Illa autem, quae sibi dedicabat, templa, simulacris ornare solebat HADRIANUS; ita in illo, quod IOVI OLYMPIO et SIBI Athenis dicavit, aram sibi ipse erexit, eodem teſte SPARTIANO, *in vit.* HADR. *C. XIII*, illudque pluribus simulacris ornavit, uti ex PAUSANIA notavit HUËTIUS. Ceterum, si hoc sibi voluisset HADRIANUS, morte impeditus, quo minus simulacra in iis ponerentur, certiſſime ANTONINUS templa Patris sui adoptivi nomine et simulacris exornasset; *Ille*, qui successor et dignitatis heres, et ob insignem in HADRIANUM pietatem, PII nomen adeptus fuit, quique Illum in Deorum numerum referri curavit, cuius rei indicium et hodiedum praebet moles HADRIANI, vulgo *Caſtello di S. Angelo* dicta; minime tamen hoc factum fu-

fuit; plurima enim imperfecta et simulacris destituta manserunt, cetera, uti illud *Tiberiadense*, et aliud *Alexandrinum*, a Iudaeis profanata fuere, quod certissime non ausi fuissent, si HADRIANO dicata forent. Rem narrat EPIPHANIUS, *contr.* EBION. *Haeres. XXX. C.* 12.

Hisce, quae ad obiectiones respondere solent, alia addunt Lampridianae narrationis patroni, quibus vindicare LAMPRIDIUM conentur. Urgent nempe testem, minime Christianum, sed animo a sacris nostris alienissimum; adduntque, si quibusdam factum TIBERII ideo negatum fuit, quia a nemine Gentilium, sed ab uno TERTULLIANO Christiano, narratur, cur iam fides neganda HADRIANI proposito, quod non nisi ex homine Ethnico comperimus? — Literam premunt, qua HADRIANUS *illa* AD HOC *parasse dicebatur*, non certe a Christianis, quos non consulit LAMPRIDIUS, sed a Gentilibus, iisque Sacerdotibus, qui rem prohibuerant, verentes, ne omnes CHRISTUM, desertis Deorum aris, sequerentur. — Neque hoc ait LAMPRIDIUS, morte praeventum fuisse HADRIANUM, quo minus templa, nondum perfecta, simulacris exornaret, verum disertis verbis narrat, Imperatorem templa in omnibus Civitatibus *sine simulacris iussisse fieri*, quae nempe CHRISTO dedicasset, nullis instruenda Deorum imaginibus. Denique res ab HADRIANI indole et moribus haud aliena videtur: Qui enim statuas, urbem cognominem, divinos honores, ludos, flamines, sacerdotes, templa et aras Liberto suo ANTINOO, Nili aquis submerso, consecravit, cuius foedissimo amore flagravit; cur non eadem CHRISTO destinasse existimaremus, de quo tam praeclara narrabantur, cuiusque nomen et cultus toto orbe iam perebruerat?

Habes, L. B., quae ab utraque parte afferuntur; nobis (ut diximus) atridet, quae cum LAMPRIDIO sa-

cit; verum, cum non nisi certa et indubitata in medium proferre instituti ratio postulet, rem non ulterius persequemur, cuique, quod placeat, eligendi potestatem relinquentes; hanc enim, quam petimus, veniam damus vicissim.

Quod vero de Seculi tertii Imperatore ALEXANDRO SEVERO *l. l.* narrat idem LAMPRIDIUS, adeo firmum et indubitatum esse ducimus, ut vix illud negare quis sustineat. Licet enim cum iis haud faciamus, qui SEVERUM inter Christianos nomen professum fuisse, dicunt, quos inter AEGID. BUCHERIUS *Belgii Romani, Ecclesiastici et Civilis, L. VI. C.* 8. § 3., et CROMBACHIUS, in *Ursulis vindicatis, L. IV. C.* 30., quorum verba cum refutatione dedit KORTHOLT *de Persec. Eccl. Prim. Sect. VII.* § 4, neque ideo eandem illi erga CHRISTUM observantiam tribuamus, quam Matri MAMMAEAE, feminae Christianae vel, si mavis, Christianis faventissimae, de qua iam egimus *Sect. II. Cap. II.* § 2. (Conf. EUSEB. *Hist. Eccl. L. VI. C.* 21, NICEPHORUS, *L. V. C.* 17., HIERON. *de Scriptor. Eccles. C. LIV.*) ita tamen de eo LAMPRIDIUS, *C. XXIX.*, 'ALEXANDER SEVERUS, *si facultas esset, si non cum uxore concubuisset, matutinis horis in Larario suo (in quo et Divos Principes, sed optimos electos, et sanctiores animas, in queis et* APOLLONIUM, *et quantum scriptor fuorum temporum dicit,* CHRISTUM, ABRAHAMUM *et* ORPHEUM *et huiusmodi Deos habebat ac maiorum effigies) rem divinam faciebat:* quin et *Cap. XLIII* adseverat, ALEXANDRUM CHRISTO *templum facere voluisse, eumque inter Deos recipere.* Insuper: *Cum Christiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent, sibi eum deberi, rescripsit, melius esse, ut quomodocumque illic* DEUS *colatur, quam popinariis dedatur.* IDEM *C. XLIX.* His, nemine contradicente, non habeo, quod addam, id unum si exceperis, *Ico-*

nolatriam Christianam hinc minime defendi posse, recte enim DALLAEUS *de Adoratione, L. III. C.* 3. CHRISTI *imagines tribus primis seculis apud eiusdem memoriae scriptores reperio quidem, fateor, aliquas, sed vel in* ALEX. SEVERI, *pagani principis, larario, vel in haereticorum lupanaribus sacratas, vel in curiosis privatorum si forte bibliothecis ad memoriam repositas* (EUSEB. *H. E. L. VII. C.* 18.) *nullas in publicis Christianorum ecclesiis ad cultum prostantes.*

Fabulam porro, quam IUSTINUS, a Samaritanis forte deceptus, pro veritate historiae SIMONIS MAGI narrat, de Statua ipsi Romae, ut Deo, erecta, praeter alios merito explosit DEYLINGIUS, *Obs. Sacr. T. I. Obs.* 53. ex statua, A. MDLXXIV Romae effossa, Sabinorum Deum SANCUM, foederibus praesidem, exhibentem, cum inscriptione:

SEMONI
SANCO
DEO FIDIO
SACRVM
COL. MVSSIANVS
QVINQVENNALIS
DECVR
BIDENTALIS
DONVM DEDIT.

Conf. R. SIMON *Biblioth. Crit. Tom. I. C.* 34. — Quare et ab huius narratione, cum omnibus prudentioribus, abstinemus.

Manum de tabula tollerem, nisi iterum ex iis, quae hoc § disseruimus, momenti maximi illud pro veritate eruendum esset *Corollarium*, nempe, „seculis illis tribus prioribus veram CHRISTI nostri Deitatem „ capitale Christianorum Dogma fuisse, et, qua tale, Gentilibus innotuisse, ita ut *Christianum esse* et „ CHRISTUM *non pro vero Deo coluisse* ἀσύγγνωστον fuerit „ et

„ et contradictorium." Quod si pluribus confirmari deberet, unus PLINII locus nobilissimus evinceret, *Epist. L. X. Ep. XCVII.*, ubi, *ex ore Apostatarum*, ad TRAIANUM, *hanc esse summam vel culpae, vel erroris Christianorum* scribit, *quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque* CHRISTO, *tanquam* DEO, *dicere secum invicem.* Neque habebunt, quod excipiant Sociniani, vel Novatores, CHRISTO, tanquam VERO DEO, infensissimi; nam quod minus dextre affirmavit DEXTER in *Chronico*, PLINIUM Christianum factum esse, in eo sequentem habuit neminem: sed maius forte praesidium quaerent ex *Apolog.* TERTULLIANI, *C. II*, ubi locum PLINII ita legimus: PLINIUS SECUNDUS TRAIANO *nihil aliud se de sacramentis Christianorum comperisse scribit, quam coetus antelucanos ad canendum* CHRISTO ET DEO. En! inquiunt, hic aperte distinguuntur CHRISTUS et DEUS. Sed salva res nostra: locus enim est corruptus, et legendum: CHRISTO UT DEO. Hoc non tantum docet ipse PLINII locus, sed extra omne dubium ponit EUSEBIUS, qui locum TERTULLIANI ita reddit Χριστὸν ὡς θεὸν ὑμνεῖσιν, EUSEBIUM in hanc rem laudavit HUËTIUS, *Dem. Evang. Prop. IX. C.* 25. § 5. *fol.* 808, addens: *adeo constans erat vel primaevis illis Christianae religionis initiis opinio*, CHRISTUM *a Christianis* DEUM *baberi.*

§ 6.

Omnia autem, quae disputavimus, si ad propositum nostrum referantur, satis superque Dissertationis nostrae instituto satis fecisse mihi videor. Observavimus enim, ludrica esse, futilia et sibi obloquentia, quaecunque contra religionem Christianam attulerunt Gentilium sagacissimi ac subtilissimi, odio et superstitione occoecati, ac pravissimis moribus deditissi-

simi. Multa e contrario ex illorum scriptis exhibuimus, quae veritatem Euangelii historicam confirment, et praecipuorum Christianismi dogmatum antiquitatem demonstrent. Evicimus denique, quicquid testantur Euangelistae et Apostoli de natalibus, vita, operibus et obitu Servatoris O. M., itidem, maximam partem, corroboratum fuisse testimoniis eorum, qui a Sacris nostris erant alienissimi, atque inter eos fuisse non infimae sortis ac laudis, qui, suo more, nostrae religionis Auctorem et ἀρχηγὸν summis honoribus condecorandum esse statuerunt. Quibus omnibus aut seorsim spectatis, aut in unum collectis, sponte sua nascitur conclusio: *Ergo nullis Gentilium subtilissimorum obtrectationibus veritas religionis Christianae labefactata, immo potius corroborata fuit et confirmata.* Q. E. D.

SECTIO III.

De
Recentiorum obtrectationibus, veritatem religionis Christianae confirmantibus.

CAPUT I.

§ 1.

Eodem, quo coepimus, pede si iam pergere liceret, amplissimum et iucundissimum ingrederemur campum, cum iis scilicet congressuri, qui, subsequentibus seculis, aut veritati religionis Christianae in genere, aut nonnullis Euangelicae doctrinae dogmatibus atque praeceptis, bellum indixerunt; infaustissimo quidem successu, cum aut ipsi ignavi et decepti religionem, quam aggrediebantur, minus cognoverint, aut si cognoverint, nihil tamen novi, et ad quod non centies responsum fuerit, in medium proferre potuerint. Scilicet non iis datum fuit, post frustra petitam tot Iudaeorum, et quicquid subtilissimorum tulit Graecia vel Roma Philosophorum, conatibus religionem maxime salutiferam, eandem, tot seculorum investigatione probatam, fulcitam, roboratam, novis argumentis ludricam reddere et repudiandam; et vero eodem, cum priorum temporum oblocutoribus, infortunio involuti, ipsam, quam evertere studebant, stabiliverunt veritatem, inscii quidem et inviti; cuncta tamen sic moderante Divina providentia,

tia, ut istos, praviſſimis ſuis praeconceptis opinionibus occoecatos, ac nimia ſuperbia efflatos nominis Chriſtiani adverſarios, ſuo ipſorum gladio iugulare et tela, quae in nos vibrant, in eorum capita retorquere, ſine maiori niſu, queamus, certiſſima adorandi Soſpitatoris noſtri promiſſione ſecuri, nullo tempore Orci portas Eccleſiam fore ſuperaturas.

Cernit vero quilibet, quam late pateat, quem hic conſpiciendum dedi, campus, ita ut vix ad dimidiam partem creverit noſtra Diſſertatio, ſi plerorumque et infenſiſſimorum pleraque modo, quae obiecerint, examinare et ad propoſitum noſtrum revocare ferret animus. Vetant hoc brevitatis leges, quas, ut ut mihi ſaepius propoſitas, non tam neglexi, quam transgreſſus ſum invitus; transgrederer vero maiori cum pudore, ſi benevoli Lectoris patientia abuterer diutius. Abutar tamen pauliſper, cum, velis, quantum fieri poterit, contractis, ea tantum commemorem, quae praecipua quidem videantur, paucis oſtenſurus, quantillum per recentiorum etiam conamina perdiderit, quantum vero lucrata fuerit optima Chriſtianorum in religione cauſa. Quam in rem ea ſuppeditare ſtudebo, quae et adverſariorum πρῶτα ψεύδη, et in ceteris *Fontes ſolutionis* indicent, veraciſſimi et probati illius VOLTAIRII adagii memor:

Le ſecret d'ennuier eſt celui de tout dire.

Non ergo nos detineant veterum, poſt Cerinthianos, Carpocratianos et omnem Gnoſticorum familiam, aut etiam recentiorum Haereticorum ſcripta, quippe quae eodem, quo Eccleſiam infeſtabant, tempore, a Patribus et recentioribus Doctoribus refutata et exploſa, hanc adepta fuerunt ſortem, ut, emortuis, cum Haereſiarcharum nominibus, ipſis erroribus, veritas Euangelica remanſerit intaminata, magisque explorata; ſortem inquam cunctis Haereſibus im-

imminentem, cum ex Opt. Magistri promissis faustior ille dies Ecclesiae in fine dierum orietur.

Scilicet, cum ipsi harum Haeresium fautores, gravissimus etsi et foedissimis erroribus impliciti, *Christianos* tamen se esse gloriarentur, ac Sacrarum Literarum reverentiam prae se ferrent, protestatione quidem actui contraria, eandem ob causam non ii sunt, cum quibus nobis hic luctandum sit, Dogmaticis potius relinquendi.

Verum enim vero, *triplex* nobis restat oblocutorum turba, qui aut apertius, aut simulate magis, omnem Christianam, vel etiam revelatam religionem aversantur, et, sive nova quadam revelatione a Christianorum corruptelis emendare; sive solius rationis, ut aiunt, ductu et regimine, in Naturalem quandam religionem commutare; sive denique divinandi libertatis et artis criticae larva induti, in aliam plane, quae Christiana vix dicatur, convertere studuerunt.

Hanc triplicem, variis in rebus mire inter se convenientem, Christianismo autem vero aeque infensam, adversariorum multitudinem debellaturi eandem, quam in prioribus, viam sequemur, ostensuri *primo*, nihil ab iis unquam prolatum, quod veritatem Religionis destruat; *secundo*, multa ab iisdem concessa atque tradita fuisse, quibus ea mirum in modum confirmetur. Neque tamen ampla et perpetua demonstratione, sed brevioribus quasi stricturis, ut fastidium effugiamus, rem efficere conabimur.

Priorem adversariorum familiam dico *Mohammedanam*, quam silentio praetermittendam non duco, cum, quia longe lateque diffusa est illorum doctrina, et Christianis, in oriente praesertim, non vero ipsi Veritati, multum detrimenti attulit; tum, quia, novam revelationem substituens, non pauca nostris Euangeliis, ceterisque Sacris literis, obiecit. Denique, quia

non

non desunt inter nostri seculi Christianomachos, qui Mohammedanorum Sacra maxime commendent, quam in rem omnino conferas Doctiss. LUDEKE *Descript. Turcici Imperii*, quae et Belgico idiomate donata prodiit, lectu dignissima.

Alteram familiam dico *Deistarum*, vel etiam *Naturalistarum*, locuples adversariorum agmen, quod, sibi etsi minime constans, omnem divinam revelationem respuit.

Tertiam denique illam dico, quae nostro tempore surrexit *novae reformationis* nomine insignis, et ex Academiarum et Ecclesiarum cathedra, sive suggestu, veram et genuinam Christianismi religionem impugnat, et, mutato nomine, eandem, quam Deistae, metam petit, omnem religionem Christianam in Naturalem, vel, uti malunt, Θεοφιλανθρωπίαν mutare gestiens. Harum ergo trium in religionem Christianam obtrectationes paucis examinando huic Dissertationi finem imponendam ducimus.

§ 2.

Ordiamur a *Mohammede*. —

Anno enim aetatis suae XL, aerae vulgaris DCXII, revelationes suas iactare coepit MOHAMMED, quamvis Mohamedismi vera initia computari solent ab *Hegira*, id est, Anno DCXXII, *a. d. XVI Iulii*, quo die Medinam Mecca aufugit novae religionis auctor, a Magistratu quaesitus. Atque inde novos, eosque infensissimos, hostes habuit Ecclesia, nil tale suspicata. Desaevierant enim Nerones, Domitiani, Iuliani, atque quot et quanti in Christianam religionem resurrexerant, frustranei fuerant, unde felicia quaevis sibi promittebant, qui CHRISTO nomen dederant (*Magdeb. Centur. VII. C. 2.*) cum, ecce! invadentibus Oc-

cidentem Hunnis, Bulgaris et Longobardis, Papa BONIFACIUS, ope parricidae PHOCAE, Oecumenici Episcopi titulum adeptus, Europaeam in eas adduxit angustias Ecclesiam, ut veritatis Euangelicae vestigia vix apud paucos reperires; conf. praeter FLACCII *Catal. Test. Verit. Magdeburg. Cent. VII. C. VI. p.* 365. et ipsum BARONIUM *ad Ann. DCVI. n.* 2. — In Oriente vero (cum nemo facile rerum potiatur, nisi occasione oblata, uti observat MACHIAVEL, *Princ. C. VI. pag.* 19.) Romanum imperium sub MAURITIO et HERACLIO variis hostium incursionibus, moribus dissolutis et intestinis dissidiis in peius ruebat. Arabia vero idololatria Koreischitica, (de qua consulas HOTTINGER. *Hist. Orient. L. I. C.* 7.) Iudaismo et Haeresibus Nestorianis, Eutychianis, aliisque istius commatis dilacerabatur, cum novae Sectae auctor, vel potius religionis Ismaeliticae Reformator exstitit MOHAMMEDES.

Hic enim محمد *Mohammed* (quod nomen ἱράσμιον, *desiderium* notat) non obscuri stemmatis, e nobili Koreischitarum gente, filius fuit ABDALLAHI EX EMINA, filia VAHEBI, nepos ABDALMOTTALEBI, Patruos habuit ABU TALEB, qui maior natu, et HAMZA et AL ABBAS, qui patre ABDALLAH iuniores; unde errat tum PRIDEAUX *in Vit.* MOH. *p.* 9., qui ABDALLAH filium primogenitum ABDALMOTTALEBI, et BOULAINVILLIERS, *Vie de Mohammed. p.* 182., qui natu minimum dixit. (quem librum Germanice vertit I. A. MEBES) Ceterum noster et laudatur ab his, culpatur ab illis. Neque cum iis facimus, quibus homo audit omnium fere pessimus, neque cum iis, qui vix ulli similem illum pronunciant; vir fuit vere eximius, multa laude insignis, cui tota debet Arabia, et omnis fere oriens, quod a foediſſimo idolorum cultu et infaustissima superstitione ad Unius Dei, ISMAELIS post

ABRA-

ABRAHAMUM Numinis, cultum et reverentiam redierit. Hanc vero gentis suae reformationem haud sine fraude peregit, revelationes sibi a coelo demissas iactitans partim impostor, partim enthusiasta. Moribus luxuriosis, quod genio Gentis si aequus condones, haud tamen defendas virum ambitiosum in eo, quod ex Propheta Dux, ex Duce Rex suorum factus, et de hostibus Triumphans, immoderatae regendi cupidini, crudelitati et libidini se totum dederit, forte etiam incestuosus, si quidem vera sint, quae ex auctoritate filii ipsius ALSADEC GIAAPHER narrat MARACCIUS, *in Vita fol.* 31., saltem in impostoris suis longe impudentior, et in debellatos praesertim Iudaeos saevior. Habeat ergo, quo culpetur Cl. RELANDUS, qui MOHAMEDEN, illiusque religionem, blandius depinxit, longe tamen iis anteponendus, qui, ab Orientalibus decepti, atro carbone omnia notarunt, eumque ex malo pessimum fecerunt. Nimius sit IO. NOMZIUS, Poëta inter Batavos haud infimae laudis, qui MOHAMMEDIS vitam, duobus Tomis divisam, egregie conscripsit; falsus tamen non est Cl. SPANHEMIUS, qui, etsi nefandum impostorem eum dixerit, addit tamen, *Hist. Eccl. Sect. VII. C. VII. Lemm. 5 et 7. Id certum, naturalibus egregie dotibus instructum* MUHAMMEDEM, *forma praestanti, ingenio callido, moribus facetis, ac prae se ferentem liberalitatem in egenos, comitatem in singulos, fortitudinem in hostes, ae prae ceteris reverentiam divini nominis. -- Severus fuit in periuros, adulteros, homicidas, obtrectatores, prodigos, avaros, falsos testes*, &c. *Magnus idem patientiae, charitatis, misericordiae, beneficentiae, gratitudinis, honoris in parentes ac superiores praeco, ut et divinarum laudum.*

Hic talis ingenii, tantaeque auctoritatis Arabs rei Christianae hostis exstitit minime spernendus, eo magis, quod post viri obitum (A. DCXXXI a. d. XVI

Iunii, si SCALIGERO fides *de Emend. Temp. L. II in Additam.*, vel DCXXXIII, si ELMACINO, Aetatis LXIII, teste HOTTINGER. *Hist. Orient. L. II. C.* 4.) mirum in modum crevit Mohamedismus, *primo* inter *Saracenos*, (dicti non a Rad. סרק, *furatus est*, nam ipsi hoc nomine superbiunt, sed a *Saraca*, urbe metropoli, de qua cf. PTOLOM. *Geogr. L. V. C.* 17, et STEPH. BYZANT. *de Urbibus*) sub ABUBEKIR, OMAR, OSMAN et ALI, vid. LEUNCLAV. *Annal. Turc. pag.* 47., e quorum posteris *Ommiadum* familia, post *Abbasidarum* genus in Califatum evectum, Hispaniam sibi vindicavit, vid. EUTROP. *Continuat. Rerum Roman. L. XXII*; *dein* per *Turcas*, Scythico sanguine prognatos, capto Bagdado, sub ABUTALEB TOGRULBEC, A. MLIX. LEUNCLAV. *Hist. Musulm. pag.* 67. et HOTTINGER. *Hist. Eccl. T. II. p.* 422, 438; *postea* per *Tartaros*, qui, duce GINCHISCHAMO, Persiam invadere, et usque ad TAMERLANEM, BAIAZETHIS flagellum, rerum potiti sunt; *tandem* ad summum fastigium pervenit sub OTHOMANNO Turca, qui regni Musulmannici habenas cepit, ad Annum circiter MCCC. Hinc ista contagio penetravit omnem Aegyptum, Syriam, Armeniam, Mesopotamiam, Chaldaeam, Cappadociam, Asiam minorem, Trapezuntiam, Graeciam, Insulas Maris Mediterranei et Archipelagi, Peloponnezum, Epirum, Aetoliam, Macedoniam, Sclavoniam, quin et, praeter alias nationes, Scythas, Tartaros, Persas, Indos, Arabas, Aethiopas &c. Conf. COTOVICIUS *Itinerar. C. I.* et ED. BEREWOOD in *Scrutin. Relig. C. III et V.* Neque ita ferro tantum et igne, vel promissis libidini blandientibus, sed et praedicatione UNIUS Dei, Creatoris et Regis universi, facile idololatria destructa, quam in rem et *Missionarios* suos in difficillimas oras emittunt, quod narrat et exemplis probat CRASSERUS *in Plaga Regia, pag.* 151. ap. HOTTINGER. *Hist. Orient. L. II. C. V. p.* 281.

Hos

Hos vero, post Iudaeos et Gentiles debellatos, in hostes religionis Christianae excitavit Satanae astutia, *numero* insignes, et *ferro* tremendos, cum etiam in iis haud pauci inveniantur, qui sanctitate externa, Divini nominis reverentia, precum et ieiuniorum frequentia, charitatis exercitio indefesso, et vita civili, omni labe carente, plerosque nomine Christianos longe antecellunt; nec defuerint, nec desint etiamnum, viri literarum studio et cultu celeberrimi, quos laudat HOTTINGER. in *Analectis*, *Dissert. VI de usu linguae Arabicae*; qua laude adeo excelluerunt quondam, ut recte scribat Cl. ERPENIUS, *Orat. II. de Ling. Arab. Saraceni usque adeo fuere literis ac studiis addicti, ut solum illud Imperium plures et nobiliores Academias habuerit, quam totus unquam reliquus habuerit orbis.*

Atque ista in antecessum de hac adversariorum familia monenda duximus, iam progressuri ad Sacrum illorum volumen, ex quo, illiusque interpretibus doctissimis, quid in nostram religionem afferant, restat investigandum.

Mosleműna, vel, uti passim scribunt Europaei, *Muselmanni* dicuntur, qui sacris Mohammedicis adhaerent, a *Singulari Mosleм*, quod non, ut visum plerisque, significat *vere credentes*; sed *servatos*, *liberatos*, a mortis scilicet periculis, quam MOHAMED minatur incredulis, quod recte observat MARTINIUS, *Lexic. Philol. in Voce*, et OLEARIUS *Itinerar. Persic. L. V. Cap. XXXIX. p. 676.* Hi vero cuncti summa veneratione amplectuntur librum quendam القرآن *Alcoranum*, ex articulo Arabico ال *al*, qui respondet Graeco ὁ, et Hebraeo ה, et voce قرآن *Coran*; significat vero *Liber legendus* κατ' ἐξοχήν, aut, uti malunt doctissimi quidam Arabes, a *colligendo*, *Collectio oraculorum*, vid.

ERPENIUS, *Not. ad Hist.* IOSEPHI *p.* 3. qui et dicitur الغرقان *Alphorcan*, a فرق, *distinguere*. quia *vera a falsis distinguit*, vel potius *Sectiones*, uti Iudaei in S.S. et in Mischna *Subdivisionem* seu *Sectionem* ab eadem Radice vocant *Perek* vel *Pirka*. GOLIUS *Append. ad Gramm. Arab.* ERPENII et MAIMON. *Praef. in Seder Zeraim. p.* 57. cui addunt Traditiones سنة, *Sonnat*, quae Hebraeorum תְּשְׁנָה respondent, verum a Persis reiiciuntur; Orthodoxi vero ab iis *Sonnitae* vocantur.

Hunc Librum (divisum in CXIV Capita, sive *Suras*, praeter alias quasdam divisiones, quae privatis tantum, aut publicis in Templis lectionibus inserviunt) variis temporum intervallis, tum *Meccae*, tum *Medinae*, coelitus demissum, atque GABRIËLIS Archangeli manu MOHAMMEDI traditum fuisse, uno ore profitentur *Moslemuna*, et in ipso *Corano* docetur passim. *Aeternum* autem et *increatum* esse statuunt Sonnitae, ita ut in ipsa Dei Essentia exstiterit, et inde descriptus sit ab aeterno in magna quadam Tabula ante thronum Dei, quo et omne Decretum divinum contineatur, quamque لوح محفوظ, *Tabulam custoditam* dicunt, *Sura LXXXV*, ubi ex Interpretibus vide MARACCIUM *fol.* 792. *The preserved Table* vertit SALE, *Prelim. Disc. Sect. III.*; unde iterum per GABRIËLEM, uno volumine comprehensus, in coelum inferius deportatus, atque hinc, per partes, MOHAMMEDI, Prophetae scilicet et Legato Dei, traditus fuerit. Hanc vero *aeternitatem* illi denegat Secta eorum, quos *Motazalites* vocant, (POCOCK. *Specim. Hist. Arabum.* 220.) uti etiam addicti τῷ ISA EBN SOBEIH ABU MUSA, cognomine *al Mozdar.* (ID. *Spec.* 219), quin et Calipha AL MAMUN, A. Heg. CCXVIII hanc haeresin publico Edicto confirmavit, quem secuti AL MO-

MOTASEM, et AL WATHEK, qui et dissentientes capitis damnavit: huic autem qui successit AL MOTAWAKKEL, Edicto revocato, cuique, utram sententiam sequi vellet, concessit, A. Heg. CCXLII. Logomachia mihi interim, quae tot turbas movit, videtur Quaestio, cum, ex Doctissimo *Al* GHAZALI, *in Prof. fidei*, sagacissimos nihil aliud velle didicerim, nisi quod CORANUS exstiterit ab aeterno in Deo, non *formaliter*, sed *idealiter*, ita ut Idea Corani Deo sit *co-essentialis* et *co-aeterna*; verum (uti recte MARACCIUS, *Prodrom. III. ad Refut. Alcor. fol.* 89) *nulla est inter res creatas, quae* HOC MODO *non fuerit ab aeterno* IDEALITER *in Deo.*

Sed plura mitto, qui non de Mohammedana religione differo, ea modo dicturus, quae instituti ratio postulat.

Mortuo MOHAMMEDE, in ordinem redegit hic illie, quas reperit, Corani partes ABU BECR, quas HAFSAE, filiae ejus OMAR, quae Prophetae erat vidua, servandas tradidit; verum cum, A. Heg. XXX, OTHMAN, Calipha, intelligeret multum variare Codices, per Provincias dispersos, sub auspiciis doctissimorum quorundam Virorum, multos novos ex Haffiano describi curavit, quibus per Provincias dimissis, corruptos quosvis cremandos iussit, vel sic tamen nonnullae variantes Lectiones remanserunt.

Praecipuae autem in usu sunt Editiones septem: nempe *Medinensis*, quae 6000 versiculos; *Meccensis* et *Basrensis*, quae 6214; *Medinensis*, quae 6219; *Cufensis*, quae 6236; *Syriaca*, quae 6226; et *Vulgata*, quae 6225 versiculos continet; Omnes tamen in numero vocum, 77639, vel ex alia computatione 99464, et literarum, 323015 vel 330113, convenire dicuntur.

Multos, inque iis, celeberrimos quosdam, Interpretes et Commentatores inter Moslemûna Coran nactus

ctus fuit, tam *Literales* quam *Allegoricos*, quorum plerorumque nomina et scripta ex MARACCIO, POCOCKIO, aliisque cognoscas; eminet autem, praeter AL ZAMAKHSHARI, AL IAHEDH, GELALEDDIN aliosque complures, Commentarius AL BEIDAWI, cuius Mss. egregium exstare *Londini*, in Bibliotheca Ecclesiae Belgicae in *Auslin Fryars*, didici ex *Praefat.* Doct. G. SALE, Corano suo praefixa; e quibus mox plerasque in nostram religionem obtrectationes examinabimus.

Verbum adiiciam de *versionibus*.

Errant enim post MARACCIUM, SIONITAM *de Urb. Orient. p.* 41; et complures alios, qui docent, Mohammedanos Coranum suum *versionibus* profanari statuisse. Ipsi enim varias versiones fieri curarunt *interlineares*, praesertim Lingua Persica, Iavanica et Malayanica, quarum et meminit Cl. RELANDUS, *de Rel. Moh. p.* 265.

E Christianis *Latinam* versionem edidit THEOD. BIBLIANDER, Professor Tigurinus, A. MDL, instructam A. MCXLIII a ROBERTO RETENENSI et HERMANNO DALMATA, iussu PETRI Abbatis Cluniacensis, verum tot vitiis scatentem, ut ne versio quidem dici mereatur, vid. SCALIGER, *Epist. CCCLXII*, et CALIXTUS in *Disp. de Ver. Rel. Christ.* Hanc tamen κατὰ πόδα secutus, *Italicam* versionem dedit ANDREAS ARRIVABENE, inani gloria se ex Arabico transtulisse mentitus. *Arragonicam* se conscripsisse, iussu MART. GARCIAE, Episcopi Barcelonensis, testatur *in Praef. ad Tract. suum de Confus. Sect. Mahometanae*, Seculo XVI ad finem vergente, IO ANDREAS ex Doctore Mohammedano Sacerdos Pontificius. Initio Sec. XVII *Gallicam* dedit, eamque notissimam, Nationis Gallicae in Aegypto Consul ANDR. DU RYER, *Retenensi* omnino anteponendam, vitiosam tamen, taediosam et obscuram; cuius vitia maxime auxit GLASEMAKER, interpres Belgicus, cuius *Corani* vix decem Pa-

Paginas sine fastidio et sopore ullus legat, quod et de ROSSII versione Anglicana, mihi minus cognita, affirmatur. Maiori cum Eruditorum applausu receptum fuit opus MARACCII, *e Congregatione Clericorum Regularium Matris Dei et Papae* INNOCENTII XI *Confessarii*, qui *Patavii* A. MDCXCVIII edidit versionem Corani *Latinam*, una cum Textu originali, Notis et Refutationibus. Opus sane magnae utilitatis et laude sua minime privandum. Versio accurata quidem, sed nimis *literalis* dicitur. Notae utilissimae. Refutationes autem Viri, Pontificiis Sacris addictissimi, eo ipso ad confutandos Mohammedanos, Iconibus, et quicquid idololatriae speciem prae se fert, infensissimos, minus aptas reperias. Faustissima tandem Lucina, A. huius seculi MDCCXXXIV, prodiit *Londini* „*The* KORAN, *commonly called the* Alcoran of „ MOHAMMED, *translated into* English, *immediately* „ *from the Original* Arabic; *with explanatory Notes*, „ *taken from the most approved Commentators. To* „ *which is prefixed a* Preliminary Discourse. *By* GE„ ORGE SALE, *Gent.*" Opus illud, bonis avibus, Germanice edidit Cl. THEOD. ARNOLD, Lipsiensis, *Lemgo* A. MDCCXLVI. Opus, inquam, absolutissimum, omnino commendandum, et cuius Belgicam versionem Patriae meae, non nisi libellis politicis fere legendis assuetae, exoptem vehementer.

Ceterum stili elegantiam, Dialecti puritatem, et vero sententiarum gravitatem, in iis praesertim, ubi Prophetas Hebraeorum imitatur, Corano haud facile negant Arabici idiomatis periti, unde (cum *Prophetam Idiotam* MOHAMMEDEN fuisse, annuat ipse, nec abnuant assectae) maximum petunt pro divina istius libri inspiratione argumentum Moslemûna, quod cunctis miraculis, immo mortuorum resuscitationi anteponit AHMED ABD'ALHALIM. Refragantur autem *Mota-*

zalitae: inprimis AL MOZDAR et AL NODHAM, qui Corani elegantiam non tantum adaequari, sed superari posse docuerunt, cf. POCOCKII *Specim. p.* 222. Quamvis enim de adiutoribus MOHAMMEDIS non adeo constet, ut plerisque visum fuit, nec inter Arabas infideles, qui illud ipsi obiecerint, *Sura XVI et XXV*, ipsos conveniat, cum nempe callidissimus impostor res suas satis obtexerit, unde et Christianorum narrationes haud firmissimo talo nituntur: nam quod LEUNCLAVIUS *Hist. Muselm. L. I. p.* 33. et *Cent. Magdeb. in Praef. Cent. VII*, narrant de SERGIO, *Monothelitarum* Abbate, ob haeresin exsule, non quadrat in illud tempus, quo sub HERACLIO Imperatore, huius schismatis patrono, Monothelitae praemia magis exspectabant, quam exsilia, vid. BARON. *ad Ann.* DCXXXIII. *n.* 24 et 32, quare alii Monachum quendam SERGIUM nominant, ob Haeresin sive Arianam, sive Nestorianam (nam et hoc incertum) Byzantio pulsum, cui alterum IOANNEM, Antiochenum Monachum, BAIRAM Iacobitam e Persis, PHINEAN, ANDALAM, alioque Iudaeos adiungunt: — Quamquam igitur haec non adeo certa sunt, ut multis persuasum fuit, certissimum tamen est, nonnullos ei adiutores fuisse, de quibus POCOCKII coniecturae, *in Vita* MOH. *p.* 31, ceteris anteponendae videntur, quas inter elegantissimos ex iis, quibus tunc superbiit Arabia, Poetas sibi adsciviisse MOHAMMEDEN, vix dubitamus; uti novimus ex D'HERBELOT, *Bibl. Orient. p.* 512., POCOCK., *Specim. p.* 80., et G. SALE, *Introd. p.* 77; unum e praecipuis, LABID EBN RABIA, multum ei profuisse respondendo ad Libellum, quem in novum Prophetam edidit AMRI AL KAIS, Princeps Gentis ASAD, itidem Poëta eximius, et unius ex septem Carminibus auctor, quae *al Moallakat* (id est *in Caaba*, sive templo, *suspensa*) et *aureis literis conscripta*, sive *al Modhahabat* dicuntur,

tur, conf. Id. POCOCKIUS, *l.l. p.* 381 et *in calce Notar. in Carmen* TOGRAI, *p.* 233.

§ 3.

Falsi omnino reperiuntur, qui, veterum plerosque secuti, affirmant, de religione neutiquam disputare Mohammedanos, neque disceptationem cum iis, nisi capitis periculo, instituí posse. Negaverit hoc initio infirmis et dubitantibus suis assecIis MOHAMMEDES *Sura VI:* 65. *XXII:* 65. *XXIX:* 46. *XLII:* 14 et alibi passim, multum tamen serioribus temporibus hoc immutatum fuit. Pauciſſimis quidem in oris, cum id *Publice* liceat, *privatim* fit quotidie; caveat modo disputator, ne in Prophetam, aut Sacrum, quod veneratur, Volumen acerbiores dicat iniurias, aut cum iis differat, quibuscum non quandam familiaritatem contraxerit. Methodum, qua plures, si non ad suscipiendam, saltem ad agnoscendam Christianae religionis veritatem, induxisse se profitetur, dabit auctor Libri Italici *Teatro della Turchia*, *Art. XII et XIII*, et ex eo MARACCIUS, *in Praefat. fol.* 3, 4, quibus multa *in Praefat.* addidit G. SALE. *p.* 1-3. Immo varia scripta Polemice ediderunt Clarissimi eorum Professores, quibus suam defendere, nostram evertere religionem, studuerunt, quos inter eminet AHMED, *filius* ABDOL-HALIM, *Apolog. contra Christ.*, multas obiectiones et obtrectationes proferentes, quas prius quam examinemus, causas tanti odii et in Christianismum ardoris in antecessum investigandas ducimus, uti et *Sect. I et II* de *Iudaeis* et *Gentilibus* fecimus; quibus investigatis, iterum patebit, quid de iis iudicandum sit, et quantillum iis insit ponderis ad veritatem Euangelicam labefactandam.

Odium, quod et Mohammedanis tribuimus, ex iis liquet epithetis, quibus Christianos conviciatur ipse *Coranus*, ubi كافرين, *infideles* et *impii*, vel ضالين, *errantes* audiunt, quibus *Perditorum* et *Canum impurissimorum* nomina non raro adiiciunt, re ipsa illud odium, in miserrimos suarum terrarum Christicolas, saepius et in captivos, exercentes. Quanquam enim haud pauci ex eorum Doctoribus salutem aeternam in Paradiso secundi ordinis Christianis haud denegant, uti recte observat CHARDIN, *Voyages T. II. p.* 326, 331, et ipse MOHAMMED, in iis saltem, quas, sub initio fraudis, acceptas ait, *Suris*, consentire videatur *Sura II:* 61 *et V:* 75. inprimis *Sura III:* 112.; plerique tamen omnem salutis spem, ex communi Corani doctrina, quibusvis abiudicant, qui *Islamismi* viam haud sectantur vid. *Sura III:* 83. et ABU'LKASEM HEBATALLAH *de Abrogante et Abrogato*, poenam tamen haud *aeternam*, non nisi *Idololatris Gentilibus*, iis praesertim, qui Coranum, *sibi cognitum*, repudiant, statuentibus; ceteris post XL dies, ab ultimo nempe iudicio computandos, liberandis, uti habet JALALO'DDIN, vel saltem post XII Menses, qua in re Rabbinos sequuntur, Conf. BARTOLOCCII *Bibliotb. Rabbinic. T. II. p.* 128. et *T. III. p.* 421. Neque magis convenit, quod docet ipse MOHAMMED, *Sura II:* 257. *Ne fiat violentia in religione*, et *Sura LXXXVIII:* 21, 22. *Commonefac* incredulos, *quippe tu es tantummodo Monitor, neque es super illos violenter imperaturus*; item *Sura XVI:* 129. *Voca infideles ad viam Domini tui per sapientiam, et exhortando eos leniter ac placide, et disputa cum eis disceptatione modestissima. Nam dominus tuus optime novit eos, qui aberrant a via sua, et eos, qui sunt dirigendi in viam.* Non convenit, inquam, hoc inter et illud, quod docuerit, postquam, Medinensium et multorum e Meccanis o-

pe

pe suffultus, crudelius agere incepit, quando per *Suram* السيف *Gladii*, id est, IX, omnem pro infidelibus indulgentiam et libertatem abrogavit; uti et *Sura VIII* ad milites suos, *Pugnate contra infideles*, inquit, *donec aboleatur falsa religio, et sit religio tota Dei*, quin et se ipsum *Apostolum Gladii*, رسول السيف vocavit, sicut et in *Sonna* dicitur: *Pugnate contra homines, donec fideles fiant.* Quam contradictionem si Mohammedanis obiicias, respondet GELALEDDINUS, *ad Sur. L:* 39. *Non coges eos violenter ad suscipiendam fidem. Verum hoc dictum fuit ante praeceptum ipsi datum de inferendo bello infidelibus*, secutus ABU'LKASEM HEBATALLAH, *l.l.* qui, per *Suram IX*, *Abrogatos fuisse* scribit *CXXIV versus ex Alcorano.* Rem ipsam vero, *religionem vi et armis promovendam esse*, cum contra Christianos defendunt Mohammedani ex Pontificiorum modo agendi, et crudelissimam Mexicani Imperii (sub religionis larva) invasionem urgentes, videas, num iis responsionibus sic satisfecerit MARACCIUS; haud sane Protestantibus, quin nec cordatis Pontificiis satisfacturus, cum tamen eiusmodi obtrectationes non ipsam veritatem, sed eos modo tangant, qui istius larva abutuntur, mundanis suis rebus consulentes.

Causas autem tanti odii, apud recentiores praesertim, si indagare lubet, varias reperias, adeo diversas, ut nonnullas veniam facile impetraturas, alias non item, haud sine ratione censeas.

Harum omnium primam atque praecipuam recte dixeris *Corani sui nimiam et superstitiosam reverentiam.* Cuius elegantiam nemini imitandam, (de qua iam §*praeced.* egimus, ut solidissimum pro illius veritate ac Divina origine argumentum, urget continuo, addito, quod ipse MOHAMMEDES Meccanos suos, ut ut eloquentia et poëseos laude celebratissimos,

fruſtra ſaepius ad ſimile quid proferendum provocaverit. — Sit ita; nec Libri elegantias, nec, quod urgent, factum negamus, quamquam de eloquentia atque eruditione Meccanorum dubitationis anſam dat ipſe *Coran*, qui *Sura LXII:* 2. illos dixit الامين, *Idiotas*, *ſcribendi legendique ignaros.* coll. *Sura III:* 73. affirmantibus illud Interpretum Clariſſimis AL ZAMAKHSHARI ad *Sur. LXII*, NASER EBN ABUL-MOCAREM, GELALEDDIN &c. Verum, quis ex praeſtantia ſtyli ad θεοπνευſίαν concludat? Quis Philoſophorum ARISTOTELEM, Oratorum ISOCRATEN, Poëtarum HOMERUM, Romanorum CICERONEM adaequavit? quin et de PINDARO cecinit HORAT. *Carm. L. IV. Od.* I.

PINDARUM *quisquis ſtudet aemulari,*
Iule, ceratis ope Daedalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina Ponto.

Si inſtant, Idiotam tamen fuiſſe MOHAMMEDEN, probandum iis incumbit, nullos ei fuiſſe adiutores, inque iis praeſtantiſſimos iſtius temporis poëtas. Quid? ſi de illius *Idiotiſmo* dubitemus vehementer? qui, patrem cum amiſerit trimulus, ad VIII aetatis ſuae annum ſub auſpiciis avi ABDALMOTALEB, et fere ad XL ſub patrui ABUTALEB vitam geſſit; uxorem nobilem CHADIGEN duxit, oriundus ipſe Gente *Coraſina*, familiaque *Haſcemita*, id eſt, Meccanorum (quorum eruditionem adeo extollunt) nobiliſſima.

Materiam vero ſi ſpectes, quis *divinum* crediderit librum, quem *miraculum perpetuum* nominant illi, verum, qui tot fabulis, tam impiis, quam ſuperſtitioſiſſimis, undique ſcatet? v. c. de concubitu HEVAE cum diabolo; de homine quodam redivivo, poſtquam tetigerat ipſum cauda vaccae rufae; de SALOMONE Daemonas per Magiam cohibente; de raptu MOHAMMEDIS in coelos; ſexcenta eiusmodi? Quis ferat Hiſto-

ſtoriarum notiſſimarum confuſas, contortaſque narrationes, an fabulas dicam? Anachronismos haud excuſandos, quibus V. C. HAMANUM *Al Wazir* PHARAONIS, et IO. BAPTISTAM ZACHARIAE *Vatis filium* fingit? Quis (ſi HOMERUS laudibus vini vinoſus arguitur) θεοπνευσίαν agnoſceret viri, qui de feminis et concubitu foediſſimi ubique mentionem iniiciens, ſui ipſius luxurioſam et effrenatam libidinem prodit? Non adeo loquor de Polygamia, licita ei, atque adeo ſorte ex genio Gentis quodammodo excuſanda; non loquor de ancillis, quarum uſum heris, praeter uxores, conceſſit, *Sura XXIII:* 1.; ſed pudet adieciſſe, quid (licet crimen nefandum, leviori tamen ſub poena, maribus interdixerit) marito cum uxore permiſerit aperte *Sura II:* 224, et quid ad illa ſcripſerit Interpres GELALEDDIN; ſed conferas hic MARACCIUM *in Refutat. ad Sur. II. fol.* 87, 88. Quin, ſi mitiori quodam ſenſu haec interpreteris cum SALE *in h. l. p.* 36, haud tamen ex eiusmodi locis cognoſces Apoſtolum divino afflatu docentem, ſed virum, amoribus deditiſſimum, qui ipſe (uti ſcribit ISMAËL EBN ALY) ſolitus erat fateri: *Deus poſuit delectationem meam in feminis et aromatibus*; quique, quod aliis permiſit, ſuo ipſius exemplo ſaepius probavit, ſi fides habenda PETRO PASCHASIO, Epiſcopo Giennenſi, qui ad uxorum MOHAMMEDIS notiſſimum ea de re teſtimonium provocat, in *Hiſt. Mahumedanica*, *Titulo I. C. IV. N.* 36.

Verbo, ſi quis conſideraverit librum, nugis, fabulis, contradictionibus repletum, in Deum O. M. blaſphemum, qui hic periurus, illic laſciviis, adulteriis, inceſtui Prophetae ſui pingitur frena laxans: librum porro, cuius Auctor totus quantus gulae, praedae, libidini et crudelitati addictus, cuncta in ſua commoda traxit, divinaſque revelationes ad probra

ſua

ſua cohoneſtanda ſemper parata habuit, cuncta religionis pallio obtegens; mox cernet, quantum eiusmodi liber diſtet ab iis θεοπνεύστοις, quos PAULUS, 2 TIMOTH. *III:* 16, ὠφελίμες dixit πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, κ. τ. λ.

Alteram odii iſtius cauſam ſtolidiſſimam dixeris *ſuperſtitionem.* Ipſe Coran, et quaevis illius Commentaria narratiunculis et fabulis anilibus abundant, de Magiis, Geniis, Praeſtigiis, virtutibus Talismannicis, aliiſque eiusdem commatis; quin et ad *Suram CXIII* narrant, MOHAMMEDEN ipſum magicis filiarum cuiusdam Iudaei, LOBEIDI, artibus, funiculo, ſeptem nodis nexo, implicitum fuiſſe, neque alio modo extricatum, quam totidem verſibus recitandis, quales veneficarum incantationes Galli olim *Nouër l'eguillette*, et Germani *das Neſtel-knüpfen* dixerunt, de quibus iam ſua aetate VIRGILIUS in *Pharmaceutria*, *Ecl. VIII*, ita ALPHESIBAEUM canentem inducit, v. 73.

Terna tibi haec primum triplici diverſa colore
Licia circumdo —
Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores:
Necte, Amarylli, modo; et Veneris, dic, vincula necto.

Sic et de *volucrum linguis*, quas nonnulli intelligerent, haud pauca fabulantur, omnia inde ſumentes; notante cl. T. ARNOLD in *Hiſtoria Saracenorum* SIMONIS OCKLEY, quam vertit Germanice, A. huius Seculi XLV, *T. II. p.* 492. „Es giebt Leute unter dem „ Volke von Arabien, die ſich auf die Sprache der „ Vögel verſtehen wollen. Sie ſprechen daſz dieſe „ wiſſenſchaft ſeit Salomons und der Königinn von „ Sheba zeit beſtändig unter ihnen bekannt geweſen „ wäre, welche einen Vögel, *Hubheid*, das iſt, *Wie-* „ *dehopf*, genannt, gehabt, durch den ſie ihr Liebes-

„ ver-

„ verſtändniſz unterhalten hätte." Quis vero miratur, ſi in Gente, adeo genio indulgente, iisque nugis deditiſſima, plerique religionem noſtram ſimpliciſſimam, talia non ita ridentem, quam ſub graviſſimis aeterniſque poenis damnantem, perquam habeant inviſam? Tertiam rei cauſam praebet totius fere Gentis, inprimis Monachorum, *libido*, veneri et gulae inhians, quae, aeque atque in ſuperioribus de Cynicis et Epicureis viſum fuit, ſanctiſſimae religionis monita et praecepta cane peius fugit et obtrectat. Notior eſt, quam ut exemplis probem, conſueta vivendi licentia, uxorum turba, pellicum et proſtibulorum cohortes; nefanda taceo cuiusvis generis flagitia, et omnium ordinum mores corruptiſſimos, qui propriae religionis leges de vino, alea et ludo &c. nimis reſpuunt, aut precum, ieiunii, et peregrinationis opere abſoluto omnia expiari poſſe crimina ſomniant; quae quantum abhorreant ab ea, quam exigit Euangelium CHRISTI, ſanctitate et mente pura, quiſque facillime videt. Omnium autem peſſimi (fanaticos quosdam rigidiores ſi exceperis) invenies Hypocritarum turbas numeroſas, Chriſtianorum Monachis haud abſimiles; *Derviſios* volo, quorum alii nudi, alii veſtiti, alii tonſi, alii capillati incedunt, quos nulla ſcelerum tangit conſcientia; *Torlaces*, mendicantes et omnium rerum communionem obſervantes, quorum furta et nefanda crimina apud ſuos etiam ſollemnia; et *Calenderos*, continentiae laudem et duriſſimae vitae gloriam affectantes, omnium fere nequiſſimos; (a quibus bene diſtinguas Armeniorum in Perſia Praefectum, qui et *Calender* dicitur, eoque titulo res ſuae Gentis apud Regem et Satrapas curat) de iis nempe recte ſcripſit GALLANDUS, *Paroles remarquables, Bon Mots et Maximes des Orientaux. Hag. Com. MDCXCIV. p.* 14. „ Les *Calenders* chez les Ma-

„ hometans ſont des gens, qui abandonnent père, „ mère, femmes, enfans, parens et toutes choſes, „ qui courent par le monde, et qui vivent de ce qu'on „ leur donne: mais cela ne les rend pas meilleurs „ obſervateurs de leur religion &c." Quin et D'HERBELOT in *Biblioth. Orient.* ex ore cuiusdam SAADI, qui et ipſe Derviſius erat, notavit: „ Il conclut par „ les *Calenders*, qu'il dit ne ſortir iamais de table, „ tant que la reſpiration leur dure et qu'il y reſte „ quelque choſe a manger. Il dit auſſi dans un autre „ endroit, que deux ſortes de perſonnes ne doivent „ pas être ſans ſouci, a ſavoir un marchand dont le „ vaiſſeau s'eſt perdu, et un riche heritier, qui eſt „ tombé entre les mains des *Calenders*." — Haec tamen cum ſcripſerim, nolo, exiſtimes, me cunctos et ſingulos Muſelmannorum vitae nequiſſimae et morum libidinis accuſare. Sunt, iique omnium ordinum haud pauciſſimi, ſunt, praeſertim inter *Scheichas*, doctrinarum ſacrarum doctores, et inter templorum et proſeucharum miniſtros et oratores Sacros, ſunt, inquam, et inter *Derviſios*, inprimis *Eremitas*, viri ſtudiis et doctrina non tam praeclari, quam probitate et vita, omnibus ad imitandum commendandi; fuerunt, qui pro Unitate Dei, et ob cultum imaginibus denegatum laeti martyrium ſubirent; fuerunt, et ſunt, qui mereantur, quod iis illud tribuat elogium SEPTEM CASTRENSIS, *C. XIV. Sunt*, inquit, *tantae exemplaritatis in omnibus eorum dictis et factis, in moribus et motibus tantam prae ſe ferentes oſtenſionem, ut non homines, ſed angeli videantur.* Addit Magnus LUTHERUS *in Praefat. ad* SEPTEM CASTR. *Umbrae ſunt noſtri religioſi ad illos collati et vulgus noſtrum plane profanum ad illorum vulgus comparatum*; quanquam ceteroquin Mohammedanismo minus faveret vir eximius, uti ex illius *Treuen Warnung für des Mahomets Glauben*, aliisque operibus conſtat. — Haec

Haec si mecum considero, pudet me pigetque nostratium meorum; miseretque proborum istorum virorum, qui, erroribus occoecati, IESUM nostrum, eximium illud divini amoris pignus, quo splendidius, pretiosiusque nullum unquam miseris mortalibus dare potuit Deus benignissimus, ignorant aut etiam contemnunt. Peccatorem, divina male factorum venia indigentem, se ipsum professus est MOHAMMED. *Sur. XLVII:* 20 et *XLVIII:* 2., (ubi vid. MARACCIUM) profitentur et illi precibus suis quotidianis; verum, cum suis operibus, et ἐθελοθρησκείᾳ, nulla peccatorum obtineatur venia, et gratia divina indigeamus, fatente Corano, quid miseris relictum, nisi vana, incerta saltem, de gratia spes, de qua desperabit, qui sanctissimum et iustissimum veneratur Numen? — De iis iudicabit Deus, spero, benignius. Sed quod ad nos. Nullis, ut ut maximis, laudibus satis praedicamus Patrem Domini nostri IESU CHRISTI, qui miserrimis nobis, Euangelii laetissima luce collustratis, eam in vita et morte consolationem dedit firmissimam, ut, ἐάν τις ἁμάρτῃ, παράκλητον ἔχωμεν πρὸς τὸν πατέρα, Ἰησοῦν Χριστὸν δίκαιον, καὶ αὐτὸς ἱλασμός ἐστι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. οὐ περὶ τῶν ἡμετέρων δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ ὅλε τε κόσμε. I IOAN. *II:* 1, 2.

Sed, ut ad propositum revertamur, hi praestantissimi viri non ob libidinem (quam sedulo fugiunt) Christianam religionem aversantur. Sunt tamen aliae causae, quae hic addendae restent, quibus a via abducuntur.

Primam dicimus *Ambitionem.* Scilicet eadem, qua ceteri, Corani reverentia occoecati, hoc pro illius divina origine argumentum putant invictissimum, quod maxima orbis terrarum pars (nec inficiamur) in istius verba iuraverit, et longe lateque Mohammedano-

rum religio disseminata altas radices egerit. Hoc vero quis miratur? si Arabas noverit, ab idololatria crassissima, haud difficili negotio, ad unum ABRAHAE et ISMAËLIS, patrum suorum, quorum reverentia et tunc tenebantur, Deum perductos: si Orientalium Christianorum errores, haereses, schismata, pravissimos mores, cognoverit, quorum hi Euangelicae disciplinae severitatem exosi, et liberrimae vitae cupidi, sponte sua Islamismum amplexi fuere; illi autem durissimi Saracenorum iugi pertaesi, prae mortis cruciatuumque formidine, CHRISTUM desperantes ore abiuraverunt: si arma consideret, bellorumque saevitias, quibus fides Mohammetica propagata fuit: si denique ipsius religionis indolem spectaverit, carni indulgentem, hac una, si velis, confessione absolutam:

لا اله الا الله محمد رسول الله

NON EST DEUS, NISI DEUS: MOHAMMED LEGATUS DEI, ceterum lotionibus, ieiuniis, eleëmosynis, peregrinationibus cuncta flagitia expiantem, aut saltem ex Gehenna per Prophetae sui interceſſionem cunctos tandem liberantem, qui Moslemi fuerunt, *etsi in corde non habuerint fidem, nisi quantum pondus unius atomi*, uti scribit AL GAZEL: Ista, inquam, qui considerat, facile perpendit, quam liberrime multi, inprimis Orientales, religionem tam benignam, et legem tam suavem et facilem susceperint.

Urgent viri isti, divini nominis reverentes, religionis suae *effecta*, Gentibus salutaria, quibus a mutis idolis et Daemonum nefando cultu, ad Dei Unius, Creatoris coelorum et terrae, adorationem, et ad multarum veritatum (quas ipsimet cum iis profitemur) cognitionem et reverentiam adducti fuerunt. Neque negamus, maximas inde laudes meruisse MOHAMMEDEN, praesertim ante quam ex bono Unitatis Divinae

Prae-

Praecone Enthusiasta, ex Fanatico Impostor, ex Impostore Rex, atque ex Rege Pessimus evaserit. Verum hoc non Corano tribuendum, nisi quantum illius auctor Dei Unius notitiam, quam ipse ex Iudaeorum et Christianorum Sacris libris hauserat, per illum Arabicum librum totum per orientem divulgarit. Optime in hanc rem scripsit, Cl. SEILER, libro saepius laudato *Die Weissagung &c. pag.* 25.

„ Muhamed hat keine neue Religion gelehrt, sondern aus den Lehren der Iuden und Christen seinen Koran zusammengesetzt; er hat Abrahams Glauben als ein Nachkomme Abrahams andern mitzutheilen gesucht. Nur war der Fehler, dasz er verwerfliche mittel zur Ausfürung seines Plans gebrauchte, und Irrthümer unter die Wahrheit mengte. -- -- Aus diesen allem erhellet, dasz Muhameds Eifer wider den Götzendienst nicht aus Philosophie, nicht aus eigenem Nachdenken, noch weniger aus dem Heidenthum selbst entsprungen sey, sondern dasz die Lehre Christi und der Propheten in ihm das Gute wirkte, das er freylich durch seine eigene Fehler sehr vermindert und verdorben, und das er andern sehr mangelhafr mitgetheilt hat. &c."

Accedunt causae duae, quas communes habent Mosemûna, tam probi quam perditi, easque haud prorsus inexcusabiles, *inscitia* et *vindicta*.

Inscitia quidem peccavit ipse MOHAMMED, peccarunt plerique illius assectae; neutri namque eorum, qui Christianam (ut somniabant) religionem obiectionibus suis petiverunt, veritatem Euangelicam, sicut in CHRISTO est, cognoverunt, sed haeresin pro veritate, spurcatam pro virgine religionem, verbo, nubem pro Iunone sumserunt. Patebit hoc, §5, ex ipsis eorum obtrectationibus: nunc vero notasse sufficiat,

illos de aeterna et adoranda Filii generatione admodum *sensualiter* cogitasse, unde *Sura VI:* 96 rogat: *Conditor coelorum et terrae, quomodo habebit filium, cum non habeat uxorem!* Ceterum maxime illos offendit Christianorum istius aevi Idololatria, vel, si mavis, πολυθεία, qui MARIAM, ceu *Deam*, coluisse iis visi sunt, praesertim ex *Deiparae* et *Dei Matris* titulo, de quo accusantur *Sura V:* 84 *et* 125. — et in *Epistola*, quam ad MELETIUM *Monachum* scripsit SAMPSATES ISPACHANES, quamque *Tom. II operum Saracenicorum*, una cum refutatione IO. CONTACUZENI *Imperatoris*, edidit BIBLIANDER. Scilicet in ea incidit tempora MOHAMMEDES, quibus pro Dea habebant, et *Collyri*, sive *oblata*, vel *placenta* ei sacrificata, colebant MARIAM *Collyridiani*, vid. EPIPHAN. *de Haeres. L. III. Haer.* 75, 79, ut et *Mariamites* illam *Deificatam* dixerunt, neque ii tantum, uti nos credere iubet MARACCIUS, sed Mariolatria totam tunc Ecclesiam deformavit, dum templa et arae illi Hierosolymis, Constantinopoli et ubique dedicabantur, imagines eius ad depellendam pestem circumgestabantur, aliaque fiebant eiusmodi, ipso fatente BARONIO, *ad Ann. DXVIII. n.* 39. *XXIX. n.* 19. *XXX. n.* 34. *XXXIV. n.* 58, 64. *XLIV. n.* 9, 10. *XC. n.* 15. Unde vix mirum, si MARIAM Christianorum Deam esse crediderit MOHAMMEDES, qui veritatem non nisi ex Haeresium paludibus noverat, quin et ipse ab iis adeo deceptus, ut *immaculatam Mariae* conceptionem, et *a peccato originali immunitatem*, *Sura III*, docuisse videatur, vide Doct. SALE *notas ibid. p.* 54: Neque ab eo, *Christianos* MARIAM *pro* DEA *coluisse*, errore revocari se passi sunt posterioris aevi Islamitici doctores, tam Occidentalium quam Orientalium Sanctorum, reliquiarum et imaginum reverentiam quotidie ante oculos habentes. Quid? si unquam viderint *Psalterium Ma-*

ri-

riae, aut *Symbolum Iesuiticum* IO. POZAE, cuius initium: *Credo in duos Deos, quorum unus Filii Pater et Mater est metaphorice in generatione aeterna, alter metaphorice Mater et Pater in generatione temporali &c.* vid. ALPHONSUS DE VARGAS in *Relatione Strategematum Iesuitarum. CXVIII. p.* 47. Aut quid? si *Theomarianos* in Gallia cognoverint, qui *Quaternitatem* in Divinitate reperiri, et MARIAM *Complementum Trinitatis* esse docuere. Verum sentit quilibet, obiectiones contra eiusmodi haereses et idololatrias nihil detrimenti afferre *sanae Euangelii doctrinae*, quas ergo, ut solvant, iis relinquimus, qui sua religionis depravatione tantum scandalum infidelibus obiecerint.

Atque haec eadem dicenda sunt de ultima, quam afferemus Mohammedanorum odii in Christianismum causa recentiori, quam *vindictam* nominavimus, ob intempestivum nempe expeditionum (quas *Cruciatas* dixere) zelum et horrores, qui, a PETRI *Eremitae*, id est, URBANI *II P. Rom.* temporibus, A. MXCIV usque ad Seculum XV protracti, Mohammedanos lacessitos, infestatos, durissime habitos, perfidia, idololatria et sceleribus Cruciatorum offensos, maximo odio in Christianos repleverunt; sed cuius culpam ab innocua et pacifica IESU doctrina in eorum criminum auctores, Pontifices praesertim, suam dominandi cupidinem hypocrisi tegentes, retorquemus. Conf. ZONARAS. *Annal. T. III. fol.* 238, MARC. ANTON. DE DOMINIS, *Reip. Eccles. L. VI. C. VIII. n.* 27., GENEBRARDUS, in *Chron. ad An. MXCV*, HOTTINGERUS, *Hist. Eccl. Sec. XI. Sect. II. et Sect. XIII. Sect. II.*, et *Historiae Universalis scriptores cuncti.*

Concludimus ergo; Si Mohammedanorum obtrectationes non nisi ex odio, partium studio, superstitione, libidine, immo, apud optimos, ex ambitione, insciția et vindicta oriantur, maxima iam inde nascitur

su-

ſuſpicio, illas non firmiori fundamento, quam Iudaeorum et Gentilium, ſuperſtructas fore, nec maioris momenti ad eam, quam profitemur, genuinam et puram Euangelii veritatem labefactandam. Quod quam verum ſit, nunc *ipſas eorum obiectiones examinando*, videbimus.

§ 4.

Tria vero obiectionum genera occurrunt, *primo* magis generalia; *ſecundo* in quaedam praecipua Chriſtianorum dogmata; *tertio* in Pſeudo-chriſtiana dogmata, aut ſuperſtitiones. — Verbo de ſingulis.

Primo. Veram, bonam et a Deo auctore inſtitutam fuiſſe religionem Chriſtianam, non negant, poſt Prophetam ſuum, Moſlemûna, ſed et ex utroque Teſtamento pro ſua religione argumenta adducere ſolent; verum duobus potiſſimum contra Chriſtianos argumentis utuntur.

I. „Sicut Lex a Deo tradita Iudaeis non profuit „ poſt natum CHRISTUM, niſi in ipſum quoque CHRI„ STUM crederent, ita et Chriſtianis Euangelium, „ ut ut a Deo datum, non prodeſt poſt adventum „ MOHAMMEDIS, niſi et hunc Legatum Dei agnoſcant „ et Coranum exoſculentur."

II. „Chriſtiani a religione ſua primaria defecerunt, „ et ſacram ſcripturam immutaverunt, tum nova in „ illas dogmata intrudentes, tum teſtimonia de Mo„ hammede venturo inde eiicientes."

Ad utramque reſpondeamus, quantum fieri poteſt, breviter.

I. Ad primam quod adtinet.

α.) *Lex Moſaica*, poſt Meſſiae adventum, haud ſatis fuit Iudaeis per ipſius legis iſtius naturam, quae Uni genti et loco deſtinata non quibusvis terrarum or-

orbis incolis obſervanda iniungi poſſet, quod ex anno Sabbatico, Iubilaeo, Hieroſolymas adſcendendi tribus feſtis maioribus neceſſitate, holocauſtorum, omniumque ſacrificiorum extra unum in monte Sionis Templum defenſione, centenis eiusmodi legibus et ritibus, conſtat, unde et ipſi haud refragantur Iudaei, *novam Legem* a Meſſia dandam fore. v. *Ialkut Schimoni in* IESAIAM. *Fol.* 46. *Col.* 1., *Tephilla Mai. fol.* 8. *Col.* 3, 4., et *fol.* 40. *Col.* 4. Loca dabit EISENMENGER. *T. I. p.* 271. — *Euangelium* vero cuivis nationi, tempori, loco aptiſſimum *omnibus Gentibus* datum fuit, *ad ſeculorum finem* duraturum. MATTH. *XXVIII:* 19, 20. μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη. — ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τε αἰῶνος. (quod non de excidio Hieroſol., ſed de conſummatione huius ſeculi interpretandum eſſe, contra AMELIUM defendit WOLFIUS, *Cur. in h. l.* conf. STACKHOUSE, *Vertheidigung der bibl. Geſchichte. Part. VIII. p.* 36., et *Theologos Gieſſenſes in Diſp. Theol. T. V. Diſp. VII. p.* 163.) Quippe natura ſua nihil mutationum et abrogationum requirit Euangelium, veram Dei cognitionem, cultum rationalem, et Ethicam abſolutiſſimam continens. Neque, quantum Euangelium Legi praeſtet, Mahomedanos fugit. Sed, ubi Euangelio praeſtet Coranus, inveniet nemo, qui ad illa, quae in prioribus monuimus, attendat.

β.) Habuit (nec negant, quibuscum litigamus, adverſarii) pro divina ſua origine Euangelium CHRISTI argumenta, omni exceptione maiora; non mathematica quidem, quam hiſtoriae neque flagitant, neque admittunt; ſed clamat, praeter hiſtoricam demonſtrationem, vaticiniorum rerum futurarum, contingentium, vero haud ſimilium, eventu tamen omnino probatorum, numerus ingens; clamant ſtupenda, aperta, naturae vires longe ſuperantia, Iudaeis ipſis et

Gentibus haud negata, miracula; clamant dogmatum praestantia; mysteriorum, rationi hominum (arctis nempe limitibus circumscriptae) inperviorum quidem, sed nunquam adversorum cum natura, tum utilitas, et cum omnibus revelationis partibus harmonia; praeceptorum iustitia, aequitas, decentia, sanctitas, cuivis homini, loco, tempori, conditioni utilitas; propagandi methodus, nulla doctrina, eloquentia, vi, armis, obstantibus Iudaeorum pertinacia, Gentium idololatria, Philosophorum astutia, sacrificulorum avaritia, tyrannorum persecutione, et, quod praecipuum est, omnium hominum corruptione, libidine, et rerum mundanarum cupidine. — Mitto plura. — Quis autem talia de *Corano* dixerit? ubi quicquid veri et boni, ex veteri et novo testamento desumtum; cetera parachronismis, anachronismis, ἀνισορησίαις, superstitione et nugacissimis fabulis, deridenda; ubi tot stolidissima figmenta, Deo indigna, foedissimas libidines foventia, ea tandem inveniuntur, quae qui sanus admittat, neminem reperias.

γ.) Addas denique, omnia Messiae venturi κριτήρια, Iudaeis olim a Deo in veteri Codice non tantum adumbrata typice, sed et clarissimis vaticiniis ante praedicta fuisse, quod *Sect. I.* demonstravimus; nullum vero omnino de MOHAMMEDIS adventu vaticinium, neque a Prophetis, neque a IESU et Apostolis, unquam editum fuit, uti iam videbimus.

II. Falsa enim cuncta, quae secunda obtrectatione continentur.

α.) *Christianos* enim *a primitiva sua religione aberraviſſe et sacras scripturas immutaviſſe*, communis est Mohammedanorum accusatio. *Errantes* enim eos dici *Sura I: 6*, docent Commentatores, quia CHRISTUM *Deum et mortuum in cruce* profitentur. Aperte id habet *Sura V*: 15 &c. At quaestio est *Historica*, quae

His-

Historicis modo argumentis disceptari potest, quae cum producere nequeant adversarii, cadit accusatio, et a reatu absolvuntur Christiani. Nos enim in superioribus iam saepius observavimus, et magis ex professo in *Dissert. nostra Belgica. p.* 263-275 demonstravimus eadem, quae nos profitemur, a Christianismi incunabulis tradita, credita, defensa ac martyrum sanguine firmata fuisse Euangelii, cum dogmata, tum praecepta, immo et eundem cum Protestanti us cultum probavi ex IUST. M. *Orat. ad Anton. Pium*, *ibid. p.* 217. addantur BULLUS, *Opp. T. I. Sect.* I *et* 4. *Lond.* 1702., PFEIFFER, *Diss. de summa et aeterna Christi Deitate. Lips.* 1709. — eadem de peccato originali docuit G. I. VOSSIUS, *Hist. Pelagianismi*, *Opp. T. VI.*, et SPANHEMIUS, *Hist. Christ. Opp. T. I. fol.* 989. — de Satisfactione CHRISTI sponsoria VELINGIUS et SEGAAR, V. V. Clarissi., in responsionibus suis ad PRIESTLEI libellum, a Societ. Hagana editis, et Pl. Rev. NIEUWLAND, *Lect. Mem. T. IV. C.* 8. § 1. *p.* 275, quibus omnibus addas Rev. IO. NEWTONI, viri vere pii, *Fundationem Eccl. Christianae*, Anglice conscriptam, ac Belgico idiomate donatam, et editam Roterod. MDCCLXXXV. Eadem nempe fuerunt scripta Euangelica et Apostolica priorum et subsequentium seculorum, unde deridendum se praebuit MOHAMMEDES, qui ad sua usque tempora pura remansisse, tum vero per Christianos, novum Prophetam respuentes, depravata illa fuisse, contendit *Sura XCVIII*, ad quam consulendus GELALEDDINUS.

Indicari debuissent tempus, locus et depravatorum nomina; proferendae fuissent causae, cur, si Christianis visum fuisset in fraudem Mohammedanorum scripturas mutilare, non et alia graviora contra ipsos eadem opera infarsissent; docuissent, quomodo a Iudaeis vel Christianis, non conspirantibus, tot sectis

divisis, hoc fieri potuerit, ita ut alii hanc depravationem non detegerent; adducenda forent loca in integrum restituenda; aut unicus saltem proferendus Codex, MOHAMMEDE antiquior, quibus deleta aut immutata continentur, quorum numerus ubivis tum exstare debuerit, necesse est, si quis, haud omni ratione destitutus, tali accusationi fidem tribueret, cui hic uberiorem demonstrationem opponere aeque esset ridiculum. Conferendi tamen ill. GROTIUS, *de Ver. Rel. Christ. L. VI.* § 3., cl. VOETIUS, *Disp. Select. T. I. p.* 47., et WALCHII *Misc. S. L. I. Exerc. VI.* § 9, 10, *p.* 154. De quaestione inter Christianos, *utrum ulli libri Canonici unquam perierint*, quod nonnulli ex nostris cum TURRETTINO, MUSCULO, aliis concedunt, plerisque negantibus; negant ex Pontificiis SALMERO, STAPLETON, PERERIUS, aliis plerisque affirmantibus, omnino legendus cl. Praeceptoris mei DE MOOR, *Commentarius Perpet. T. I. C. II.* § *XVI. pag.* 281-295.

β.) Provocant autem Islamismi patroni ad varia tum Veteris, tum Novi Testamenti *de* MOHAMMEDE *venturo* vaticinia et testimonia, quae a Iudaeis et Christianis partim falsa exegesi alio omnino sensu explicata, partim deleta et expurgata fuisse contendunt. — Videamus. —

Utriusque Codicis volumina, tanquam a Deo revelata, et fidei Iudaicae et Christianae normam, Mohammedanis admissa, et MOSEN, Prophetas, IESUM et Apostolos ut Dei Legatos reverenter iis habitos fuisse semper, ex tot Corani et Interpretum locis evidentissimum est, ut vix opus sit, illud in antecessum demonstrasse. Unicum ergo, eumque elegantissimum, dabimus locum ex *Sura V:* 20. „*Subsequi fecimus post Prophetas* IESUM *Filium* MARIAE, *qui verificavit id, quod antea praedictum fuit in Penta-*

„ teu-

„ *teucho* (per التوراة autem universos V. T. libros intelligunt, uti defertis verbis docet AHMED EBN ABDOLHALIM in *Apolog. Part. II*, quod et Iudaeos feciſſe teſtatur Rabbi BECHAI in *Cad Hakemah*, voce תורה.) „*et dedimus ei* Euangelium, in quo eſt dire„ ctio et lux et confirmatio ac verificatio illius, quod „ praedictum fuerat in Pentateucho: et directio et „ exhortatio timentibus Deum. Iudicent ergo, qui „ profitentur Euangelium iuxta id, quod Deus in eo „ manifeſtavit. Qui vero non iudicaverint iuxta id, „ quod manifeſtavit Deus, hi ſunt praevaricantes." Conf. *Sura II:* 4. *III:* 82. *cett.* Hinc quis miretur, ſi MOHAMMEDES (non adeo ſtipes) multum ſuae auctoritati ſe additurum fore exiſtimaverit, ſi multa de ſuo adventu vaticinatos fuiſſe MOSEN, *Prophetas* et IESUM noſtrum, aut ſibi perſuaderet fanaticus, aut ſui aevi Chriſtianis, imperitis plerisque et in Hermeneutica ſacra haud pollentibus, inſtillaret impoſtor? Hoc quidem ſub initio egit imprudentius, provocans ad Scripturam, nullis adductis locis, quaſi nullum de re dubium exoriri poſſet; ſic *Sura X:* 93. Deum ita ſecum loquentem fingit: *Interroga illos, qui ante te ſacra volumina legerunt*, quod ita interpretatur GELALEDDIN: *Interroga eos, qui legerunt Pentateuchum ante te* (id eſt, Iudaeos et Chriſtianos) *nam hic manet integer apud eos, et docebunt te, vera eſſe, quae tibi revelavimus*, coll. *Sura XXI:* 7. Verum, cum illa ſpe excideret, et Iudaei ac Chriſtiani ſe nihil de illo in libris ſuis ſacris invenire poſſe affirmarent, cauſam mutavit, mutilatos ab ipſis eosdem libros arguens; ſic *Sura V:* 16. *ô Scripturales! iam venit ad vos Legatus noſter* (MOHAMMED) *multa vobis manifeſtans ex iis, quae abſcondebatis:* et pluribus *Sect. II:* 88. *Postquam venit ad eos liber*, (Al-Coran) *qui verificatur a libro ipſorum*, (Pentateucho) *antea enim implorabant auxilium*

Dei adversus eos, qui non crederent (MOHAMMEDI venturo) *Postquam, inquam, venit ad eos Ille, quem ante venturum esse sciebant, noluerunt credere in illum. Verum maledictio Dei super incredulos! o pretium infelix! quo vendiderunt animas suas, ut abnegarent id, quod revelavit Deus, ob invidiam, quod Deus communicaret gratiam suam cui vellet de servis suis.* Ad quem locum notat AL BOCHAR, *Tradit. Alcoran.* § 30. *quod Judaei et Christiani sacras scripturas immutaverint, et variaverint illas, et scripserint novum librum, dicentes: Hic est a Deo; ut lucrarentur per hoc exiguum pretium.* Quo quidem iterum falsus deprehenditur MOHAMMEDES, qui neque codices, quos mentiebatur, immutatos, neque mutationis indicia historica protulit, nihil afferens, nisi, quas sibi fingebat, in S. Literis contradictiones, corruptionis quasi indicia, quo de argumento saepius egimus supra in Gentilium obtrectationibus examinandis. Porro, si quaedam ex V. et N. T. pro causa sua afferunt doctores Moslemi, unde, quaeso, si corrupti fontes, probare queunt, eos in his, quae afferre solent, tantum non immutatos fuisse?

Afferunt autem quam plurima, quorum tres classes recte dixeris: *primo* eorum, quae olim exstitisse, nunc vero sublata esse dicunt; *secundo* eorum, quae, nulla contextus habita ratione, ad vatem suum trahunt; *tertio* eorum, quae aliquam saltem speciem prae se ferunt, imperitis fucum faciundo quodammodo aptiora.

a.) Ad priorem classem pertinent ea, quae nullibi exstant in S. Literis, vaticinia, quae aut ipse finxit MOHAMMED, aut quibus potius imponi sibi passus est a Iudaeo vel Christiano quodam, qui aut gratiam apud ipsum inire, aut Islamismum ludibrio exponere studuit.

Omnium instar *in Apologia sua* ista congessit AHMED EBN

EBN ABDOLHALIM, quibus cunctis chartam implere non vacat; paucis contenti simus. IESAIAE quendam locum citat: *Ego constitui imperium tuum, ô* MOHAMMEDE! *ô sancte Domini! Nomen tuum invenitur a seculo.* Alterum: *Honorabo dilectum meum et filium meum* ACHMETUM (احمد autem idem significat, quod محمد MOHAMMED), ex EZECHIELE addunt: *Et quidem genus hominum apparere faciam super vos, et mittam cum eis Prophetam, et descendere faciam super eos librum, et subiugabo eis cervices vestras et vincent vos cum veritate et humiliabunt vos cum veritate.* Item, praeter alia, et hoc DANIELIS adiungunt: *Ego vero non complacco mihi in eis* (Iudaeis) *et non proderunt eis peccata eorum, nec desinent esse sub indignatione mea, donec mittam* CHRISTUM *meum filium virginis intactae. Et postea sigillabo super eos maledictionem et iram. — Donec mittam Prophetam ex filiis* ISMAELIS, *qui annuntiatus fuit* HAGARI &c. Uti et illud HABACUCI: *Ego corroborabo filios* KEDAR *ope Angelorum et exibunt cum equis albis et armis: et ponam iudicium sub pedibus eorum: et iudicabunt vos iudicio suo et confringent nasum vestrum cum furore et ira, et spoliabunt vos vestimentis vestris et vasis gloriae vestrae: id est, vestibus infidelitatis, et omne beneplacitum meum facient in vobis.* Alia, quae ex incognitis, sui moduli, Prophetis, VACHEB EBN MENBACH, ALYM EBN IBRAHIM, CAÄB ALACHBAR, aliis, producunt AHMED, ABU-NAZAR, ALTHACA, et ceteri eorundem doctores, haud moramur. Neque alia, quae recitavimus, responsione indigent, nisi fictitia esse cuncta, quae in nullis sive Hebraicis, sive Graecis codicibus, aut ulla versione antiqua, reperiuntur. Producat ista quicumque doctor Islamicus, aut nos nihil eiusmodi curare sciat, quae fingere cuique impostori est facillimum.

b.) Secunda classis eorum est, quae reperiuntur qui-

quidem in S. Codice, at mala fide in suam partem trahuntur.

/. Huc pertinet, quod Auctor libri *de Confirmat. Relig.* provocet ad locum notissimum *Deut. XVIII:* 15. *Prophetam e medio tui e fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audietis.* Non vacat uberius hic de loci istius sensu differere, quem plerique Interpretum *de Messia* exponunt, *de serie Prophetarum et Iudicum* recentiorum haud pauci; quam priorem sententiam, cum auctoritate PETRI, *Act. III:* 22, 23. et STEPHANI, *Act. VII:* 37. — tum Iudaeorum *Iccharim L. III. C.* 20. *Neve Scialon. L. IX. C.* 5. — tum Christianorum veterum, IUST. M., CLEM. ALEX., EUSEB., TERTULL., CYPRIAN., — tum Mohammedanorum, AHMED EBN ABDOLHALIM *in Apolog.* — denique ex loci ipsius contextu et indole defendunt TH. HASAEUS *in Thes. Nov. Diss. in V. T. fol.* 438, DEYLING, *Obs. S. Part. II. Obs.* 16., I. ALTING, *Schilo L. V. C. XII, XIII. Opp. T. V. fol.* 128., FRANC. FABRICIUS, *Fides Christ. Patriarch. et Proph. Diss. IV. p.* 157., VRIEMOET *Dicta Class. V. T. T. II. C. IX. p.* 168., WITSIUS, *Oecon. Foed. L. IV. C. I.* § 9-17., DE MOOR, *Comment. T. III. C. XX.* § 2. *p.* 842-849., quibus addas Cl. I. FRISCHMUT *Diss.* cui titulus *Propheta Mosi par*, Ienae MDCCXXXVI, qui et speciali *Exercitio Academico* hunc locum a Mohammedanorum obiectionibus defendit *ibid.* A. MDCLXXXV. Quicquid vero huius rei sit, certissime non spectat ad MOHAMMEDEN, *ex Ismaelitis* oriundum, qui nunquam in sacris literis *Israelitarum fratres*, sed *inimici* et *extranei* nuncupantur, atque adeo nunquam *e medio Israelitarum* processisse dicuntur.

//. Nugas proferunt, non argumenta, qui cum AHMEDO in *Apol.* huc torquent *Psalmum CXLIX. Laudate Dominum laudatione nova*, quod respicere ait auctor

ctor gentem Moſlemicam, quae Deum alta voce celebrat de turribus Meſchitarum, dum Iudaei tubarum clangore, Chriſtiani campanarum pulſu utuntur: quis talia refutet? praeſertim cum *ex verſu* 2 liqueat, non de Iſmaelitis, ſed de Iſraelitis ſermonem inſtitui: *Laetetur Iſrael in eo, qui fecit eum, et filii Sionis exſultent in Rege ſuo!*

///. In voce ludit *idem*, cum *Pſalmo XLV*: 3, *ſpecioſum illum forma prae ceteris hominum filiis*, ad MOHAMMEDEM traxit, facta alluſione ad nomen illius, quod ἐράσμιον notare, ſupra monuimus. Non enim de Meſſia Pſalmum interpretati ſunt Rabbinorum nonnulli ſoli, quod Chriſtianis extra dubium poſuit PAULUS, *Hebr. III*, ubi commentatores conſulas; ſed ſuimet oblitus eſt noſter AHMED, qui in eadem *Apologia*, *p.* 60., hinc argumentum petiit, quo CHRISTI divinitatem oppugnaret. Ita enim ille: *Inter ea, quae magis confirmant dictum noſtrum de Eſſe* CHRISTI *creato, illud eſt, quod hoc nomen, Meſſias, inpoſitum fuit illi eo quod ad Prophetiam et ad felicitatem unctus fuerit a Deo benedicto et excelſo. Et quidem dictum* DAVIDIS *in* Pſalmis *hoc idem teſtatur; ait enim: Propterea unxit te Deus, Deus ille tuus, plus quam unxerit conſortes tuos. Innuit autem* DAVID *his verbis ſignificationem vocis* Meſſias, *quia ſcilicet* unctus *fuit a Deo et electus ab eo ſupra omnes* conſortes *ſuos.* — Plura mitto eiusmodi, ubi ex uno alterove dicto, vel unico ſaepe verbo, nulla contextus habita ratione, Prophetam ſuum reſpici, ſomniant. Notandum vero, quod, cum eo quoque trahat AHMED IES. *XLII*, verba commatis ſecundi לא יצעק, vertit لا يضحك *non ridebit*, pro *non clamabit*, quaſi eſſet לא יצחק, eo ipſo indicans, non ſuum, ut vult, indicari MOHAMMEDEN, qui ob ſuam propenſionem in frequentem riſum, ab

auctore libri *de Signo directionis C. III. Sect.* 8. الرصوك *Risor* appellatur, toto quidem coelo distans ab Orientalium Christianorum sancto illo EPHREM, cui *donum lacrymarum* tribuunt veteres.

////. Addendus tamen est nobilissimus locus, IES. *IX:* 5. *Parvulus nobis datus est &c.* ubi ridicule noster *Ahmed* pro חַמִּשְׂרָה, *imperium*, legit الشعاع, *naevus niger erit super humeros eius*, addens, naevum quendam pilosum, tanquam Prophetiae characterem, inter humeros MOHAMMEDIS fuisse. Foedissimam haec fabulam redolent; *Principatus*, ut gravissimum onus humeris impositum, hic intelligitur, nisi mavis ad signa maiestatis spectare; Puerum πορφυρογέννητον dixit GROTIUS, ab ipsis cunis regiam purpuram ferentem; quod ita quidem probavit C. VITRINGA, ut ipsum illud regium pallium (IONAE *III:* 6. אַדֶּרֶת dictum) respiciat, quod Iudaei מְעִיל alias dixere, et quod superiori tunicae superiniiciebatur. Ad *claves* humeris gestas in signum dignitatis ab iis, qui gazae regiae et palatio praeerant (vid. IES. *XXII:* 22.) alludi, putat DEYLING, *Obs. S. Part. V. p.* 813, atque hic innui τὸν ἐπὶ οἶκον θεῦ, *Hebr. III:* 6, τὸν ἔχοντα τὴν κλεῖδα τῦ Δαβίδ. *Apoc. III:* 7. — Certe cuncta, quae h. l. enumerantur, in IESUM quadrant θεάνθρωπον, quem Deus evexit Pater ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς, καὶ ἐξσίας, καὶ δυνάμεως, καὶ κυριότητος, καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένυ. *Eph. I:* 31. Deos Deasque *Clavigeros* etiam Gentibus notos fuisse, docet cl. P. WESSELING, *Observ. Var. L. I. C.* 3., et C. G. SCHWARZIUS, *Diss. de Diis Clavigeris*, Altorf. MDCCXXVIII. Typum eiusmodi clavis, ex humeris pendentis, dedit PIGNORIUS *de Servis*, *p.* 113. At quomodo שַׂר *Deus* et *Princeps pacis* vocabitur MOHAMMED, qui, *merus homo*, se ipse *Apostolum gladii* vocavit? unde recte qui-

quidem *de Messia* locum interpretantur Targumista, Gemarici in *Hieros. Berachoth*, et auctor *Midrasch Mischle*, quam exegesin SCHOETGENIUS *de Messia*, MARCK. *Exerc. Text. XVI*, VRIEMOET *Dicta Class. V. T.* defendunt, conf. HOTTINGER. *Hist. Eccl. Part. I. C. VII. Sect. I. p.* 356.

IIII. Neque feliciori successu abutuntur DAN. *II:* 45, cuius verba, mire depravata, ut in Prophetam Islamismi torqueat AHMED, ita vertit: *Porro Lapis, quem vidisti, qui percussit et comminuit statuam illam magnam, erit Propheta, quem suscitabit Deus Coeli et Terrae cum lege forti: et deiiciet omnes Reges Terrae, et populos eorum, ita ut Terra repleatur illo et gente illius, et manebit imperium Prophetae illius usque ad finem mundi.* Frustra vero disputamus cum iis, qui adeo suam opinionem in textum intrudunt, atque ea cum insolentia eundem immutare ausi sunt sine ulla, vel codicum, vel veterum interpretum auctoritate.

Non vacat in statuae istius modum et significationem multis inquirere, neque in hoc, utrum regnum illud quartum *Romanum* sit, an *Seleucidarum et Lagidarum.* — Sed insunt textui criteria, quae, quale sit novum *istius Lapidis* regnum, extra omne dubium ponunt. Tale enim regnum pingitur, quod non, aliorum instar, ab hominibus, aut per homines, sed ab ipso *Coelipotente Deo*, cuius in Reges ipsos imperium, suscitandum foret; quo omnia regna mundana, illa praecipue, quae in Statuae variis partibus repraesentabantur, imminuerentur non solum, sed ruerent prorsus; ipsum vero illud nunquam rueret.

Rex vero pingitur, ut *Lapis* firmissimus et solidissimus, *abscissus* quidem morte violenta (ut sic respondeat *ramusculo decerpto de summitate Cedri.* EZECH. *XVII:* 22.) verum *in montem, omnem terram impletu-*

rum per suam *ex morte exaltationem* surrecturus. Denique *Rex fortissimus* αὐτοκράτωρ, qui, quicquid efficeret, vi sua, nullis humanis auxiliis adiutus, efficeret. Hic enim sensus est verborum, *Comm.* 34 *et* 45, *sine manibus*, quod quidem communiter ita sumunt interpretes, quasi *lapis ille abscinderetur sine manibus*, scilicet vi ex fundo interiori erumpente, vel per illapsum coelitus impetum; at, quod melius (meo quidem iudicio) ita legitur, *lapis abscissus, qui non in manibus erat*, a quibus scilicet teneretur, in statuam impelleretur et dirigeretur, sed qui motu proprio et vi insita, nullius adiutus ope, mirandum in modum statuam confringeret; unde rectissime loci sensum dixerit post TREMELLIUM et IUNIUM, Magnus noster COCCEIUS: *non fuisse illum adiutum per homines; nec hominum auxilio, ope, destinatione, impulsu afflixisse regna mundi, ut suo regno locum facerent.*

Haec si consideraveris, videas, num in MOHAMMEDEN quadrent, qui vi et armis, multorum ope adiutus, imperium suum fundavit et diffudit, neque et sic domitis quibusvis orbis terrarum regibus: uti et imperium Arabicum, seu Ismaeliticum non adeo permansit aeternum et inviolatum, quin ad Turcas, sive Scythas transierit dudum.

Messias ergo et regnum coelorum innuitur, quod Iudaeorum etiam magistri uno ore confitentur omnes: unde miramur non tam OPTATUM, qui hic *de Ecclesia in Romano Imperio* cogitavit, vix refutatione dignum, quam GROTIUM hic ad *Lapidem* locutum de *Exercitu Populi, qui suae esset spontis, nullique Regi pareret, cuius populi origo a monte Palatino*, cui facile respondebitur ex ante dictis: neque responsione indiget vir illustriss., quippe qui, longe meliora edoctus nobiscum facit *De Ver. Rel. Christ. L. V*, ubi *cum hac nostra temporis* (inquit) *congruit altera de Impe-*

perio in omnes nationes dando divinitus, postquam SELEUCI *et* LAGI *posteritas regnare desiisset, quarum posterior in* CLEOPATRA *desiit, non multo antequam Iesus nasceretur:* ad quem locum ipse hanc notam adiecit vir Magnus: LAPIDEM *illum, cuius percussu Imago illa, Imperiorum figuras habens, comminuenda esset,* Messiam *esse tradidit* R. LEVI BEN GERSON, *et* REGNUM ILLUD CAETERA REGNA ABSUMPTURUM *esse* regnum Messiae, *docent* R. SALOMO, R. ABEN EZRA *et* R. SAADIA.

Quin adeo clara et perspicua huic loco insunt Messiae criteria, ut unus iste sit ex praecipuis, quibus opinionem suam superaedificent Chiliasmi patroni; neque ii tantum, qui e Christianorum scholis prodierunt, sed ipsi Mohammedani, quorum et haec opinio: „CHRISTUM ante diem iudicii in hanc terram „ rediturum, Regem et Monarcham totius orbis fu„ turum, qui aureum Seculum reducat," quam opinionem ex *Psalmo II.* et LUC. *I.* defendit *Thesauri Arabici* auctor MAHMED EBN IACOB Mosslemorum doctor celeberrimus. Conf. MARACCIUS *Prodrom. Part. I. p.* 25.

IIIII. Unum adiiciam ex N. T. locum, scilicet IOAN. *XIV*: 30. *Venit Princeps huius mundi et in me non habet quicquam*, quorum ultima, καὶ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδὲν, ita depravavit *Apologista* AHMED: *Non erit in me quicquam (divinitatis)* ut sensus sit: „Veniet MO„ HAMMEDES, qui Princeps erit totius mundi, et in „ me non manebit quicquam divinitatis, quam mihi „ tribuent homines, meliora ab ipso edocendi."

Verum enimvero, quantum a vero abludat ista exegesis, ex constanti lectione Graeca constat, etiam si perpaucissimorum codd. auctoritate permoti illud, STEPHANI, εὑρήσει, vel Bezae εὑρεῖν, substituamus. Sensus enim huc redibit: „Princeps mundi, qui me „ hostiliter aggreditur, nullam in me culpam inve-

„ niet," vel „nihil proficiet ad regnum meum dis-„ solvendum." Ceterum ex *C. XII:* 31: νῦν ὁ ἄρχων τ῀ κόσμ῀ τ῀τ῀ ἐκβληθήσεται ἔξω, sponte patet, talem innui Archontem, qui CHRISTO Domino adversarius rebellionis suae poenas cito luet. Quod in se minime trahet MOHAMMEDES. At quis ille ἄρχων τ῀ κόσμ῀? *Diabolum* cogitant plerique, secuti CYRILLUM *Alex.* in *Catena ad* IO. *XVI. fol.* 393. Ἄρχοντα τ῀ αἰῶνος τ῀τ῀ κέκληκεν, ἐχ ὡς ὄντα τὸ καθ' ἀλήθειαν, ἀλλ' ὡς ἐξ ἁπάτης καὶ πλεονεξίας τὴν ἐπὶ τ῀τῳ δόξαν κερδαίνοντα, διὰ τὴν μοχθηροτάτην ταύτην προαίρεσιν τῶν αὐτὸν δεχομένων. *Principem huius seculi vocavit Deus Diabolum, non quod vere sit, sed quia per deceptionem atque rapinam hanc gloriam acquisivit, propter turpem eorum vitam, qui eum receperunt:* eodem modo rem accepit THEOPHYLACT. *in* IO. *XV. fol.* 776. et CHRYSOST. *Homil. LXXIV. in* IO. *XIV:* 30. Ita nempe *Princeps in aëre potens* audit Diabolus *Eph. II:* 2., coll. *C. VI:* 12. et 2 *Cor. IV:* 4. Aliam tamen sequitur exegesin, scopo suo δελεύων, BALTH. BEKKER, *Mundi Fascinati L. II. C. XXXI.* § 8, locumque *de Principibus ac Sacerdotibus Iudaeorum* explicans, quam interpretationem et alii, in ceteris BEKKERO haud ὁμόψηφοι sequuntur. Prodiit pro hac sententia *Budissae* A. huius seculi XVIII libellus, ψευδωνύμως CEPHAE sub nomine editus, cuius auctorem virum Consularem in Epistola praefixa dixit D. C. SCHULER, cui titulus *Schrifftmäszige Ausführung, daſz unter dem wort:* die Welt *und* der Fürst der Welt *resp.* das Judenthum *nebſt seiner* Synagoge, *in heiliger Schrifft öffters, und sonderlich in dem* loco IO. *XII:* 31, *zu verſtehen sey.* Cui A. MDCCXX. *Disputationem Exegetico-Theologicam* opposuit Cl. HERM. CHRISTOPH. ENGELCKE, uxoris meae dilectissimae abavi ex fratre nepos, Rostochiensium Professor clarissimus, acriori

quam

quam res exigebat, ſtilo, prae nimio, quo in Reformatos (nam Calvinismo favere ſuſpicabatur auctorem) ferri ſolebat, fervore, vir ceteroquin de veritate Euangelica meritiſſimus. Quicquid horum ſit, nam quibus hic palmam deferam, vix ſcio, forte (ſi coniicere liceat) noſtro in loco per ἄρχοντα in ſingulari CAIAPHAM intellecturus, qui iam tunc temporis de morte IESU inferendo et ſecum ceperat, et ſuis in *conciliabulo* dederat *conſilium* (per συνέδριον enim, -- non τὸ συνέδριον -- IO. *XI:* 27. ſynedrium illud magnum, *rite et legitime convocatum*, ut intelligam, vix inducor) quicquid horum ſit, inquam, ridicule et contra loquentis ſcopum huc ad MOHAMMEDEN trahi, et ultima commatis pe ſima ſi le depravari, ex iis, quae diximus, quivis videt, qui non plane ſtipes.

c.) *Tertia* vaticiniorum, quae adducunt, claſſis eorum eſt, quae aliquam veri ſpeciem prae ſe ferre (ſaltem prae reliquis) videntur: quorum duo praecipua tantum, alterum ex veteri, alterum ex novo Teſtamento tractabimus.

/. Ex veteri Inſtrumento nominant *Deuter. XXXIII:* 2. *Dominus de* SINAI *venit; et de* SEIR *ortus eſt vobis; apparuit vero glorioſus de monte* PARAN. quibus adiungunt HABAC. *III:* 3, *veniet Deus ab Auſtro, Sanctus ille de monte* PARAN. — Vix dici poteſt, quantum de hoc vaticinio glorientur Moſlemi, quod ab ABDALHALEMI filio ACHMED, ab auctore libri *de Confirm. Relig.* a SCHIAHAR, THALEB, aliisque doctoribus centies repetitur. Ita enim interpretantur: „Tria hic diſtin„guuntur Divinae Revelationis genera. *Primo*, Do„minus *de monte Sinai* venit, cum legem Sinaiticam „dedit MOSI et Iudaeis. Dein *ortus eſt de Seïr*, cum „CHRISTUM ſuum una cum Euangelio miſit; hic e„nim fuit ex *Seïr*, terra Galilaeo, ex oppido Na„zareth. Denique *glorioſus fuit de monte Paran*, cum

„Al

„ Al Coranum tradidit MOHAMMEDI; *Paran* enim eſt „ *mons Meccae*, vel *ipſa Mecca Urbs*." Hanc communem exegeſin etiam continet Anonymi cuiuſdam Perſae epiſtola, quam cl. HACKSPANN edidit poſt ipſius Tractatum ad R. LIPMANNI *Nizzachon. p.* 307. et laudatus ſupra FRISCHMUT, *Exerc. Acad. p.* 6.

Specioſa eſt, primo obtutu, exegeſis: verum examinemus. Concedimus, quod de *Sinai* dictum fuit. Sed quid mons *Seïr* ad CHRISTUM et Chriſtianos? dicunt, eſſe montem iuxta Nazaretham; alii nominant Bethlehem, et SCHIAHAR ipſas Hieroſolymas. At unde probant? — Eſt, inquiunt, in iſto tractu mons, qui *Seïr* appellatur: ſit ita; ſed an ludere licet in nomine ambiguo? MOSES cecinit de *Seïr*, monte Idumeae in regione Arabiae, qui nihil ad CHRISTUM. Porro, unde montem *Paran* et urbem *Meccam* eandem eſſe, vero dabunt ſimile? pluſquam XXX dierum intervallo a ſe invicem diſtant. Habitavit quidem ISMAEL in *deſerto Paran. Geneſ. XXI*, ſed quid illud ad montem iſtius nominis cum *Mecca* confundendum? — Ruit ergo omne exegeſeos Moſlemicae fundamentum.

Quod ad locum ipſum. Dei Legiſlatoris adventum cecinit Poëta, paulatim illuceſcentis. Terminus erat *Sinai*, quo Deus בא *venit*; modus deſcribitur: „ *oriebatur* ex montibus *Seïr: crevit* gloria cum per„ venit ad *Pharan* (*montem umbroſum et contiguum* „ *monti Sinai* ſcribit ADRICHOM *in Theatro fol.* 123) „ et ſtetit, cum perventum eſſet ad *Sinai*." Haec de Poëſeos imagine notaſſe ſufficit, quam montium illorum vicinitas offerebat ſponte, uti ex HAGGAÖN notavit ABEN ESRA *in l.* Aut, ſi mavis, reſpicit Poeta ad tria praecipua loca, quibus gloriam ſuam Iſraeli manifeſtavit Deus, primum ad Sinaiticum montem, dein ad Seïr et Paran uſque ad terram Moabiticam,

in-

inter *Myriadas Angelorum*, Schechinam comitantium, vel *sacras Israelitarum legiones*, cum *a dextra ei esset Lex ignea illis*, id est, nubes illa ignea, quae proficiscentibus dux erat, cuius indicio castra movebantur, quod CLERICO placuit, qui, si ו abesset voci כימינו, legeret *e meridie*, nempe *Moabiticae regionis*, cui coniecturae tamen illud למו, *illis*, obstaret: aut *dextra sua legem sui populi tenuit severam et perspicuam Legislator*. LXX voces אש דת, ut unum vocabulum, אשדת legisse videntur BONFRERIO; vertunt enim ἐκ δεξιῶν αὐτῦ ἄγγελοι μετ' αὐτῦ. Optime de h. l. commentatur PISCATOR noster: „Commemorat (*inquit*) MOSES praecipua loca, in quibus Dominus „ sese populo Israelitico in terram Canaän proficiscenti patefecit, et hanc patefactionem comparat „ splendori solis, cuius facit tres gradus. Primo sol „ appropinquat et splendorem exiguum emittit, antequam oriatur, deinde oritur, postremo prorsus ad„ scendit et pleno splendore hemisphaerium replet. „ Ita, quum Deus sese in itinere illo patefacere vel„ let populo Israelitico per verbum suum, primo ve„ nit a monte *Sinai*, ubi illis dedit legem. Deinde „ amplius se patefecit ad montana *Sebiris*, ubi per „ MOSEN curavit erigi serpentem aeneum, per cuius „ intuitum sanati fuerant qui lethaliter fuerant mor„ si a serpentibus. Postremo amplius se patefecit *Pa„ rane*, ubi legem per MOSEN repetivit et declara„ vit, eosque ad observantiam illius studiose exhor„ tatus est. &c. — De loco HABACUCI non est, quod addam, nisi ad hunc MOSIS locum certissime respexisse prophetam. Memorat autem ille *Theman*, pro quo Mohammedani legunt *ab Austro*, quod et Hieronymus habet, observans, *quod ex Graecis solus* THEODOTIO, *quid significet* Theman, *interpretatus sit*, di-

cens: Deus ab Austro venit &c. ita et JONATHAN דרומא, neque dubitamus, quin vox, derivata a ימין *dextra*, ex origine notet *austrum*, seu *meridiem*, et respiciat Iudaeae meridionalem Idumaeam, orientalem praecipue partem, a posteris THEMANIS, nepotis ESAVI, habitatam. *Gen. XXXVI:* 24: unde recte quidem legunt Moslemici doctores.

Non quidem hic inquirendum duco, num posteriori loco de rebus Messiaticis vaticinetur HABACUCUS, quod praestantissimis quibusdam interpretibus post Cl. COCCEIUM visum fuit; sufficit notasse, vatem ad illa Mosis respexisse, hunc vero de legislatione Sinaitica et divinae gloriae populo isti in desertis manifestatione cecinisse, quibus tollitur, quicquid pro suae religionis auctore ex isto loco expiscari studeant Mohammedani.

II. Alter, quem ex *Novo Test.* pro causa sua afferuntur, locus est IOAN. *XIV:* 16. Ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα, καὶ ἄλλον ΠΑΡΑΚΛΗΤΟΝ δώσει ὑμῖν. Nempe pro παράκλητος legunt illi περικλυτὸς, *illustris*, quod cum significatu non multum differat ab Arabico احمد *Ahmed*, hunc locum *suum respicere Prophetam* dicunt; unde *Apologista:* „المعز *idem est* (inquit) *ac* laudatus, „ *vel* laudator, *vel* laus, *vel* glorioſum faciens. „ *Haec autem omnia* MOHAMMEDO *manifeste con-* „ *veniunt. Ipse enim et gens ipsius* Deum laudant *in* „ *quolibet statu. Et praeterea nomen eius* laudatus „ *seu* laudatissimus *exponitur.*" — Conf. SALE *in Not. ad Suram LXI. p.* 618. et in *Praelim. Disc. Sect. IV. p.* 95.

Spuria autem lectione, quae nullo fundamento fulcitur, cum tota haec exegesis nitatur, nulla amplius refutatione indiget; uti iam observavit MORUS *in Notis, p.* 85. Neque ex contextu, aliisque Domini IESU pro-

promissis, ullum remanet dubium, quin hic παράκλητος sit SPIRITUS SANCTUS, post abitum Domini, illius vices impleturus. De vocis autem significatione differunt interpretes. Vulgo vertitur *consolator*, pro quo Graecos potius dixisse παρακλήτορα, notat BOISIUS *in Collatione. p.* 321. *Advocatum*, *intercessorem* alii interpretantur, cuius significatus vestigia in Glossario veteri, et apud exteros exstare, docent PEARSON. *Symb. Apost. p.* 579, SUICERUS *in voce T. II. fol.* 584. — *Doctoris* tamen notionem praeferendam esse, cum ex voce παράκλησις, *doctrina*, 1 *Thess. II:* 3, liquet, tum pluribus defendunt MEDE, *Fragm. S.* in *Opusculis Philol. T. X. p.* 249., ERNESTI, *Opusc. Philol. p.* 214., et KREBSIUS *ad Lexic.* SCHOETGENII *p.* 477. Hoc interim notandum, quod τὸν ἄλλον hic ad CHRISTUM retulerit, ac SPIRITUM S. *comm. seq.* ab eo distinxerit GUSSETUS *in Confut.* τῦ *Chissuk Emuna. p.* 71, quem pauci secuti. Urgent vero Mohammedani.

1.) Quod toties in Corano et sermonibus suis publicis affirmaverit MOHAMMEDES, se in Pentateucho et Euangelio praedictum fuisse; quod nisi verum fuisset, certe non ausus fuisset vir astutissimus, aut saltem *falsi* a sui temporis Iudaeis et Christianis convictus fuisset.

Neque hoc sine ratione obiici posse videtur, sed considerandum. α.) Quo tempore, quibusque cum hominibus vixerit ille, ubi nempe quarumvis disciplinarum, sacrarum literarum praesertim, ignorantia ubivis dominabatur, et Christiani haeresibus, schismatibus, bellis intestinis dilacerabantur, quo facillimum erat astuto cuidam impostori iis imponere, qui, verumne esset, an falsum, quod audiebant, vix dignoscere possent. β.) Neque hoc omne fraudi MOHAMMEDIS tribuimus. *Fanaticus* erat, cui ab apostatis

ſuis Iudaeis et Chriſtianis imponebatur, qui, ut gratiam apud ipſum inirent, multa vaticinia, aut plane ſingebant, aut in rem ſuam torquebant, quibus facile fidem habuit pleniſſimus ſui Enthuſiaſta. γ.) Evenit ipſo facto, quod eveniſſe poſtulant, nempe ut *falſi* accuſatus fuerit MOHAMMED, quamdiu prae timore licuit. Confitentur hoc ipſi commentatores in *Suram IV:* 165, qui ex EBN-ABBAS, doctore celebratiſſimo, narrant: „Quum Principes Meccanorum au„diiſſent, adeo ſeſe in Oraculis Pentateuchi iactan„tem, adibant illum, dicentes, ſe Iudaeos de illo „interrogaviſſe et de vaticiniis, quae de ſe in ſacris „eorum libris contineri aſſeveraſſet; hos vero reſpon„diſſe: *ſe neſcire, qualis eſſet.* Quo audito plurimos „Iudaeorum arceſſi iuſſit Propheta, inquiens: *Cer„tiſſime ſcio, vos non ignorare, me eſſe Legatum Dei.* „Ad quod uno ore reſponderunt: *Nihil eiusmodi no„vimus.*" δ.) Vel ſi hoc teſtimonio deſtituamur, res ipſa ante dictis evicta manet, neque eiusmodi rationes in contrarium *verum* reddunt, quod re ipſa *falſum* eſſe, demonſtravimus.

2.) Atqui (inſtant) lex Iſlamitica adeo rerum in terrarum orbe faciem mutavit, ut de tali portento *ſiluiſſe* prophetas, qui res multo minoris momenti praedixerunt, haud vero ſimile ſit: Cum autem nos ipſi nihil ex iis in vituperium MOHAMMEDIS afferamus, ſequitur *in laudem eius* oracula exſtitiſſe olim, vel exſtare etiamnum. —

Verum α.) Non noſtrum eſt divinam aeſtimare ſapientiam, cui non ſemper *magnum*, quod nos homunciones miramur, neque *exiguum*, quod nos deſpicimus. β.) Sed ratio praeterea in promtu eſt. Oracula enim dederunt Hebraeorum vates, vel de myſterio et oeconomia ſalutis et regno Meſſiatico; vel de reipublicae Iudaicae fatis; vel denique de fatis il-

illarum gentium, quibuscum Iudaeis aut res erat, aut foret in posterum; sed prophetae divini non erant augures vel praestigiatores, qui historiam universalem praedicerent. Hinc multa de Aegypto, Babele, Medis, Persis, Seleucidis, Romanis etiam, sed nihil de Sinensibus, Iaponibus, Tartaris, aliisque maioribus gentibus, quae nihil ad Iudaeos. γ.) Quod ad MOHAMMEDIS doctrinam; quae si mendax, exigunt, ut prophetae monuissent homines, caverent sibi ab illa; sufficit, quod Deus populum suum de omni falsa doctrina fugienda monuerit, quod et CHRISTUS suos monuerit de multis *Pseudo-prophetis*, quos magno numero venturos praedixit, *Matth. XXV et alibi.* δ.) Magis certe mirum, si verus MOHAMMED propheta fuit, cur non suos de magno illo monuerit schismate, quod statim post suum obitum suos divisit, de OMARIS vel ALI successione contendentes, cum CHRISTUS suis, de primatu altercantibus, longe alias modestiae et caritatis leges praescripserit. ε.) Quare non insistam opinioni interpretum, qui vere nonnulla de MOHAMMEDE in sacris reperiri vaticinia fingunt: quo illud de ISMAËLE referunt, *Gen. XVI:* 12. *erit* פֶּרֶא אָדָם, *homo onager*, de quibus *asinis feris* consulas FÜLLERUM, *Miscell. Sacr. L. II. C. XII. p.* 153. Addunt *Hagarenos* et *Kedarenos* in Psalmis; *parvum cornu* in visione DANIELIS; *Gogi* et *Magogi* bella; *mortem pallido equo insidentem*, *Apocal. VI*, aliaque, de quibus vid. DANHAWERUM, *Dissert. T. II. p.* 1639 *seqq.* Sed ista in medio relinquamus. Hoc tamen ex ipso GELALEDDIN, aliisque non praetermittendum, quod MOHAMMED, se iam diu prophetam professus, tria Meccanorum Idola *Allat*, *Al-Uzza* et *Manath* magno in pretio habuerit. Cum enim Corani *Suram LIII* Coraisinis recitabat, post verba: *Quid vobis videtur de Allata*, *Aloza et Manata?* addidit: *Hae sunt puellae*

pulchrae, excelsae, quarum intercessionem speramus. Excusant illum interpretes AL BEIDAWI, IALALO'DDIN, (sive GELALEDDINUS) YAHYA et alii, *quod Satanas ingesserit hoc in os illius, absque quod ipse sciret, quae diceret;* Deum vero illum (abrogatis iis ex Corano) ita consolatum fuisse *Sur. XXII:* 50. *Nullus fuit Prophetа, cui, dum recitaret divinas revelationes, Diabolus non immitteret aliquid falsi in lectionem eius, sed Deus abrogabit id, quod immiserit Diabolus et Deus deinde stabiliet verba sua.* Vid. *notas Doct.* SALE ad *Sur. XXII. p.* 391, 392., ex quo etiam discas, quaenam illa fuerint idola, *Praelim. Disc. Sect. I. p.* 22. Excusationis futilitas manifesta est; verum prophetam, tam graviter peccantem et Diabolo relictum, non praedixerunt veri Dei prophetae, neque suis CHRISTUS promisit, sed πνεῦμα τῆς ἀληθείας. IO. *XIV:* 26. *XV:* 26. ὁ ὁδηγήσει εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. IO. *XVI:* 13.

§ 5.

Progredimur ad alterum obtrectationum genus, quo ipsa Christianae religionis capita, sive dogmata oppugnant: in quibus examinandis erimus breviores, quia haec proprie pertinent ad *Theologiam Didactico-Elenchticam*, ac plurimam partem cum iis conveniunt, quae ab antiquissimis, recentioribus etiam, haereticis prolata, centies refutata fuere: Pauca ergo adiicere satis habentes, praecipuas tantum obiectiones enumerabimus. Tria autem praecipua sunt, in quae tela sua vibrare didicerunt Islamismi doctores, dogmata. Nempe *de S. S. Trinitate; de vera Christi Deitate;* et *de* IESU, *per Iudaeos vere in crucem sublato ac vere mortuo.* Tres ergo iterum sese offerunt obiectionum classes.

I. Prior *S. S. Trinitatem* ſpectat. In antecesſum obſervemus,

S. *Veram* Chriſtianorum de hoc adorando myſterio ſententiam ipſi MOHAMMEDI, et pleriſque illius defenſoribus incognitam fuiſſe, quippe qui fere non niſi cum Haereticis, quibus tunc temporis Arabia et totus pene oriens affluebat, habuit commercium. Hinc aut inſcii, aut etiam mala fide, talem Trinitatis notionem oppugnant, quam nullus verus Chriſtianus ſibi finxit, unde, quam parum noceant, quae afferunt, quiſque ſentiet. Verbi cauſa. *Tritheiſmi* accuſat Chriſtianos, quos uno ore *unum Deum* profiteri, ſciunt omnes. Sic *Sura IV.* 170. *Ne loquantur de Deo, niſi veritatem: neque dicant* Tres, *Deus enim* Unus eſt; neque ſic etiam hac obtrectatione noſtrum de Trinitate dogma oppugnavit, uti cum Arianis et Socinianis nonnulli recentiores Corani defenſores, ſed tres ſibi finxit Chriſtianorum Deos, quos *Collyridiani* ita vocabant, ut in ſuperioribus §3 notavimus. Docet illud GELALEDDIN *ad Sur. IV.* لا تقولوا الاله ثلثة الله وعيسى ولمسة *Ne dicatis tres eſſe Deos: nempe Deum, Ieſum et Matrem eius.* Eadem habet IAHIA et MAHMED EBN ABDALLAH ad *Sur. V.* Quae cum repetiiſſet AL BEIDAWI, addit tamen: *Conſtat ipſos dicere, Deum eſſe tres perſonas, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Per Patrem autem intelligunt Eſſentiam, per Filium Scientiam, et per Spiritum Sanctum Vitam.* Quae ex *Iacobitarum* formula loquendi deſumta videntur. Licet enim aliquando nonnulli, qui myſterium explicare voluerunt, ſimili quodam loquendi modo uſi ſint: conf., quae de SABELLIO, et *Neo-Arianis*, BURNETO, WALLISIO, WHISTONO, CLARKIO, WATSIO, DODDRIDGIO notavi in *Diſſert. Belg. p.* 83-90. et *du Syſteme de Mr.* MATY in *Concionibus et Diſſertationi-*

onibus vernaculis pro causa religionis, A. MDCCXCVII. *T. I. Part. I. p.* 51-54. Scholasticorum quorundam in eadem explicatione temeritatem recte castigavit ERASMUS in *Praefatione* ad HILARIUM: nemo tamen Filium et Spiritum Sanctum ab essentia divina separavit orthodoxus, uti et expressis verbis illud *Nestorianorum dogma* vocavit AHMED EBN ABDALHALIM, *Apolog. Part. II.*

3. Obiectiones illorum pleraſque esse easdem, quae, ubicunque apud Iudaeos et Antitrinitarios offendimus Haereticos, repetuntur, ita ut Mohammedani ab Arianis et Iudaeis, Sociniani vero et recentiores ab iis ea mutuati esse videantur; quare, *fontibus quibusdam solutionis* allatis, lectorem ad Dogmaticorum et Systematicorum libros ablegare licebit, eo magis, quia omnes Mohammedanorum obiectiones in Trinitatem solide refutavit, post MARACCIUM *Prodrom. ad Refut. Alcor. P. III. C.* 5., HOORNBEEK *Summ. Controv. L. III. p.* 134 *seqq.*

α.) Obiiciunt *humanae rationis defectum, quo illud mysterium neque cognosci, neque explicari potest.* Sic *Sura XXVII*: 65. *An Deus cum Deo? afferte probationem, si estis veraces:* id quod pluribus urgere solent interpretes.

Respondemus. a.) *Quod ad Mohammedanos:* arcti, quibus humana ratio circumscribitur, limites exigunt, ut, quicquid certo scimus a Deo nobis esse revelatum, firmiter teneamus, mendax cum Deus esse non queat; etiamsi nos ipsum rei modum minus habeamus perspectum; et eatenus res credenda est, cuius *veritas* certo demonstrari potest, natura sua licet sit *mysterium*, captum nostrum superans. Credunt enim nobiscum Mosslemi, cum Dei aeternitatem, immensitatem, omnipraesentiam, tum Domini IESU immaculatam conceptionem et ex virgine signata na-

tivitatem; tum mortuorum resurrectionem, aliaque revelationis mysteria, nobis aeque minus perspecta. b.) *Quod ad rem ipsam.* Concedimus MOHAMMEDI, rationem sibi relictam non cognoscere Trinitatem. Neque nostram facimus Thesin POIRETI, *Cogit. Ration. L. III. C. I. p.* 227. „Ex consideratione solius „naturae Dei sine respectu ad creaturas spectatae „constat, in illo esse sanctum et inviolabile aliquid „*TRINUM.*" Rationi hic etiam nimium tribuunt BECANUS, *Theol. Scholast. p.* 89., BISTERVELD, *in Synopsi Anticrellio praemissa. n.* 27., CLAUBERGEN, *Dissertationibus XII in hanc rem conscriptis*, quod idem cum in *Meditat. de Trinitate* fecerit NIC. SMITERUS, in Duisburgensi Academia Professor quondam Philosophiae, responsum tulit a Cl. VAN MASTRICHT *Gangraen. Novit. Cartes. Sect. post. Cap. XVII, pag.* 310-325. Minus forte errat MORNAEUS *de Verit. rel. Christ.*, cum *rationis* (inquit) *acumine nunquam excogitatum fuisset hoc mysterium; attamen*, post eiusdem a Deo revelationem, *eadem illa ratio, quam nunquam deprehendisset doctrinam, videt, meditatur, approbat.* Hoc vero cum concedimus, quid inde sequitur? falsum esse dogma? neutiquam. Rem enim a Deo esse revelatam, videmus, neque (nisi quid addas) sano sensui adversari. Penitus non cognosci posse? sit ita; neque, si aliter foret, aut Deus esset Deus, aut homo esset homo. Agitur enim de divina essentia et natura, quam penitus cognosceret homo, qui pauca admodum de rerum, licet sub aspectum cadentium, essentia habet perspecta? *Idoneus* (inquit HILARIUS *de Trin. L. I. C.* 18.) *sibi testis est, qui, nisi per se, cognitus non est.* c.) *Quod ad totam obiectionem*, saepius repetitam, saepius refutatam; distinguimus inter τὸ ὅτι et τὸ διότι: conf., praeter ATHANASIUM *ad* SERAPION. *de Sp. S. Opp. T. II. p.* 19., GROTIUM, *de Ver. R. C. L. III.* §12., et

ARNOLDI, *Refut. Catech. Racov. C. I. ad Quaeſt.* 21. § 73-76. *p.* 110. Quem utiliſſimum librum ſi non adeo obliviſcerentur noſtri temporis Theologi iuniores, minus quoque ſibi imponi ſinerent recoctis, ex *Bibliotheca Fratr. Polon.*, aliiſque Socinianorum ſcriptis, obiectionibus.

β. Obiiciunt, *nulla idonea pro tali dogmate ex S. S. proferri poſſe argumenta.* Ita enim idem AHMED *Apologiſta:* „Unde accepiſtis illam doctrinam? et quis „ vobis praecepit eam? et in quo libro revelata eſt? „ et quis Propheta meminit illius? et quid dictum „ CHRISTI perſuadet vobis illam? — An vero aliud „ fundamentum habetis, niſi illud, quod, iuxta diſci„ pulum Matthaeum, CHRISTUS (ſuper quem ſit pax!) „ diſcipulis ſuis dixit: *Ite et baptizate homines in no„ mine P. et F. et Sp. S.* Horum autem verborum „ ſenſus eſt — „ Quod conferentur illis omnes be„ nedictiones Dei, et benedictio Prophetae illius „ CHRISTI et Spiritus Sancti, per quas confirmati „ ſunt Prophetae et Apoſtoli." — Urget praeſertim *Sura XXVIII.* patrum ſub V. T. huius dogmatis ignorantiam.

Reſpondemus. a.) Talibus ex fontibus liquet, unde hauſerint ſuam doctrinam temporis noſtri Antitrinitarii, PURGOLD. in *Reſultat meiner mehr wie funfzig jahrige ueberdenkungen über die Religion Ieſu*, et PRIESTLEIUS in libro, cui titulus *Verbaſteringen des Chriſtendoms*, qui formulam baptismi explicant per *baptizari in nomine religionis, quam per Ieſum Pater patefecit et miraculis confirmavit*, praeterquam quod hac exgeſi illa ACHMEDIS longe ſanior; quis enim εἰς τὸ ὄνομα, *in nomen religionis* baptizavit? aut quid reſpondebunt ſociis ſuis, qui miracula cuncta negant? ſcilicet iis reformatoribus Eccleſia indiget! meliora dabunt IUST. M. *Apol. II. p.* 94. et *Quaeſt. et Reſp. ad Orthod. p.* 417.,

GRE-

GREGOR. *Nyſſen. ad* MATTH. *XXVIII:* 19. b.) Quod ad *patrum ſub V. Oeconomia de Trinitate ignorantiam*; videant, quid his regerant, qui cum CALIXTO, *Diſſ. de Myſt. Trinit. Theſ. XII*, et aliis, inſaniam eſſe dicunt, ex libris V. T. pluralitatem perſonarum divinarum evincere velle, quod hodie haud pauci ſequuntur; nos vero, licet cum *Confeſſ. Belgica Art. IX.* lubentes concedamus: „ *Het geen voor ons wat* „ *duiſter is in het O. T., dat is zeer klaar in het N.*", defendimus tamen, pro revelationis modulo et hoc dogma patribus notum fuiſſe, quod ſolide demonſtrat cl. CALOVIUS in *Socinianiſmo profligato, Sect. III. Subſect. IV. Art. I. p.* 164. et *peculiari Diſſert. de pluralitate Perſ. Div. e Vet. Teſt. demonſtrata.* Argumenta apud Polemicos exſtant: conf. TRIGLAND (nep.) *Diſſert. in Heb. I:* 3. § 13 et 21., DEYLING. *Obſ. S. Part. II. Obſ.* 2. § 11. Sit ergo verum, quod ex VRIEMOET, *Dict. Claſſ. V. T. T. I. C. IV. p.* 166 didici, Chriſtianos ab hodiernis Iudaeis in Liturgia, *Seder Arbab Tabaniioth*, anno huius ſeculi XVI Amſtelodami recuſa, *Fol.* 52. *Col.* 2. dici עובדים אלילים, שלשה אב בן ורוח *cultores Deaſtrorum trium, Patris, Filii et Spiritus*; non iſta impediunt, quin priſcae fidei veſtigia in ipſorum ſcriptis remanſerint, quae poſt alios collegit AND. NORREL *in Phoſphoro fidei e Libro Zohar*, et G. C. SOMMER *Specim. Theol. Zobaricae*, quibus prudenter tamen contra eos utaris, recte monuit I. M. GLAESENER *in Parergis Gottingenſ. T. I. L. III. Diſſ. XI.* Nuperrime autem, ante hos ſex annos, ut novatoribus, orientalium literarum peritiam iactantibus, ſe opponeret, vir pie defunctus C. S. DUYTSCH, ex Doctore Iudaico Paſtor Chriſtianus, librum edidit, ישועת ישראל, *Liberatio Iſraelis T. III.*, quo *p.* 141-408. veteris Synagogae de Trinitate et Deitate

Filii, sive ס *Memra* sententiam fuse explicuit, unde (quamvis ipsi argumento ex voce אלהים non insistamus) nobilissimum locum excerpsimus, ex R. SIMONE BEN IOCHAI in *Sohar. Paresoba Achraemoth. fol.* 29. *Col.* 116. „Veni et vide mysterium nominis אלהים. „*Tres* sunt דרגין (sive *Personae*) et, licet unaquae„que דרגא distinctam habeat subsistentiam, tamen „hae Tres *Unum* sunt, atque adeo in *Unum* con„iunctae, ut altera ab altera divelli nequeat." *vid. ibid. p.* 320. c.) *Loca* vero si quaerat AHMED, ex utroque volumine in promtu sunt, sed quae omnia explicari tempus non sinit. Digito tetigisse nonnulla, sat est.

Habemus *Gen. I:* 26. Ubi non cum R. ELEAZAR, *de familia superiori*, sive *domo Iudicii*, id est, *de angelis*, qui nec Dei *consiliarii*, nec in opere creationis adiutores, de occidentalium magnatum more, orientalibus incognito, cogites. Locum vindicant VRIEMOET *l. l. p.* 169., BECMAN, *Exerc. Theol. III. p.* 35., I. A. DANZIUS, *Diss. in h. l.*, *in* HASAEI *et* IKENII *Thes. Nov. Diss. in V. T. fol.* 123.

IES. *VI:* 3. Ubi de Patre non ita, sed de *Filio* locutum esse prophetam, IOANNES testatur *C. XII:* 39-41. *Pluralitatem* innuit pronomen plurale לנו *comm.* 8, ubi male GROTIUS de *consilio angelorum* loquitur, quorum nomine non mittebantur prophetae, ut recte observat WITSIUS *Misc. S. T. II. Exerc. I.* § 34. *Ternarium* numerum in Seraphinorum numero respici, docuerunt ATHANAS. *contra* ARIUM *Opp. T. I. fol.* 216. 601. 602., et EPIPHAN. *in Ancorato* § *X. Opp. T. II. fol.* 15. Locum vindicant MARCK. *Exerc. Text. Part. VI. Exerc. XIV.*, BECMAN, *Exerc. IV.*, quibuscum conferas ARNOLDI, *ref. Cat. Rac. ad Cap. I.* § 1-8.

IES.

Ies. *LXI:* 1, quem locum de semet ipso explicuit optimus, Interpres, LUC. *IV:* 17-21., et vindicat magnus VITRINGA *l. l.*

HAGG. *II:* 4-6, ubi de Λόγῳ seu *Verbo* ὑποστατικῷ, non *de Verbo* προφορικῷ sermonem instituI, defendit MARCKIUS, *Comment. in l.*

Brevitatis causa, multa, de quibus multum disputari possit, missa facientes, uti et illa loca, ubivis obvia, quibus אלהים et אלהים distinguuntur, *Ps. XLV:* 8, et יהוה ad אדני, DAVIDIS *Dominum atque Filium*, loquens introducitur, ad clariora N. T. loca progredimur.

Habemus hic, praeter alia multa,

MATTH. *III:* 16, 17., ubi a veteribus *historiam Iesu baptizati*, diu ante MOHAMMEDEN, ad probandam S. S. Trinitatis doctrinam adhibitam fuisse, discas ex tritissimo illo: *Abi, Ariane, ad Iordanem et videbis Trinitatem.* 1.) Certe, hic habemus *Patrem* de coelo loquentem, vi sua articulatum sonum in aëre formantem; sive angelorum ope, quod post Scholasticos placuit BEAUSOBRE *in Remarques. pag.* 12; sive per illud oraculorum genus, quod בת קול Iudaei vocant, uti voluit C. VITRINGA, *Obs. S. L. VI. C.* 9; utramque vero sententiam reiecit DANZIUS, *Tract. de inaugur.* CHR. § 28, 29 *et* 57., omnes de בת קול narrationes fabulis annumerans cum PRIDEAUX *Nexu V. et N. T. Part. II.*, et VOGELSANG *Exerc. Theol. II*, quos inter mediam viam prudenter tenet CARPZOVIUS *in Apparatu Antiquit. p.* 303. 2.) Habemus *Filium*, neque κατὰ χάριν, sive *adoptivum*, sed ἀγαπητὸν, quod nomen Graecis idem esse, quod μονογενὴς, *unigenitus*, demonstrant SUICERUS *Thes. in Voce.*, HEINSIUS, *Exercit. L. II. C. I. et Aristarcho S. Part. I. C. IV.*, et ERNESTI *Opusc. Philol. p.* 209. Filium itaque, qualem Deus

nullum unquam angelum vel hominem dixerit. *Hebr. I.* Eum praeterea, ἐν ᾧ Pater εὐδόκησεν: sive illud ad opus redemtionis restringas cum REUSCHIO, *Interpr. Syr. cum fonte N. T. Graeco coll.*, *p.* 8., *in quo placatus sum:* sive in genere magis cum RAPHELIO *in Not. Polybian. p.* 30. *In quem ita sum affectus, ut tota mens, tota voluntas in eo conquiescat mea, qui mihi placet, quo delector, cuius mihi omnia et dicta et facta sunt probatissima, quique mihi omnibus in rebus ita satisfacit, ut nihil praeterea requiram.* 3.) Habemus *Spiritum S.*, descendentem *more columbino*, velociter, molli, placidoque strepitu superinvolitando, quod HAMMONDO placuit et Cl. ALBERTI. *Observ. p.* 17., vel σωματικῷ εἴδει, *forma columbina*, quod, omnium instar, ex LUC. *III* urgent LILIENTHAL, in *der guten Sache göttl. offenb. T. V. p.* 607., MARCK, *Exerc. Bibl. p.* 599., EWALD. *Emblem. S. Part. II. p.* 293, et peculiari differt. I. G. BOEHMER, *Ienae* MDCCXXVII, adstipulante ill. GROTIO *in h. l.* Utramque sententiam coniungit WETSTENIUS *Comm. in N. T. in l.*, cum de nube quadam ignea cogitent BEAUSOBRE ad SAURINI *Disc. T. III. p.* 197. et RIES in *den Hamburg. Berichten A. XXXVI. p.* 443.

Argumentum ex h. l. pro Trinitatis dogmate vindicat CHRISTOPH. PARSCHITIUS, *differt. peculiari, Wittenberg. MDCCXI. Sect. II.* § 13.

MATTH. *XXVIII:* 19, quem unum pro nobis militare locum, scripsit AHMED. Iterum hic occurrunt *tres Personae* distinctae, eo quidem insignitae nomine, quo in aliis S. S. locis persona *vera*, eaque *divina*, ab altera distinguitur. *Unitatem* vero essentiae dictio probat εἰς τὸ ὄνομα, non εἰς τὰ ὀνόματα. *Baptizari* vero εἰς ὄνομα τινὸς honoris est plane *divini*, nec, nisi personis vere divinis, competit. Sane apostolus et legatus Dei erat PAULUS, atqui Christianos εἰς τὸ ὄνομα Παύλου baptizatos esse, diserte negat 1 *Cor. I:* 13.

I: 13. Vim huius dictionis ostendit VITRINGA *Obs. Sacr. L. III: C. XXII. p.* 319. Nempe significat ini„tiari, dedicari cultui alicuius, ipsique in fidem, „obsequium et clientelam tradi, cuius et iussu et „foedere baptismus administratur," atque hunc honorem non, nisi Deo vero et uni, competere, docebunt ARNOLDI *l. l.* § 136, 137, 148-155., SCHOETGENIUS *Hor. Hebr. p.* 239. et in *Obs. ad* PASOREM. *p.* 1030. Cadit ergo PRIESTLEII explicatio, *in nomine religionis*, quae plane insolens. De hominis, legati Dei, doctrina dicitur quidem 1 *Cor. X:* 2. βαπτίζεσθαι εἰς τὸν Μωσῆν, sed locutione plane diversa, neque *C. X.* oblitus esse potuit Apostolus, se *C. I.* docuisse, *baptizari* εἰς ὄνομα τινὸς nulli homini concessum fuisse; unde etiam εἰς a multis hic sumitur pro διὰ, secutis IO. VORSTIUM, *Philol. S. Part. I. p.* 177, quod tamen VITRINGAE *l. l.* displicuit. Exegesis ACHMEDIS, *baptizari, ut nobis conferantur benedictiones Patris, Filii et Spiritus S.*, sensu Euangelico optime valet, dummodo statuamus, tres illos nominatos aeque, et modo plane eodem, *actuales* esse, qui nobis miseris suas benedictiones conferunt, quod, ex ipsius Corani praeceptis, ab alio, nisi vere Deo, sine idololatria exspectare non licet.

Locum nostrum pro Trinitate vindicant HOORNBEEK *Misc. S. L. III. C. VI. p.* 321., SCHERZER, *Colleg. Antisocin. p.* 795., multique alii, quos laudat, in *Biblioth. Dissertationum*, WILDELSHAUSENIUS. Quin et ex loco nostro in veteri Ecclesia confessio Trinitatis *ante* baptismum requirebatur; si non ipsum, quod dicitur, Symbolum Apostolicum originem traxit. Conf. SPANHEMII, *Hist. Eccl. Sec. I. C. III.* § 1 et 11. *C. III.* § 1., BINGHAMI, *Orig. Eccl. T. IV. L. XI. C. VII.* § 8-11., et CLOPPENBURGII *Exerc. Theol. Loc. XIII. Disp. VI.* § 23. *Opp. T. I. fol.* 1094.

Mis-

Missis centenis aliis locis, iis etiam, ubi de Patre, semet ipso et Spiritu sancto locutus est IESUS O. M., ut de vera Trinitatis persona ὁμοουσίῳ (quod nomen quidem cum CALVINO haud Scripturae esse concedo, rei vero exprimendae aptissimum iudico, ob haereticos, saepe, ut ait IRENAEUS in *Praef. L. I. C. 2. fol. 3*, ὅμοια μὲν λαλοῦντας, ἀνόμοια δὲ φρονοῦντας, quod exemplis Socinianorum probatum dedi in *Diss. Belgic. pag.* 97-100.) v. c. IOAN. *XIV:* 16, 17. *XV:* 26. *XVI:* 13, 15.; transimus ad *2 Cor. XIII:* 13. ubi eodem plane modo invocantur *dominus* IESUS CHRISTUS et *Spiritus sanctus*, quo *Pater* invocatur. Filius enim et Spiritus S. non minus considerantur et invocantur, ut *activum suae gratiae et communionis principium*, quam Pater *principium activum* est *sui amoris*. Qui autem gratiae suae et communionis largitor est, eoque nomine ab hominibus invocandus, is verus Deus est, et quidem αὐτόθεος, id est, summus, non dependens, aeternus, omnipotens, etsi modus subsistendi in una eademque essentia divina, nostrum superans captum, est diversus. Vindicatur locus ex iis, quae habet PETAVIUS, *Dogm. Theol. T. II. Sect. de Trinitate. C. II et VII.*, BECMANNUS, *Exerc. Theol. XI p.* 155. et Cl. LAMPE, *Dissert. Philol. Theol. T. II. Disp. III. C. II.* § 1 *et* 3., quem conferas de *nomine septenario*, *Apoc. I.*, contra BEZAM, aliosque (hic *angelos creatos* intelligentes) ac simul ad obiectiones Antitrinitariorum, inde petitas, respondentem *Disp. V. C. IV.* § 19-24. add. P. NIEUWLAND, *Lect. Exeget. L. I. Epist. XI. p.* 76-82.

Relinquimus iam Systematographis vulgare illud, solidissimum tamen argumentum, quod, pro vera Filii et Spiritus S. divinitate, ex illis in S. litteris, non minus quam Patri, tributis *nominibus*, *attributis*, *operibus* et *cultu* divinis, peti solet, de quibus conferas

Cl.

Cl. DE MOOR, *Comment. T. I. C. V.* § 21. *p.* 837-850. *et* § 26. *p.* 870-881. Addantur, quae pro domini IESU CHRISTI vera deitate scripsit nuperrime Cl. VAN DE WYNPERSSE, Dissert. Belgica, operibus Societ. Hag. inserta, et pro deitate SPIRITUS s. contra Pneumatomachos recentiores (quorum nomina recenset WALCH. in *Append. Miscell. S. Medit. VII. p.* 803-810.) ARNOLDI *Atheismo Sociniano* I. BIDELLI, et quae CLOPPENBURG. in eundem BIDELLUM Anglum edidit *Opp. T. II.*

Verbum tamen addo de illustri, eoque vexatissimo loco, I. IOAN. *V:* 7. Scio equidem, me, ad istum locum provocantem, risum movere nostrorum temporum Critico-Theologis, si has meas, homuncionis obscuri, chartulas inspicere dignantur. Iam dudum enim hicce locus, olim classicus, ab iis, tantum non omnibus, proscriptus fuit. Hoc si fiat a veris et modestis Criticis, ceterum dogma S. S. Trinitatis nobiscum profitentibus, et ex aliis S. S. locis defendentibus, absit, ut viris, me longe excellentioribus, notam inuram, qui dudum quaestiones Exegeticas a Dogmaticis distinguere didici; maxime vero illud fieri ab iis, et quidem dictatoria auctoritate, qui hoc Christianae religionis κριτήριον et fundamentum aut tacite negant, aut apertius impugnant, scimus omnes. Nec locus, nec dissertationis ratio permittunt, ἀυθεντίαν huius commatis probare uberius; cum hoc longam dissertationem, ob varias, quibus illa oppugnata fuit, artes, exigat.

Fateor equidem, me, praeter declamationes, decisiones tanquam ex tripode, et voces arte compositas, adhucdum ne unum quidem in recentiorum scriptis inveniisse argumentum, quod non, minus licet ornatum,

tum, a Socinianis, nonnullis etiam sanioris mentis Criticis, dudum prolatum fuerit, neque cui a multis, nec artis etiam suae ignaris, satis fuerit factum. Quare, donec maiori luce collustrer, ad hunc locum, ut evidentissimum pro causa nostra argumentum, provocabo.

Desit (nec inficior) plurimis et praestantissimis codicibus, tam Graecis, quam Latinis totum hoc comma. Non iuvat, quid de singulis dicendum foret, examinare, neque hic illic de fraude queri, quam detexerunt nonnulli, inprimis DAV. MARTIN. V. D. M. Ultrai., in triplici tractatu Gallico, sub titulis: *Deux Dissertations Critiques, la premiere sur* 1 *Iob. V:* 7 *&c. Utr.* MDCCXVII. — *Examen de la reponse de Mr.* EMLYN *à la Dissert. Critique sur* 1 *Iob. V:* 7. *Lond.* MDCCXIX. — et *La Verité du Texte* 1 *Iob. V:* 7. *demontrée par des preuves, qui sont au-dessus de toute exception. Utr.* MDCCXXI, ubi vir doctissimus in specie ostendit, quam fraudulenter provocent ad codices Stephanicos ex Bibliotheca Regia, castigatos *in Tract. I. C. IX et X., Tract. II. C. XII. XIII* et *Tract. III. Part. II. C. IV. V. VI.*

Sed mitto ista. Deficiant codices plurimi, praestantissimi, antiquissimi; inveniantur triginta alii similiter deficientes; Quid inde? an ideo textus noster minus authenticus? minime vero. Hoc nec incuriae librariorum (facili satis, cum ultima verba comm. 7 et 8 eadem sint) tribuimus, hanc licet non negemus in singulis: minus Arrianorum corruptioni, cuius nunquam eos incusarunt Patres etiam animosiores: sed unice *Disciplinae Arcani*, quae seculo II introducta fuit. Nempe in tradendis mysteriis summopere cavebant veteres, ne haec haud initiatis patefierent profananda. Hinc non nisi XL ante baptismum diebus Catechumeni de Trinitate et Deitate Christi erudie-

ban-

bantur, docentibus HIERON. *ad* PAMMACHIUM, EUSEB. *Dem. L. IX. C. VI.*, et CASAUB. *Antibar. Exerc. XVI.* Verum hinc etiam loca ista S.S., quibus ista mysteria continentur, in publico coetu non praelegebantur. Unde deficiunt illa in cunctis Graecis codicibus, qui publicis lectionibus destinati erant; deficiebant etiam in iis orientalibus versionibus, item Latinis, quae ad eiusmodi codices elaboratae fuerunt. Pari modo deficiunt *Act. VIII:* 37, et (ob mores Catechumenorum) historia adulterae IO. *VIII:* aliis tamen codicibus minus publicis (quorum non minor remansit copia) ea retinentibus, uti nostri loci antiquitas iam ante ARRII *tempora* probatur EX CYPRIANO *de Unit. Eccles. p.* 78., forte et TERTULLIANO contra PRAXEAM. *C. XXV.*, quorum loca vindicat MARTIN. *Tr. I. C. VII.* § 2-5. *et C. VII.* § 6. *Tr. II. C. VIII. et Tr. III. C. IV. p.* 41-48. Sequitur ergo, antiquissimorum codicum auctoritatem, etiamsi multo maiori numero afferri possint, nihil efficere ad loci ἀυθεντίαν tollendam, quod pluribus evicit BENGELIUS *Apparat. Crit. in N. T. ad h. l.* § 25. Ceterum, nam plura addere non licet, locum hunc, praeter MARTINIUM, vindicarunt sexcenti, e quibus nominasse sufficit IO. GERHARDUM, qui geminam ad h. l. dissertationem scripsit, alteram loci ἀυθεντίαν, alteram τριάδος mysterium inde vindicantem, in *Disp. Ienensibus, p.* 1293., I. LAUR. MOSHEIM, *Diss. Partic. in h. l.*, STELLINGFLEETH, *Vindiciae doctrinae de S. S. Trinitate, p.* 164., *Leon. Twells*, cuius vindiciarum summam vide apud WOLFIUM T. V. *Curarum, p.* 300-313, lectu quidem dignissimam.

Atque haec sufficiant ad secundam Mosemorum obiectionem, nullum pro Trinitatis dogmate in S. literis inveniri posse testimonium.

γ.) Tertium, quod obiicit *Ahmed* illud est: „Videmus, vos ideo duas personas cum Deo pos..is-

„ se, quia Deus est *sapiens* et *vivens:* Et *sapientiam*
„ quidem eius appellatis *Verbum*, quod est CHRISTUS:
„ *Vitam* autem eius SPIRITUM S. Haec porro sunt
„ attributa Dei, quibus multa alia similia reperiun-
„ tur: vocatur enim mitis, sciens, videns, audiens,
„ vivens, potens &c. Dominus noster benedictus,
„ excelsus. Vos autem in eo ponitis personas, qua-
„ rum unaquaeque habet vitam, sapientiam et caete-
„ ra attributa, sicut habet ipse." — Hoc nempe sibi velle videtur obiectio: Si *personas* in Deo dixeris *sapientiam* et *vitam*, tot in divinitate erunt personae, quot attributa.

Respondemus. α.) Liquet ex tota obiectione, quod veram et *scripturariam* de hoc mysterio orthodoxorum sententiam haud cognoverit AHMED. Talem enim de illo opinionem (quam haereticis quibusdam fediſſe, non negamus) nec scriptura docet, nec Ecclesia vere Christiana tuetur. Studuit quidem doctiss. MARACCIUS aliqua ratione illam sententiam (a quorundam scilicet Scholasticorum opinionibus non longe diversam) defendere, *distinguendo* inter actus *intellectus et voluntatis divinae immanentes et respectu sui*, et inter *actus tendentes extra et respectu creaturarum*, ut sunt *Iustitia*, *Misericordia*, *Scientia*, cett. „Deus,
„ itaque (ait) cognoscendo et intelligendo se ipsum,
„ producit *Verbum*, seu mentalem imaginem sui ipsi-
„ us, quam vocamus *Filium*. Rursus, sicut homo,
„ amando conceptum suum, seu imaginem sui ipsi-
„ us, producit *propensionem vitalem amoris* erga illam,
„ et si conceptus ille esset subsistens, procul dubio
„ produceret eandem propensionem amoris erga con-
„ cipientem se, videlicet erga se ipsum ac suam es-
„ sentiam, quae est una eademque cum essentia con-
„ cipientis; ita Pater et Filius *mutuo se amando* (su-
„ am scilicet ipsorum unam eandemque essentiam)

„ pro-

„ producunt Spiritum Sanctum, qui est *propensio*, seu „ inclinatio vitalis in essentiam amatam." Hinc porro deducit, *Filium* posse dici *Sapientiam*, quia *per intellectum procedit*, *Spiritum Sanctum Amorem*, quia *per voluntatem*: non vero ut attributa Deo essentialia, sed ob rationes modo memoratas. *Vitam* autem Spiritum S. *analogice*, aut *metaphorice* a Iacobitis, aliisque orientalium dictum fuisse, excusat. Quibus huic obiectioni satisfeciisse sibi videtur. Haec vero, utrum prudenter, modeste et *catholice* satis dicta sint, alii diiudicent; contentum talibus AHMEDEN, vix crediderim, neque his se ex iis, quae haud inepte dixit acutissimus Islamismi doctor, feliciter explicuisse video. β.) Illos ergo solos premat haec difficultas, qui talia docuerunt. Docuerunt vero haud absimilia complures, qui non percipiendam divinam naturam perscrutari, eaque, quae, quod ad τὸ ὅτι, clare revelata erant, testimonio divino credenda, animi levitate et arrogantia, quod ad τὸ διότι, explicare voluerunt, quorum nonnullos iam supra nominavi, sed quibus addas Fanaticos, aut, si mavis, Spinosismi erroribus imbutos, PETRUM POIRETUM et WILHELMUM DEURHOF, qui Deum semet agnoscentem *Filium*, seu *Sapientiam*, ac semet amantem *Spiritum*, seu *amorem vivicatricem* produxisse docuerunt. vid. WALCH *Misc. S. L. III. Exerc. VIII.* et T. H. HONERTUS in *Veris Dei Viis T. I. L. V. C. I.* § 21. *p.* 774-792. Addantur, quae ipse de iis et aliis scripsi Pseudo-mysticis in *Dissert. Belg. p.* 129 *&c.* γ.) Nos vero, vel ipsam veritatem Euangelicam, talia non tangunt. Quod sua sponte patebit, cum nostram de dogmate controverso sententiam paucis admodum thesibus complectamur.

8. *Deus est Unus, essentia una, simplicissima.*

Qua thesi non tantum *Polytheismum* gentilium, et

Pantheismum SPINOZAE et *Fanaticorum* damnamus, sed et *Tritheismum* IO. PHILOPONI, Philosophi Alexandrini *Sec. VI.* (atque adeo aetate MOHAMMEDI proximi) qui tres quidem Deos dicere erubuit, personas vero *tres* φύσεις dixit. vid. SPANHEMIUS, *Hist. Eccl. Sec. VI. C. VIII.* § 3. *et C. XV.*, uti et *Triformianorum* errores, qui singulas personas partem aliquam divinitatis possidere aiebant, ex quibus unum totum coalesceret. vid. AUGUSTIN: *de Haeres. C. LXXIV.*

3. *In hac una essentia veneramur tres personas*, id id, subsistendi modos, qui invicem *relationem* habent, non physicam, quae *accidens* est, sed *hyperphysicam* in ente necessario, ita quidem, ut *character personalis* cuiusque personae in ea *terminetur*, adeoque sit *incommunicabilis*, nec de altera persona dici queat.

Non ergo sunt *mera nomina* SABELLII, neque *tres diversi cogitandi modi*, quam *Modalistarum* sententiam, Sabellianis simillimam, refutat cl. BUDDEUS *Isag. ad Theol. Universi. L. II. C. VII.* § 10. et *Instit. Theol. Dogm. L. II. C. I.* §54., neque *naturae derivatae* CLARKII, neque *virtutes divinae* WEIGELII, neque *attributa divina* POIRETI, neque *minores Dii subordinati* CURCELLAEI, neque, ut MATY docuit, *naturae finitae Spiritus intelligentis*, quas, ante mundi primordia productas, *in communionem essentiae suae divinae* Pater assumsit, solus vere Deus ab aeterno, quem refutatum videas in *Expositon de la Doctrine orthodoxe sur le Mystere de la Trinité, avec un court Examen du nouveau Systeme de Mr.* MATY, cuius libri auctorem dicunt rev. BOULLIER, et in *Epistolis* rev. I. G. DE CHAUFEPIÉ, *de Rebus momentosis ad Religionem spectantibus*, Gallice et Belgice editis, *Epist. IV et V.* Sed sunt modi subsistendi *in essentia divina*, distincti *alter ab altero*, non diversi, *aliud ab alio*, ὁμοούσιοι, aeterni, necessarii, indissolubiles, honore aequales.

3. Etsi divina attributa (in ente, simplicissime uno, haud divisa) cuique modo subsistendi, sive personae, sunt communia, quippe *essentialia*; tamen Pater, Filius et Spiritus Sanctus, quisque habet suum *characterem personalem*, sive *proprium sibi subsistendi modum in una eademque essentia.*

Hic in *Patre* est ἀγεννησία. Quod autem ideo nonnulli veterum illum dixerunt *fontem*, *originem*, vel etiam *causam deitatis*, etsi malo consilio non dictum fuerit, nos, ut ἄγραφον, nimisque durum, non sequimur. *Filio* characteristica est *generatio*, eaque *aeterna*, sine initio, progressu et fine; non *physica*, uti in corporeis; non *metaphysica*, sicut mens gignit λόγον; sed *hyperphysica* plane *divina*, eoque ipso *inexplicabilis* et ab omni *imperfectionis*, aut *corporea* idea semovenda; non *metaphorica*, ut Sociniani, non *oeconomica*, ut quidam recentiorum; sed *propria* et *naturali*, ita ut sit υἱος ἴδιος, μονογενὴς, et χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως πατρὸς. Quae nec *coexistentia* absolvitur; haec enim, tribus personis aeque communis, non est characteristica; sed quae (si describenda) optime describitur per *aeternam et incomprehensibilem eiusdem numero divinae essentiae communicationem*, quam descriptionem, licet τὸ πῶς non explicet, ipsa tamen *generationis* notio involvit, uti optime ARMINIUS: *generare est essentiam communicare*, *Resp. ad XXXI. Artic. p.* 138, 139., et in *Declaratione sententiae suae ad. Ord. Holl. et Westfr. p.* 61. *Spiritui Sancto* adscribitur *Processus*, ad cuius processus peculiarem maxime modum, quo unus Spiritus procedit, multi nomen *Sancti* referunt, post cl. WESSELIUM, *Praefat. Nestorianismi confutati.* De hoc processu aeterno et plane divino paucinora, quam de *generatione* nos docuit revelatio, cum forte ulterior Spiritus S. cognitio in futu-

turam oeconomiam asservetur, sicut nobis sub N.T. multa de Filio magis perspecta, quae patribus sub veteri oeconomia non ita clara erant et aperta. Frustra ergo schismatica de illo *processu* Graecos inter et Latinos disceptatio, quamvis nos, etsi disertis verbis hoc non docuerit scriptura, ex analogia tamen fidei, et legitimis ex nonnullis locis petitis consequentiis, faciamus cum Latinis, et *Spiritum S. procedere a Patre, filioque* profiteamur. Frustra recentiores, *quid interfit inter* Filii *generationem* et Spiritus *processum*, quaesiverunt. Placet nobis AUGUSTINI modestia, qui, *contra* MAXIMIN. *L. III. C. XIV. Opp. T. VIII. Col.* 498, ad hanc quaestionem, *nescio*, inquit, *non valeo, non sufficio, quia et* illa *et* iste *est ineffabilis.* Haud tamen veremur analogice affirmare, quod *processus* iste sit *aeterna et incomprehensibilis eiusdem numero essentiae divinae communicatio, ipsi a Patre, Filioque facta.* cf. STAPFER, *Theol. polem. T. III. C. XII.* § 233.

En! brevissimam, eamque orthodoxam, S.S. τριάδος professionem, quam a Christianismi incunabulis professam fuisse Ecclesiam CHRISTI, discas ex duobus magnorum virorum scriptis, altero, GEORGII BULLI *Defensione Fidei Nicaenae, ex scriptis Catholicorum Doctorum, qui intra tria prima Eccles. Christ. secula floruerunt*, altero, MARESII *Defens. Fidei Catholicae, opposita Quaternioni* STEPH. CURCELLAEI, *Diss. I. Sect. XI-XV. p.* 201-312. En! eam, a scholastico tradendi modo et distinctionum barbarie, quantum pote, liberatam. Nonnullas phrases, fateor, usurpari, quae ipsis verbis in S.S. non leguntur, et, ô utinam eas usurpare non iussisset haereticorum cum audacia, tum hypocrisis! verba autem et voces licet sint ἄγραφα, res tamen ipsae et dogmata clare et saepius in scriptura docentur, nec causam video, *si cum Ecclesia sen-*

ti-

tias, cur non et cum ea loquaris, quod in causa D. SIBELII recte iussit *Synod. Zuidholl.* A. MDCCLVIII. *Art.* 3. En! mysterium, de cuius veritate non dubitabit, qui Deo, de se ipso testanti, fidem habendam esse credit, mysterium vero, hominibus, omnique creaturae non indagandum, in quo modeste sapiendum est, nec comparationibus, a rebus corporeis et sub oculos cadentibus desumtis, nec ratiociniis, a rebus finitis deductis, rei infinitae explicatio tentanda, quibus nihil aliud proficimus, quam ut aut in errores gravissimos nos ipsos inducamus, aut incredulorum ludibrio et obtrectationibus res sacratissimas exponamus, uti de hac ipsa AHMEDIS obiectione vidimus. En! denique, quibus haec, similiaque facillime refutentur, quae in errantes opiniones, non autem in catholicam fidem vibrari possunt.

δ.) Ceteris ergo minoris momenti obiectionibus non immoramur, nam a.) aut tangit Apologista *similitudines*, quibus mysterium illustrari solet, v. c. a sole, corpore *sphaerico*, *lucido*, *calido*, quae tria a sole emanantia, nunquam non coexistentia, cum sole paria constituuntur, et inter se tamen re ipsa distinguuntur; ad quod recte excipit, *non dari in Deo accidentia.* Quamvis enim talia non omni prorsus excusatione careant, potius tamen ab iis abstinendum ducimus. b.) Aut *Tritheismi* Christianos accusat, quod, ex verae nostrae religionis ignorantia ortum, ex dictis facile refellitur. c.) Aut stolidissimas alii proferunt quaestiones. Sic MOHAMMED ipse exinde argumentatur, quod Deus non habeat uxorem. *Sura LXXXII. Non habet Deus sociam, itaque nec filium.* ô lepidum caput! qui, coelestia non capiens, terrenis illa miscuit. ô Pseudo-prophetam! qui rei uxoriae semper plenissimus libidinoso suo ingenio indulsit, atque sublimia revelationis capita, pro parte sibi incogni-

ta, per summum stuporem explicuit. Quid? an Deum fingit hominem? neque aeterna et divina sibi praestare, suamque stoliditatem superare putat? vid., quid ad illa respondeant LUD. VIVES *de Verit. Rel. p.* 466. et GROTIUS *de Verit. Rel. Christ. L. VI.* Eadem cum obmovisset SAMPSATES, Ispahanus, in *Epistola ad Monachum Miletium*, inserta *T. II. Operum Saracenicorum* BIBLIANDRI, *fol.* 193, rogans: *qua ratione fieri potest, ut Deus habeat filium sine uxore?* illi *argumento ad hominem* respondit IO. CONTACUZENUS, Imperator Constantinopolitanus, „ *quomodo* „ CHRISTUS *ex muliere natus sine virili opera? et, quod* „ *illo manifestius, quomodo* ADAM *homo factus sine viro* „ *et foemina? quomodo* EVA *ex viro quidem, sed absque* „ *muliere creata? Ibid. p.* 199., haud absimili argumento contra veram Filii generationem iam antea usus fuit AËTIUS, uti discas ex EPIPHANIO *adv. Haeres. L. III. T. I. Haeres. LXXVI. C. IX. fol.* 945. — Cetera mitto.

§ 6.

II. Altera obiectionum classis ea continet, quae a Mohammedanis in *veram Christi deitatem* afferri solent. Ubi iterum in antecessum duo monenda.

N. Has, aeque ac modo refutatas, ex *inscitia* MOHAMMEDIS et sequacium ortas esse. Errantes enim, uti visum, in intellectu Trinitatis, non poterant non errare in doctrina *de persona* IESU CHRISTI: cui accessit, quod, quid statuerent Christiani de *Unione Hypostatica*, non nisi confuse et errans didicerit ex opinionibus, in Oriente tum temporis et etiamnum pervulgatis. Scilicet *Nestorianorum*, et magis *Entychianorum*, qui, quas divellere visus est NESTORIUS, naturas θεανθρώπε confuderunt; quod minus mireris, si ve-

verum, quod narrant, Presbyterum quendam *Armenium* aliquando MOHAMMEDI sortem illam felicem, quam postea obtinuit, praedixisse, atque adeo etiamnum Armenios Moslemis prae ceteris Christianis esse acceptiores. Iam vero Armenii passim *Monophysitae* sunt, sive *Eutychiani*, nonnulli etiam *Nestoriani*. conf. SPANHEMIUS, *Hist. Eccl. Sec. V. C.* 7., et HOORNBEEK, *Summ. Controv. L. XI. p.* 878-883.

Hinc sua sponte cadunt multae, quibus Christianos fatigare student, obiectiones, in quibus duas in CHRISTO naturas continuo confundunt.

Nos vero, qui in tota illa περὶ τῆς θεοφανίας doctrina abstrusissimas veterum et recentiorum *Scholasticitates*, tot schismatum et rixarum, inter Euangelicos etiam, causas dolemus, et ex variis Logomachiis haereses natas esse didicimus per hominum aut arrogantiam aut levitatem, qui S. Scriptura et eo, quod nobis concessum est, cognitionis modulo non contenti, divina et abscondita nobis explicanda sibi sumserunt incauti et infelices; nos, inquam, veritatem sectantes, ubi eam invenire licet, etiamsi homines, qui eam docuere, in aliis merito culpari possint, lubentes subscribimus Concilio Oecomenico III Ephesino, A. CCCCXXXI, et Oecumenico IV Chalcedonensi A. CCCCLI habitis, atque unionem istam factam esse dicimus ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως et ἀχωρίστως, *inconfuse*, *inconvertibiliter*, *indivise* atque *inseparabiliter*, quod cum teneamus, facilis est ad pleraſque obiectiones responsio. — Ceterum ulteriorem *dogmatis* defensionem *Polemicis* relinquo. Conf. interim ARNOLDI, *Refut. Catech. Racov. ad C. I. de Cognit. Personae Christi.*, WESSELII *Nestorianismus confut.*, IABLONSKI, *de Nestorianismo.*, PETAVIUS, *Dogm. Theol. T. V. L. I. de Incarnatione C. VII-XI. et XIII-XVIII*, quibus addas, quae ipse conscripsi in *Praefa-*

fatione, larga satis et ad pacem inter Euangelicos adiuvandam composita, ad CHRISTIANI Ανωνύμου *Christocratiam*, Belgice editam *Lugd. Bat.* MDCCXCVII.

ב. Neque etiam in hoc genere quicquam novi, aut insolens proferunt Mohammedani. Nullas enim motas a quoquam illorum inveni difficultates, quae non a ceteris Antitrinitariis motae fuerunt, et ad quas ubique solidissima exstant responsa, cum apud Polemicos, tum apud eos praesertim Theologos, qui ex professo O. M. IESU veram, aeternam et proprie dictam deitatem ab Arrianis, Socinianis et aliis defenderunt. Quos inter legas, si placet, ARNOLDI *Refut. Cat. Racov. C. I.*, BECMAN. *Exerc. Theol. X.*, VENEMAM, *de vera Christi Divinitate*, GOMARUM *de* CHRISTO Αὐτοθεῷ, cui notas addidit VOETIUS, *Disp. Theol. Part. I.*, BUDDEUM, *Theol. Dogm. T. I. L. II. C.* 1., I. HONERTUM, *Praef. ad* URSINI *Catech. Part. II. C. I. p.* 110., STAPFERUM, *Theol. Polem. T. I. C. III. Sect. XVI.*, BULLUM, *Defens. fid. Nicaenae.*, et eundem in *Iudicio Eccles. Cathol. Trium priorum seculorum contra* EPISCOPIUM, HOORNBEEKII *Socinianismum Confutatum*, MEISNERUM *contra Socinianos*, quibus ex sexcentis aliis iungas HENRICUM ASCANIUM ENGELCKE, (itidem uxoris meae ex abavo IO. DAN. ENGELCKE, apud Pommeranos V. D. M., ex fratre CHRISTIANO PETRO, *Iennewitzi* Pensionario Ducensi, nepote, cognatum) in *Collegio Antisociniano*, *Disputationibus XIII.* edit. *Rostochii*, A. MDCCVI., et in *Collegio novissimarum Controversiarum. ibid.* MDCCIII. *Disp. V.* § 1-8., CHRISTOPH. FRANCKIUM in *Demonstratione Deitatis* CHRISTI, SCHLICHTINGIO opposita, KILONI MDCCV. et (quem omnium primum nominasse debui) cl. Praeceptorem VAN DE WYNPERSSE *l. l.* Hi, quos ideo laudavi, viri clarissimi otium per plura respondendi nobis fecerunt, quod tamen ne *gratis* me dixisse arbi-

bitretur lector, digito quasi praecipuas, quas offendi, obiectiones monstrabo.

α.) „ Ipse CHRISTUS se a Deo distinguit, et, ut „ Deum colant atque venerentur, Iudaeos saepius „ monet, se vero ipsum non Deum, sed Legatum a „ Deo missum, pronunciat." Argumentum exstat in *Sura V:* 78. CHRISTUS *dixit: ô Filii Israelis! servite Deo, Domino meo, et Domino vestro.* et *versu* 122. *Cum dicit Deus* (CHRISTO in die iudicii) ô IESU, *fili* MARIAE! *tune dixisti hominibus: accipite Me et Matrem meam in duos Deos praeter Deum? respondebit: Laus tibi! non est meum, ut dicam de me id, quod mihi non convenit. Si hoc dixissem, utique scires.*

Respondemus. a.) Quae affert MOHAMMED, aut deceptus ab aliis, aut mala fide attulit; verba enim illa non ita in Euangeliis exstant. b.) Iterum debitum CHRISTO honorem cum *Marialatria* confundit. c.) Falsus est, cum asseverat CHRISTUM sibi honorem divinum denegasse. Contrarium Iudaei aeque ac gentiles testantur, ut supra visum. Locus evidentissimus exstat IO. *V:* 23. ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν Υἱὸν, καθὼς τιμῶσι τὸν Πατέρα. d.) Ubi vero Patrem *Deum* et *Dominum* suum dixit, uti IO. *XIV:* 28. ὁ Πατὴρ μου μείζων μού ἐστι, humanam suam naturam, maxime vero munus suum *mediatorium*, spectat, quo ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβών. *Philip. II:* 6-8. Ceterum conferas ARNOLDI. *l. l.* § 37-45.

β.) „ CHRISTUS non est, nisi creatura." *Sura V:* 81. *Ambo* (scil. CHRISTUS et *Mater eius*) *comedebant panem.* Huc trahunt, quicquid de IESU esuriente, sitiente, dormiente, &c. narrant Euangelistae; plura eiusmodi accumulavit AL HASAN EBN IOBI Apostata, a quo AHMED pleraque suas obiectiones mutuatus est,

unde CHRISTUM *Filium Dei*, nempe *adoptivum*, esse concedunt, *electum* et *amatum*, quin et *supra angelos* evectum, non tamen *Deum verum*, quippe quem, si vellet, ad nihilum redigeret Deus. Ita enim *Sura V:* 19. *Infideles sunt, qui dicunt, Deum esse* CHRISTUM, *filium* MARIAE. *Dic illis: Et quis posset Deum impedire, si vellet perdere* CHRISTUM, *filium* MARIAE, *et matrem eius, et omnes terrigenas? Dei enim est regnum Coeli et Terrae.* Addit tamen AL HASAN *ad* MATTH. *XVI. Non negabimus vobis illum esse* Christum, *neque refugimus dicere, in idiomate vestro eum vocandum esse* Filium, *per misericordiam et adoptionem.*

Respondemus. a.) Non negamus *verum hominem*, nobis per omnia, demto peccato, similem, CHRISTUM: difficultates vero, quas sibi fingunt Moslemi, ex parum cognito, atque inde non agnito, unionis Hypostaticae mysterio oriuntur. b.) Concedimus, Deum, si nil, nisi eius absolutam potentiam spectamus, quicquid creaturarum est, atque adeo et humanam CHRISTI naturam ad nihilum redigere posse; sed, θεάνθρωπος cum sit, absurdum esset de tali voluntate Dei cogitare, qua se ipsum, id est essentiam suam, perderet. c.) Neque Filius *adoptivus* est, qui μονογενὴς IOAN. *I:* 14. et ἴδιος *Rom. VIII:* 32, quem titulum urget cl. WESSELIUS, *Diss. Acad. XIX.* § 19. *p.* 599., et ARNOLDI *l. l. p.* 300-303., unde nunquam dicitur *primogenitus Dei*, sed ratione dominii et supereminentiae, in ipsa eius *filiatione*, ut ita dicam, aeterna fundatae, qua mediator dicitur πρωτοτοκος ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς *Rom. VIII:* 29. Loca, quibus hic titulus occurrit, perlustrant WESSELIUS *l. l. Diss. XVI et XIX.* § 10-12. et *Nestor. Consut. C. XI-XIII.*, ARNOLDI, *p.* 106. — Atque haec eadem dicta sunto ad quasvis Mohammedanorum obiectiones, quibus υἱὸν τῦ ἀνθρώπυ ab υἱῷ τῦ Θεῦ non distinguunt.

7.) Ceteras enim obiectiones, brevitatis causa, omitto, cum, quia, a veteribus Haereticis depromtae, iam dudum a Patribus refutatae fuerunt, v. c. *Alogianorum* EPIPH. *Haeref. LI.*, *Ebionitarum*, ID. *Haeref. XXX.*, *Photinianorum*, ID. *Haeref. LXXI.*, *Carpocrationorum*, IRENAEUS *Adv. Haeref. L. I. C. XXIV.* &c. tum, quia repetitae, et ornatae a recentioribus, explosae sunt in iis, quae pro vera deitate Servatoris supra laudavimus, scriptis, denique, quia, quantum ad Mohammedanos attinet, pluribus iis satisfecit MARACCIUS in *Prodromo ad Refut. Alcorani. Part. III. C. XI-XVIII. fol.* 32-63., neque minus feliciter in *ipsa Refutatione ad Sur. V. fol.* 195-220. — Ex quo hic verbo notandum existimo, adeo aperta esse S. S. testimonia, ut ea ipsi de IESU nostro O. M. interpretentur Mosslemi, additis tamen glossematibus suis. Ita MOHAMMED EBN IACOB PHIRUZBADIENSIS scribit, in libro suo القاموس, sive *Camus*, ad *Psalmum II. Dictum Dei potentis et glorioſi ad* IESUM, *ſuper quem ſint benedictiones et pax!* Tu es Propheta meus et ego genui te, *id est* enutrivi te. *Sed Christiani legunt:* Tu es filius meus et ego genui te. *At vero Deus longissime abest ab ea re.* Verum alius Doctor EBNOL-ATHIS ita explicat: *Dixit Deus ad* IESUM: Ego feci nasci te, *id est* nutrivi te. *Sed Christiani* &c. Verum Hebr. בְּנִי *filius meus*, et יְלִדְתִּיךָ *genui te*, et versiones Graeca, Syriaca, et Arabica vetus, malam Mosslemorum fidem demonstrant. Locum *metonymice* explicant de publica generationis manifestatione, per ipsius missionem in mundum et tot documenta verbalia et realia, quibus deinceps haec filiatio confirmata fuit, post plures veterum CALVINUS, BUCERUS, FR. IUNIUS, PISCATOR, alii, quam sententiam defendit OUTHOF in *Bibliotb. Brem. Cl. II. Fasc. IV. C. IV.* § 12, 13. *p.* 661. Verum יְלִדְתִּיךָ pro יְלִדְתִּיךָ *ipsam divinam Filii a Patre generationem*

nem notare docet cl. DE MOOR, *Comment. T. I. Cap. V.* § 8. *p.* 729., a qua tum probe distinguenda *dictio* Patris ad Messiam θεάνθρωπον, mediate et immediate, praesertim per resurrectionem e mortuis, quo pertinent יהוה אמר אלי. Conf. HOORNBEEK, *Socin. confut. T. II. L. I. C. I. Sect. I. p.* 8-19., MARCK, *Exerc. Text. XV.*, et ARNOLDI *l. l.* § 104-109. — Ceterum, nonnullos Mohammedanorum veritatem nostri dogmatis agnovisse, discimus ex ipsorum scriptis. v. c. ISMAEL EBN ALY *de Commemoratione Gentis Moslemorum* ita: Haietienses *et* Hademienses *fuerunt asseclae* AHMEDI *filii* HAIETI *et* PHADELI *filii* HADEMI, *qui ambo fuerunt discipuli* ALNODAMI, *et legerunt libros Philosophorum, et commiscuerunt sermones eorum cum sermonibus suis, et habuerunt tres novas opiniones, quarum prima fuit stabilire sententiam de* CHRISTI *divinitate, quem dixerunt futurum esse iudicem creaturarum in novissimo die &c.* quo adducti videntur per Coranum ipsum, quo CHRISTUS كلمة الله *verbum Dei* dicitur, et روح الله *Spiritus Dei*, vel روح من الله *Spiritus ex Deo*, quod Commentatores de *nativitate ex virgine, per verbum et spiritum, id est potentiam Dei* explicant. (Non tamen hos *aeternum*, sed *Deum secundi ordinis* CHRISTUM fecisse, ex POCOCKIO notat, eosque cum ARRIO, vel forte cum SOCINO ὁμοψήφους esse docet SALE. *Disc. Praelim. p.* 203, unde scripsit ALMAVAKEPH: „Mundus habet duos Deos, „ aeternum, qui est altissimus Deus, et recentem, „ qui est CHRISTUS. Seu, creaturae habent duos cre„ atores; alter est aeternus et est creator altissimus: „ alter recens, et hic est CHRISTUS." Ad Arrianos hoc accedere, Socinianis vero multum praestare, quivis videt.) Quibuscum, pro parte, faciunt *Morgitae-Cadritae*, sive discipuli SALEHI *filii* AMRUI,

RUI, quorum thesis est „Si quis Trinitatem tenu-„ erit, ideo non est infidelis." Quin et *Capmessaby*, sive *Discipuli Messiae*, CHRISTUM *verum Deum et mundi redemtorem* profitentur, et mortem pro hac veritate subierunt nonnulli; sed haec secta quaedam est recentior ex honoratioribus, quae aut renegatis, qui dici solent, aut saltem iis, qui matre Christiana nati sunt, originem suam debere videtur, uti in *Descript. Regni Turcici* iam observavit accuratissimus LUDEKE.

§ 7.

III. Tertia obiectionum classis dogma Christianorum petit *de* IESU, *mundi redemtore in cruce mortuo*, quod praefracte negant Mohammedani. De quo sequentia notasse sufficiat.

Negat, mortuum esse Dominum in cruce, et Iudaeos in persona cruci affigenda, poena Dei, erravisse, asseverat ipse MOHAMMED in *Corano*, *Sura IV*: 155, ubi *Iudaeos punitos esse*, ait, *propter perfidiam eorum, et quia dixerunt contra* MARIAM *mendacium magnum, et quia dixerunt: Nos occidimus* CHRISTUM IESUM, *filium* MARIAE, *legatum Dei. Sed non occiderunt eum, nec crucifixerunt eum, verum obiecta est eis similitudo eius.* Idem autem, minus perspicue tamen, *Sura III*: 53: *Dolum autem meditabantur* (Iudaei in IESUM) *sed dolose in eos egit Deus. Nam Deus est optimus doli detector. Tum dixit Deus:* ô IESU! *equidem* DEFUNGI *faciam te et assumam te ad me, et liberabo te ab infidelibus.*

In adornanda vero hac putidissima fabula mire a se invicem dissentiunt Moslemici doctores. Nam a.) Disputant, an unquam IESUS mortuus sit, nec ne? *in cruce* non obiisse, tenent omnes, sed *de morte naturali* disputant. Scilicet difficultatem peperit

in *Sura III:* 55, verbum متوفي *defungi*. Explicant nonnulli per *sumere*, *manu prehendere* قبض, quasi esset: *ego te*, *manibus angelorum prehensum*, *assumam*. Alii: *ego te servabo immunem* pro تسلم. Alii: *ego te somno sopitum assumam* pro نوم. Alii denique proprio significatu sumunt, pro موت, *ego te morti tradam:* qui posteriores iterum in duas partes abeunt, aut eorum, qui statuunt, Deum IESUM repentina morte occidisse, dein vero post resurrectionem assumsisse, quod AL BEIDAWI docet, vel saltem in somno trium vel septem horarum; aut eorum, qui hic, in textu ὑστερον πρότερον statuunt, ita ut sensus sit, „Deum prius elevasse IESUM ad se, deinde eum morti „ subiecturum, quod fiet, quando e coelo redibit ad „ finem mundi, cunctis fidelibus imperaturus." Quibus verbis ALDAHAKI sententiam, ut vulgarem maxime, proponit AL THALEB *in h. l.*, illud autem imperium Messiaticum per XL annos duraturum, addit CAAB ALACHBAR ex relatione eiusdem THALEBI. — — β.) Neque magis doctores inter convenit de *doli* istius historia, quam quisque pro genio suo fabulis exornare studuit. IALLALO'DDIN, sive GELALEDDINUS, ad *Suram IV*, personam substitutam non nominat, in genere narrans, similitudinem IESU *cuidam ex sociis* iniectam fuisse, quem Iudaei, hac similitudine decepti, eius loco cruci affixerunt. — Eodem modo rem in genere narrat *Ebnol-Athir*, laudatus ab ISMAËLE EBN ALI, *cum apprehendissent Iudaei hominem quendam, qui erat similis* CHRISTO, *ligaverunt eum &c.*, ridiculus in eo, quod IOSEPHUM, qui corpus crucifixi sepeliundum petiit, dixit *fabrum lignarium*, et *Iudicem* HERODEM, *Iudaeum*, *cognomine* PILATUM. — AMRU vero addit: IESUM discipulis praedixisse, se esse fato functurum, in coelos elevandum, ac petiisse, quisnam il-

lorum formam ac figuram magistri vellet induere, occidendus a Iudaeis, addito promisso de maxima salute; cum vero unus ex illis se ad omnia subeunda paratum praestiterat, IESUS in coelum raptus, ille vero, sequenti die, sub forma praeceptoris, crucifixus est. — MOKATEL vero *exploratorem quendam* fuisse dixit, qui pro Iudaeis IESUM observaret, cui angelus, qui IESUM, duobus digitis prehensum, in coelos rapuit, domini formam iniecit. AL THALEB, ex auctoritate EBN. ABBAS, maximae apud suos auctoritatis viri, TITIANUM quendam nominat, ex assectis IUDAE proditoris, qui per fenestram intrusus IESUM occideret, verum, Deo sic iubente, in illius formam mutatus, a Iudaeis prehensus et morte affectus fuit. ISMAËL EBN ALY denique hoc ipsi IUDAE proditori accidisse affirmat. Adeo sibi ipsi obloquuntur, qui a veritate recedunt.

Argumenta pro narrationis veritate si petas, respondebit EBN-SAIT: *Descendere fecit Deus* CHRISTUM ad MARIAM *matrem ipsius, quae flebat eum, et dixit ei: Deus assumsit me ad se, neque contigit mihi, nisi optimum. Et praecepit ei, ut congregaret apud se Apostolos, et constituit eos in terra Legatos Dei.* VAHEB vero ita rem narrat: *Venit Mater* IESU *et alia mulier, quae fuerat daemoniaca, sed liberata a* IESU, *et stabant ad crucem. Sed accedens* IESUS *dixit eis: Super quem fletis? At illae responderunt: super te. At ille: Rapuit me ad se Deus in coelum, et nihil mihi, nisi fausum, evenit. Iudaei decepti sunt in similitudine mea. Post septem autem dies dixit Deus ad* IESUM: *Descende ad* MARIAM, *quae maximo moerore conficitur, ita ut nemo unquam tot lacrymas effuderit: et congrega Apostolos, et mitte eos ad praedicandum per orbem. Postea elevavit eum iterum Deus ad se.* ——

Ad historiam lepidissimam, diversis coloribus pictam,

ctam, quae observanda duco, tribus quaestionibus absolvam brevissime.

a.) Quod tandem MOHAMMEDIS consilium fuit tali in fabula exornanda?

1.) Optime novit MOHAMMED τὸν λόγον τῦ σταυρῦ, et ipsum CHRISTUM ἐσταυρωμένον, Iudaeis esse σκάνδαλον et gentibus μωρίαν, quod non dissimulandum esse PAULUS duxit 1 *Cor. I:* 18. 23. Ille autem, sollertissimus cum esset impostor, novam suam doctrinam adeo exornandam statuit, quae multis placeret, unde, cum gentiles suos Arabas, et, quibus abundabat regio, Iudaeos aeque ad se pelliceret, ante omnia illud e sua religione exsulare iussit dogma, quod omnes aeque aversabantur. Hanc enim de CHRISTO IESU crucifixo doctrinam τοῖς σωζομένοις esse Θεῦ δύναμιν καὶ Θεῦ σοφίαν, non perspexit homo miserrimus, qui nec se, nec generis humani deplorandam miseriam, nec divinae misericordiae βάθος in dando unigenito suo εἰς ἀντίλυτρον pro peccatis, aut cognovit, aut agnovit unquam. 2.) Verum non solum impostor, sed vero etiam *Fanaticus* erat ille noster; qui, cum honorifice in multis de IESU sentiret, sibi ipsi ex doctrina crucis σκάνδαλον finxit, persuasus, pro honore CHRISTI se multum effecturum, si illud, quod in Christianorum dogmate offenderet, amoveret, et vivum IESUM in coelos assumtum, inimicos vero Iudaeos a Deo, in ipso crimine, deceptos fuisse, statueret. Hoc dum egit, aliis eandem sententiam olim sediisse intellexit, suamque, ut *veram* Christianorum sententiam, quaquaversum divulgavit.

b.) Hancne fabulam ipse finxit MOHAMMED? an ab aliis accepit, qui ante eum idem docuerunt?

Non finxit ipse, sed, uti in multis (quod vidimus) adiutus, vel potius deceptus fuit ab adiutoribus pes-

pessimis, haeresibus cuiusvis generis imbutis, ita et illud ei, in hoc, de quo agimus, accidit. Tota enim Gnosticorum familia, et quotquot pseudo-mysticorum prior aetas tulit, eandem olim fabulam docuerant, *Docetae*, *Carpocratiani*, *Marcionitae*, *Simoniani*, *Basilidiani*, (vid. IRENAEUS, *adv. Haeres. L. I. C.* 23., EPIPHAN., *Haeres. XXIV. XLI.*, EUSEB., *Hist. Eccl. L. IV. C.* 10.) Hi tamen SIMONEM *Cyrenensem*, CHRISTI loco, passum fuisse asseverabant; quin PHOTIUS *in Bibl. Cod. CXIV.* se librum quendam legisse narrat, inscriptum *Itinera Apostolorum*, qui eandem fabellam contineret. Porro doctiss. SALE in Notis ad *Sur. III. p.* 59., memorat Euangelium Apocryphi BARNABAE, quo et idem docetur, IUDAS vero expresse nominatur, formaeque similitudo tanta fuisse dicitur, ut non tantum Iudaei, sed et MARIA et Apostoli ea decepti fuerint, cuius rei causa adiicitur, „ quod nempe amore nimis carnali illum prosecuti „ fuissent MARIA et Apostoli, isto dolore iuste puni„ endi; IESUM vero, ne quid in noviſſimo iudicio „ Satan haberet in eo criminandum, deridendum fo„ re, ut crucifixum, usque ad adventum MOHAMME„ DIS, qui veritatem doceret." Habemus ergo illud pseudo-Barnabae Euangelium, ad quod (a suis adiutoribus suppositum) sub *Euangelii* nomine toties provocavit MOHAMMED, et de quo plura scitu digniſſima in *Disc. praelim.* SALE notavit.

c.) Detectis fraudis auctoribus, videamus, quid respondendum restet.

Hoc vero paucis absolvatur. Refragatur Euangeliorum omnium, quorum αὐθεντία ne Mohammedanis quidem est suspecta, auctoritas. Refragatur omnium seculorum, quae ante MOHAMMEDEN fuerunt, prisca fides et Christianorum unus et par consensus. Refragantur, quae *Sectione I* adduximus, Messiae veri

ἐφιτήρια, a prophetis praedicta. Refragatur commune, quod adduximus, *Iudaeorum* testimonium. Refragatur *Ethnicorum* consensus atque omnis fides historica. Refragantur denique non tam de morte, quam *resurrectione* domini certissima argumenta, quae totius Euangelicae doctrinae fundamentum est et dogmatum caput praecipuum. Haec qui consideraverit, addideritque, quod non, nisi aeque frivolis atque fabulosis argumentis tota narratio superstructa reperiatur, ulteriori refutatione non indigebit, nisi (quod GROTIUS dixit, laudatus *Sect. I. C. I.* § 2.) *non modo divino spiritu, sed magna etiam parte sensus communis destitutus esse* videri cupiat.

§ 8.

Ad alia transituros, nos non detinebit *tertium* obiectionum genus, quod non adeo in genuinam et catholicam religionis Christianae veritatem, quam in superstitionem, abusus, vel etiam haereses (nec immerito) formant Islamismi patroni; hoc in genere Gallicis Deistis, vel Naturalistis similes, qui, religionem Christianam plerumque non, nisi ex gentis suae superstitione et multifario abusu cognoscentes, ipsi crediderunt, se lethale Christianismo vulnus intulisse, cum re vera non, nisi superstitionem, religionis larva abutentem, laesissent.

Huiusmodi sunt, quae obiiciuntur de Pontificibus et Monachis praestita obedientia, qui, uti dixit MOHAMMED ODLIMO *filio* CHATERNI, teste IAHIA, *licitum faciunt, quod Deus prohibuit, prohibent vero, quod concessit Deus:* item de *Maria-latria, Iconolatria, Coelibatu, Bellis cruciatis*, aliisque, quae, cum nihil ad nos, iis solvenda relinquimus, in quos dicta fuerunt; porro, an iis satisfecerint, qui cum MARACCIO, aliisque Ro-

Romanae Ecclesiae subiectis, ad ea rescripserunt, penes alios iudicium esto. Nos contenti erimus refutando, quae ad infirmandam Euangelicam veritatem, et catholicae fidei praecipua dogmata obiecerint MOHAMMED et clarissimi illius sectae doctores.

Neque dubitamus, quin, qui attentus, et a praeconceptis opinionibus liber, ea, quae dicta sunt, perpenderit, nobis concedat, omnia, quae afferunt, tot secum tulisse inscitiae, futilitatis et malae fidei indicia, ut non sit, cur ab iis sibi timeat veritas Christiana; aut detrimenti, non suis, qui, aut prae timore, aut disciplinae taedio, eam deserunt, sed sibi, id est, ipsi religioni, quicquam vereatur.

Quae firmiori quidem talo niti, planum erit, si posteriori loco, (quod et antea de ceteris fecimus) demonstrabimus, multo plura MOHAMMEDIS Corano et Moslemorum commentariis atque scriptis inesse, quibus illa, quam defendimus, veritas confirmari possit atque corroborari.

α.) Sacro enim cum Iudaeorum, tum Christianorum Codici non exiguum testimonium praebet Moslemorum, ipsiusque illorum prophetae veneratio. Corruptos enim licet fontes dicant, quod quantum a vero distet, modo probavimus; supposititium etiam licet eis BARNABAE Euangelium adiungant, vel potius vera Euangelia ex eo emendari postulent; historias denique sacras fabulis anilibus et additis traditionum nugis licet exornaverint; narrationum tamen veritatem, quae MOSIS, Euangelistarum, Historicorumque sacrorum libris continentur, non tantum non negare, sed ne in dubium quidem vocare sustinent: hinc toties de *Protoplasti creatione*, *peccato*, *poenis*, totiusque humani generis *labe originali* mentio iniicitur: quin et de *poena*, *Satanae* et *Serpenti* ob homines deceptos illata, *Sura VII*; fabulae licet veris ex

Tal-

Talmudistis et Pseudo-Barnaba admisceantur. vid. *Not. Saleanas*, *p.* 167. De exercito Satanae iure usque ad natales CHRISTI, AL BEIDÂWI *ad Sur. XV.* De NOA. *Sura VII. XI. XXVI. XXIX.*, ubi conferantur, quantum ad computationem annorum, CAAB et YAHYA, *Sur. LXXI.* De poena civitatum nefandarum, *Sura XI.* De MOSE ex aquis servato, *Sura XX.* Homine Aegyptio ab illo occiso, *Sura XXVIII.* Vocato a Deo ex igne, *Sura XXVII.* Miraculis ab eo in Aegypto patratis, *Sura VIII et XI.*, ubi et commentatores nomina Magorum addunt plura, quae legas in D'HERBELOT, *Bibl. Orient. Art.* Mousa. *pag.* 643. De PHARAONE *mari rubro interemto*, *Sura VII.* De miraculis in deserto; aquarum ex rupe fontibus, *Sura II.*, ubi, praeter commentatores Arabas, conferas BREYDENBACH, *Itineraria charta*, *pag.* I., et SICARD, *Memoires des Missions*, *T. VII. p.* 14. De *Manna*, *ibid.* coll. *Sura VII.* De Iudaeorum infidelitate et poenis, *Sura II. III et IV.*, ubi AL BEIDAWI conferas. Sexcenta addere possem, sed dicta sufficiant ad demonstrandum, auctoritatem Codicis nostri Mohammedanorum testimonio confirmari.

β.) Quod clarius erit, si hoc unum addamus, honorifice admodum eos de Messia, domino nostro IESU CHRISTO, sentire, pleraque, quae de illo testantur Euangelistae et Apostoli, etiam profitentes. Veram quidem illius, ut vidimus, negant deitatem, ac *filium Dei* illum non, nisi *adoptivum*, dicunt, ob singularem ex virgine intacta nativitatem; negant et verum illius, quod nimis probrosum putant, in cruce obitum, atque adeo pro peccatis ἀντίλυτρον, sed ab oliveto per ventum in coelos ereptum, sive ab angelis introductum dicunt. vid. AL BEIDAWI et AL THALABI *ad Sur. III.* Atque ob negata illa praecipua Euangelicae veritatis capita Christianis minime

annumerandi sunt. Historiam porro Iesu infantis variis, ex Apocryphis et traditionibus, exornant fabulis, in ceteris vero non pauca nobiscum profitentur, quibus cum Euangelistarum agnoscunt veritatem et Domino nostro debitum honorem tribuunt, tum Iudaeorum, quas *Sect. I.* examinavimus, calumnias solide refutant.

Scilicet, hunc in veteri Testamento Patribus promissum fuisse, docet AHMED IBN IDRIS (ap. HOTTINGER. *Thes. Philol. L. I. C. II. p.* 163.) „Textus legis „ (ait) confirmat Prophetiam IESU, super quo Pax! „ quando dicit: *Non recedet sceptrum a Iuda, neque „ Legislator a pedibus eius, usque quo venerit Messias.* „ Id quod evenit; nec enim deerant Reges Iudaeis „ et imperium usque ad tempus Messiae, super quo „ Pax! Tunc enim facti sunt opprobrium vile et „ populus captivus. — Atque hoc argumentum evi„ dens est pro Prophetia IESU, super quo Pax! Prae„ dixit enim MOSES, piae memoriae, futuros illos „ tunc temporis vanitati addictos, veritatem autem, „ quae pulsura esset mendacium, allaturum Messiam." — Porro, qualis sit secundum illos, discas ex variis Corani locis: ibi enim audit: *omnium peccatorum expers. Sura XXIX.*, *Dei Legatus. Sura XIV.*, *miraculis inclytus. Sura V.*, *Spiritus a Deo* et *Verbum Dei. Sura II et IV.*, ubi et *Messias*, *Dei nuntius:* quin *Sura III:* 58. *similitudo* IESU *coram adspectu Dei est sicut similitudo* ADAMI, *quem ex pulvere creavit Deus.* Locus etiam illustris est *Sura V:* 54. *Subsequi fecimus vestigia Prophetarum* IESUM *filium* MARIAE, *confirmantem, quod traditum fuerat ante eum in Pentateucho, et dedimus illi Euangelium, in quo est directio et lux, confirmante illud, quod traditum fuit ante in Pentateucho, et directio et commonitio timentibus Deum. Mediatorem*, id est, *Intercessorem* eum iidem profitentur,

unde AL BEIDAWI *ad finem Surae LI: Qui legit hanc Suram, pro eo* IESUS *orat, veniamque peccatorum pro illo petit, quamdui superest in hoc mundo; in die autem resurrectionis socius Illius est et* MOHAMMEDIS. Rediturum porro, qui Antichristum deleat, *Sura XLIII.* Loca pauciſſima adiiciam, quibus Iudaeorum calumniis obviam itur, et immaculata IESU e Spiritu S. conceptio, atque ex virgine intacta nativitas docetur, additas licet fabulas hic illic referant. Sic *Sura III:* 45. „Cum dixerunt Angeli: ô MARIA! certe „ Deus adnuntiat tibi verbum ex ſe: nomen eius erit „ Meſſias, IESUS, filius MARIAE, conſpicuum in hoc „ mundo et in futuro ſeculo, et ex Approximatis „ Deo. ---- Reſpondit: Domine mi! quomodo erit „ mihi proles et non tetigit me homo? Dixit Ange„ lus: Sic Deus creat, quod vult: cum decrevit rem, „ profecto dicet illi: Eſto! et erit." Ad quem locum (ut ad alios Moſlemorum errores reſpondeamus) breviter notandum, quod ALGAZEL in *profeſſionis Symbolo* recte diſtinxerit inter *verbum* duplex, quorum alterum dixit انى قديم قائم بذاته *aeternum, ſine principio ſubſiſtens in eſſentia eius*, alterum, *quod legitur linguis, ſcribitur in libris, et cuſtoditur in cordibus.* Quum vero, CHRISTUM dicere *verbum Dei* ſecundi generis, ſit abſurdum, ſequitur, eſſe illum *verbum Dei aeternum, ſubſiſtens in eſſentia Dei*, quod Chriſtiani profitentur. Inepta ſane IALALO'DDINI exceptio, quod Meſſias dictus ſit *verbum Dei*, quia *creatus eſt a Deo per verbum* ESTO! ſic enim τὸ πᾶν eſſet *verbum Dei*; et AL BEIDÂWI, quia *exſtitit ſine patre per imperium Dei*, ſic enim et ADAMUS; et aliorum, *quia verbis ſuis religioni profuit*; profuerunt enim Prophetae, Apoſtoli, et, ut ipſis placet, MOHAMMED, nullus vero horum *verbum Dei* nuncupatur. — Magis ridiculum, neque refutatione dignum,

quod

quod *ad Suram LXVI:* 14. de titulo ـــــه الـ روح *Spiritus Dei*, vel ـــــه الـ من *ex Deo*, notavit interpres: *id est, de Spiritu nostro* GABRIËLE; *quando insufflavit in aperturam tunicae eius ad collum, efficiente Deo, afflatus eius pervenit ad matricem eius et ex eo concepit* IESUM. conf. MARACC. *fol.* 117. — Legatur fusius angeli et Mariae colloquium de IESU *Sur. XIX.* Similiter legas *Sura LXVI:* 13. MARIA *custodivit virginitatem suam, et insufflavimus in eam de Spiritu nostro, et credidit in verba Domini sui.*

Plura addere non lubet vela contrahentibus. Neque instituto defuisse mihi videor, qui dilucide satis demonstraverim non solum nihil, a Mohammedanis etiam, in Christianae religionis veritatem allatum esse, quo ipsa labefactetur, sed plurima contra in eorum scriptis reperiri, quibus eadem illa veritas mirifice firmari ac corroborari possit. Q. E. D.

Esse equidem scio, quae istis, quae huc usque disputavimus, ab incredulis religionis hostibus regeri queant, neque sine brevi responsione sint praetermittenda.

I. Primo urgent; „ Nos parum Mohammedanorum testimoniis profeciisse, qui cuncta, in quibus „ consentire nobiscum inveniuntur, non aliunde, „ sed ex ipsis iis libris (de quibus disputatur) hau„ serunt."

Concedimus, quod multarum historiarum notitiam sacris literis debeant Moslemi, atque ita non tantum valeat eorundem testimonium, quantum gentilium, totius revelationis, et Iudaeorum, novi Testamenti hostium infensissimorum. Neque tamen eo concedimus consequentiam, nempe, eorum testimonio nihil profici posse ad tuendam religionis veritatem. Scilicet novam suam religionem exornaturus MOHAMMED, omnem quidem Idololatricam Arabum suorum religionem fun-

ditus evertit, nulla traditionum, vel etiam librorum suae gentis, ratione habita. Iudaicam vero et Christianam religionem aeque aggressurus, vi veritatis commotus non ausus est sacras illorum historias, et codicum sacrorum θεοπνευσίαν, negare, quod certe, si fieri posset, feciſſet, sed suam potius doctrinam ad eos conformare, pristinasque, quas dubias reddere non poterat, revelationes, sub specie emendationis, interpolare et in rem suam trahere annisus est. Accedit, quod in ipsis illis oris habitavit, aut saltem proximas illis habuit, quibus historiarum sacrarum tam veteris, quam novi Testamenti maxima pars evenit, Aegyptum puta, Arabiam et ipsam Palaestinam, quibus complurium historiarum memoriam, fabulis etsi involutam, vetus traditio servaverat, aut etiam ipsa indicia et monumenta probaverant; quae cuncta certe cum accuratissime explorarent cum ipse MOHAMMED, tum callidissimi illius adiutores, neque minori industria, quibus invisus fuit, Meccani, aliique Arabes, nihil tamen unquam inventum fuit, quo minus cuncti tandem et singuli omnes illas historias, et ipsorum sacrorum librorum originem divinam, uno et pari consensu acciperent, et in hunc diem tenacissime defendant. Quod certe pro veritate nostra certissimum est argumentum.

II. Instant: „Easdem tamen historias tot variis „additamentis corruptas esse, ut pro earum ve„ritate, uti in S. literis narrantur, vix a Moslemis „testimonium peti posse, immo, easdem cum iis es„se, vix demonstrari posse videatur."

Hoc si nimis urgeretur, utique robur adderet nostro argumento. Si enim non iisdem ex fontibus nobiscum hauserint, testimonium haberemus totum quantum *exoticum*, quo cadat, quod modo obiectum fuit, illos nempe ex sacris literis ea petiisse, quae

quae nobiscum habent communia. Verum, quod res est, limpidissimos habuisse fontes non videtur MOHAMMED, facile ergo deceptus in rerum, quas dicunt, circumstantiis vel a Iudaeis, Talmudica sua, vel ab Haereticis, pseudo-Euangelia sua et commenta veritati addentibus, quae ab hac discernendi facultas ipsi non fuit. Vera ergo cum crederet, quae ab hominibus istiusmodi accepit, ea addidit iis, quae ipse vera esse, ex popularium suorum traditione, ipsis rerum gestarum vestigiis et monumentis, et rerum ceterarum accurata investigatione, cognosceret. Nos autem, qui fabulosa additamenta ab ipsis historiis facile dignoscimus, aliis omnino adminiculis adiuti, illa merito reiicimus, pro his vero, aliunde cognitis et certissime probatis, Moslemorum etiam testimonia tuto admittimus.

III. At (inquiet forte nonnemo) „Non aeque solum, sed multo acrius Corani sui θεοπνευστιαν defendunt Mohammedani cuncti, quam veteris et novi codicis; divinamque *prophetae sui* missionem, „ quam MOSIS et IESU: unde aut nihil valet eorum „ testimonium, aut, si valet, in uno aeque atque altero iis fidem habeamus, oportet."

Virtus si quando in hoste laudanda, non tamen in hostium castra transiliendum. Nam a.) veritatem Euangelicam non defendimus *unica et sola* Mosemica auctoritate, qua *sola* tamen Corani θεοπνευστια nititur; sed nihil vetat, quo minus pro veritate, aliunde confirmata, argumenta quoque ab hostibus petamus, qui ab eadem in multis aliis aberrant, vel ipsam etiam maximo odio persequuntur b.) religionis Christianae veritatem contra MOHAMMEDIS sequaces tuemur *oraculis*, quae ipsi non inficiantur; *historiis*, quas ipsi veras esse defendunt; *miraculis*, quae in dubium ipsi non vocant; dogmatum, quae respuunt, arctissima

cum illis cohaerentia, quae nobiscum ipsi profitentur; et revelationis tam Iudaicae, quam Christianae sanctitate et maiestate, quam nobiscum ipsi reverentur: nec video, quid ad hanc argumentandi rationem ab aequis rerum arbitris obiici queat. c.) *Coràni* vero auctoritatem, et religionem ei superaedificatam reiicimus, non ob ea, in quibus veritati consentanea docet, sed propter multa, eaque maximi ponderis, quibus longissime recedit ab iis scriptis, quorum auctoritatem *vere divinam* nobiscum profitentur, et quorum integritatem ab iis dedimus defensam; ob ipsas veritates, a gĕnuina earum indole ad suas opiniones contortas, uti v. c. decantato illo لا اله الا الله *non est Deus nisi Deus*, quod verissimum, si de *unitate Dei essentiali* accipias, falsissimum vero, si cum iis *S. S. Trinitatem* eadem formula abiures; ob aliam longe, quam quae est in S. literis, pietatis et salutis viam, spreta, in qua unice gloriari docemur, cruce et morte Domini; ob tot, quibus totus ille liber scatet, superstitiosas et plus quam aniles fabulas: v. c. de vitulo aureo Israelitarum, animato a Samaritano quodam per pulverem pedum equi GABRIĔLIS angeli. vid. *Sura VII:* 144 et ad eam IALALO'DDIN; de arca quadam cum crepidis et baculo MOSIS et reliquiis familiae Aäronicae per angelos ad Regem SAULUM deportata. *Sura II:* 249.; de SALOMONE Rege hominum, daemonum et volucrum, de quo mira narrantur *Sura XXI:* 28 et *XXVII:* 17.; item, de MOHAMMEDE, qui Coranum daemonibus praelegerit, eosque ad veram fidem redegerit *Sura XLVI:* 29., quibus addas, quod de duobus angelis ebriis narratur, pudicitiam feminae tentantibus in *Doctr. Mohamm.*, quae ex Arabum sermone Latinitate donata prodiit *Basileae* A. MDL, taceo de MOHAMMEDIS itinere per coelos, et aliis sexcentis eiusmodi; quibus

bus nonnulli sextae feriae, id est diei Veneris, celebrationem annumerant, (quam *diem congregationis* vocant) sive ob hac die absolutum creationis opus; sive quia eadem natus, aut Medinam ingressus fuerit Propheta; sive quod ea, idolis et festis sacrata, nunc a MOHAMMEDE cultui divino dicata fuerit, hac in re non magnopere culpando, cum prioris aevi Christianos imitatus sit, qui diem XXV Decembris, *solis invicti natalibus* dicatam, memoriae *nati Sospitatoris* IESU consecrarunt; denique, ob stolidas, easque multas, ἀνισοπίας, temporum et personarum commutationes, quarum nonnullas iam § 3 notavimus, quibus addas, quod *Sura XIX:* 31. MARIA *virgo* eadem sit quae MIRIAM, *soror* MOSIS, et quod Iudaei a Deo puniti dicantur per GOLIATH et NEBUCHODONOZAR, quia ZACHARIAM *prophetam eiusque filium*, IOANNEM *Baptistam*, occiderant. *Sur. XVII*, ubi IALALO'DDIN et ZAMAKHSHARI, commentatores, consulas.

Sed ista hactenus. *Mohammedanos* ex professo refutarunt e veteribus, IO. DAMASCENUS, PET. PASCHASIUS, PETRUS *Abbas Cluniacensis;* e Graecis, ipse IOANNES CANTACUZENUS *Imperator*, *Constantinopolitanus.* e Pontificiis, PHIL. GUADAGNOLUS in *Apolog.* Arab. et Lat. contra AHMED *filium* ZINI, Principem Persarum, cui etiam BONAVENTURA MALVASIA respondit, et, post nonnullos alios, qui Hispanica, Italica et Latina lingua scripserunt, quos inter LUCHESINI et SANZIANUS eminent, latissime MARACCIUS. Hi vero omnes sectae suae ritus, ceremonias, cultum et statuta, infeliciter cum defendenda religione Christiana confundunt, ceterum multa doctissima dederunt et egregia. E Protestantibus legas Ill. GROTIUM *de Verit. Rel. Christ. L. VI.*, DANHAWER, *Dissert. partic.*, HOTTINGER. *Histor. Orient.*, HOORNBEEK, *Summae Controv. L. III. p.* 73-210., STAPFER, *Theol. Polem.*

T. III.

T. III. C. XI. Sect. II. p. 289-349. Neque conferre omittas duumviros, in hoc genere exercitatissimos, nec partium studio indulgentes, RELAND. *de Relig. Mohammedica*, et LUDEKE in *Imperii Turcici Descriptione.* Nos vero haec mittamus, cum constet, *per hosce serioris aevi adversarios nihil perdidisse, multum vero lucratam esse Euangelicae religionis veritatem.* Q. E. D.

CAPUT II.

§ 1.

Breviter itaque pro rerum copia praecipuas Mohammedanorum obtrectationes, praecedenti capite, tractavi. Cognoveram enim saepius, totam illorum religionem, doctrinam, Coranum, multo magis eiusdem commentatores, doctores polemicos, et quae in nostram religionem afferre soleant, haec ergo nostrae non tantum plebi, sed et viris, ceterum doctis et literatis, pene incognita esse, saltem minus percepta. Ab altera vero parte multi eorum, quibuscum res nobis erit in sequentibus, quo Christianae religioni magis nocerent, Mosemicam iis laudibus evexerunt, ut hanc illi longe anteponendam dicerent, quin et eorum, qui, aut suorum mendaciis occoecati, aut dissolutioris vitae cupidi, aut denique rebus suis, fortuna et honore, in patria perditis, ad Mohammedanos transierunt, non desunt exempla, quae plures ad imitandum sumerent, nisi circumcisionis periculum et dolorem, et Ottomannicum imperium, effrenatae licentiae, quam impense amant, maxime contrarium, reformidarent, aut etiam aliorum renegatorum, qui dici solent, exemplis, quos mutatae religionis et conditionis cito poenituit, deterrerentur.

Nunc

Nunc vero ad alios omnino religionis hostes recentissimos transimus, qui cum, quod dolemus, nimis cogniti sint a nostrae aetatis cuiusvis ordinis hominibus, non est, quod in iis contemplandis simus longiores, ea tantum, quae huic dissertationi conveniant, pauciſſimis tractaturi.

A quo enim tempore ingravescenti barbariei et scholasticorum nugis cuncta miserrime succubuere, non adeo, nisi in uno alterove Haeresiarcho, brevi exstincto, apertos religio Christiana, in occidente saltem, hostes experta est; sed vix ac ne vix quidem cognita etiam fuit, nisi pauciſſimis, quos, media quasi nocte, salutari veritatis luce collustravit divina Servatoris nostri gratia. Ceterum praevalebant tum temporis praeiudicia auctoritatis, superstitionis et ignorantiae, quibus orta credulitas Ecclesiasticos et Monachos, ipsos plerumque indoctos, aut hypocritas, paucis exceptis, ea munivit dictatoria potestate, ut placita sua tanquam ex tripode edicerent. Cum autem feliciſſimo Reformationis tempore, praesertim post magnum LUTHERUM, excusso auctoritatis Aristotelicae iugo, et ruptis tenebricosae superstitionis vinculis, liberius philosophari inceptum fuerit ab iis, quorum animus odit difficiles habere nugas, disciplinae pristino splendori restituebantur, et renata fuerunt studia, quae inculta et inornata diu iacuerant. Crevit in immensum veritatis amor, linguarum et antiquitatum sacrarum cognitio, sacri codicis lectio et purior exegesis, atque hinc pristinae suae simplicitati et Apostolicae puritati restituta fuit Christiana, a sordibus suis liberata, religio. Verum enim vero, ea est hominum, post lapsum infeliciſſimum, imbecillitas et corruptio, ut, in peius ruentes, maximis benigniſſimae providentiae beneficiis abutantur, et Charybdin vitare cupientes in Scyllam incidant, et a

foediſſima ſuperſtitione in inſanioris incredulitatis caſtra facile tranſeant, non φιλαληθείας, ſed novitatis, non libertatis, ſed licentiae ſtudio allecti.

Hinc, ipſis Reformationis temporibus, maxima illa orta fuit Fanaticorum et Libertinorum, qui dicuntur, familia, cui, poſt diligentiſſimum CALVINUM, ſe oppoſuit, quicquid cordatiorum virorum iſta aetas tulit; hinc SERVETI, aliorumque errores et blaſphemiae; hinc Monaſterienſium inſana rebellio; hinc SOCINI ceterorumque haereſes abominandae; hinc Calvinianorum, Zwinglianorum, Lutheranorum, Catabaptiſtarum, aliorumque ſchiſmata et mutua bella, cum quiſque pro ſuis opinionibus, et vero logomachiis, ſaepiſſime in honorem et commodum privatum, quaſi pro ipſo Euangelio, pugnaret; hinc (nam quid cuncta enarrem?) Arminianorum a veritate ad antiquos errores receſſus; Presbyterianorum et Epiſcopalium vana diſſidia; Independentium licentia; et recentiorum complurium nova philoſophemata, dicam, an deliria? De quibus, et multis eiusmodi, amplius hic diſſerere non vacat.

Verum iisdem ex fontibus novus etiam exſtitit revelationis, atque adeo religionis Chriſtianae hoſtium ordo, qui, ſpreta divina auctoritate, ipſius veritatis natura, tot argumentis comprobata, ſocietatis denique humanae felicitate et tranquillitate evicta, ſibi ſufficere, neque, in cognoſcendo faciendoque, divina ope indigere ſibi videntur, tenuitatis ſuae, quam in ceteris quotidie experiuntur, obliti. Illi nempe ingenio ſuo indulgentes, diverſi alter ab altero, ſaepe a ſe ipſis, in religionem Chriſtianam inſurgunt, obiectionibus ſuis eam petunt, hinc inde petitis ratiociniis aggrediuntur, ſaepiſſime etiam conviciis onerant, riſui exponunt, cachinnis pro argumentis uſi: omnia tandem dogmata oppugnant, cultum ſpernunt, θεοπνευ-

θεότητα negant, et Christianos ex animo credentes, doctores maxime et defensores odio persequuntur, conviciis petunt, aut ut idiotas et homines nihili, et vero ut Pharisaeos et hypocritas, rident et contemnunt.

Pinxisse me, nemo non videt, eos, qui *Deistarum* vel *Naturalistarum* nomine, per hoc seculum, eoque amplius, in Euangelicam veritatem surrexerunt; quos, ut in plerisque ὁμωνύμοις, eosdem nonnulli censent, alii distinguunt, qui *Deistarum* nomine eos complectuntur, qui Deum creatorem, rerum mundanarum rectorem, et legis moralis vindicem, non negant; *Naturalistarum*, qui Deum, sed inertem, nostraque nihil curantem, docent, aut *naturae* (nomini inani) cuncta tribuunt, re vera aut Pantheismi et Fatalismi patroni, aut Epicureorum de deo et mundo placitis sese accommodantes.

Quilibet sentit, me, si cuncta eorum nomina, aut scripta recenserem, quibus easdem frivolas, aut fictas etiam difficultates, quibus millies responsum fuit, millies iidem repetunt, studiose omissis iis, quae a Christianae religionis defensoribus toties fuerunt reposita; si per omnia, cum religionis capita, tum sacro volumine contenta, excurrerem, omnibus et singulis obiectionibus responsurus, quod ab aliis integris libris factum est; me, inquam, brevitatis promissae non tantum fore immemorem, sed dissertationis finem non facile inventurum. Paucis ergo in antecessum monitis, eodem, quo coepi, pede pergam, ostensurus. א. Tanti religionis nostrae odii causas contra ipsos militantes. ב. Veram religionem ex ipsorum obtrectationibus nihil detrimenti accepisse. ג. Contra, multum iis veritatem fuisse lucratam. Rem vero totam brevissimis rationibus, et indicatis tantummodo fontibus, absolvemus.

In anteceſſum moneo,

α.) *Naturalem* religionem licet intactam non relinquant plurimi, maxime tamen ab iis peti *Revelatam*; quo ſpectat ſyſtema EDUARDI HERBERTI, Baronis DE CHERBURY, in libris, quos ſcripſit *de Veritate et Cauſis Errorum*, quibus, omnem ſalutarem religionem his quinque articulis determinari poſſe, docuit: 1.) *Eſſe Deum.* 2.) *Colendum eundem quovis demum cultu, etiam Idololatrico.* 3.) *In virtutem et pietatem incumbendum.* 4.) *Reſipiſcendum a peccatis.* 5.) *Praemia et poenas post hanc vitam exſpectandas.* Hunc vero etſi proxime ſequitur CHARLES BLOUNT in *Religione Laici* et *Oraculis Rationis*, cave tamen, credas, illud commune adverſariorum eſſe ſyſtema; nullum enim (primum ſi forte exceperis, peſſime tamen explicitum) articulum vides, qui non ab uno alterove illorum aut reiectum, aut ſibilis exploſum fuit. Hunc vero primum nominandum duxi, quia primus Deiſtarum Seculi XVII inter Britannos habetur, aliis deinceps in peius abeuntibus. vid. LELAND *de Scriptis Deiſtarum T. I.*, qui et Baronis figmenta refutavit, *ibid. Ep. I et II. pag.* 1-60., coll. *Ep. IV. p.* 76., et BUDDEO *de Atheismo et Superſtit. C. I.* § 27., SPANHEMIO, *Elench. Controv. Opp. T. III. fol.* 995.

β.) Quando autem *Deiſtas*, aut *Naturaliſtas* voco, non quosvis volo incredulitati initiatos, iuvenes plerumque, cupiditatibus ſuis deditos, qui ingenui, et ſupra vulgus eminentes eſſe iudicant, ſeria quaevis ludibrio habuiſſe, ceterum, quam ſpernunt, religionis ignari, et non, niſi ex hoc illove anteſignanorum libello, animum et mores corrumpente, ſapientes. Tales ſunt, de quibus RAPIN, *Reflexions ſur la Philoſophie Anc. et Moderne. p.* 357. „Il y a quelques fois „ des gens ſi volages, ſi credules et qui s'abandon„ nent tellement, que les rêveries des autres leur

„ ſer-

„ ſervent de raiſon et de conduite: L'eſprit de ſer-
„ vitude s'etend iuſques ſur leur coeur et ſur leur
„ penſées; parce qu'ils n'ont pas la force de conſer-
„ ver de la liberté, pour avoir eux-mêmes des ſen-
„ timens." Tales ſi forte inveneris (inveni ſaepiſſime) non tam malae indolis, quam ſenſualitate, quae dicitur, et prava conſuetudine corruptos, haud quaeſo contemſeris, ſed amice, prudenter, hilari vultu et animo candido, erudias, ad ſtudia et virtutem allicias, in inveſtiganda veritate adiuves et dirigas, continuiſque precibus Deo et Servatori perditorum commendes; non unum hac ratione, primum ad ruborem, dein ad ſtudium veritatis, et hinc in rectam viam redeuntem vidi.

Hoſtes vero illos dico, qui varia de cauſa Deismum vel Naturalismum profitentur, ore et calamo religionem inſectantur, et, quas argumentis vincere non poſſunt, veritates, riſui plerumque exponunt; quos inter acutiſſimi et callidiſſimi quidam reperiuntur, neque eruditionis laude deſtituti. Abſit vero, ut omnes, praeſertim inter irriſores, eo nomine digni cenſeantur: ingens enim eorum, maxime inter Gallos, numerus, de quibus idem RAPINUS *l. l.* „Mais ce, qui
„ eſt plus étrange, c'eſt qu'il ſe trouve auſſi quel-
„ ques fois des genies obſcurs et profonds, dont les
„ idées ſont naturellement embaraſſées, qui ſe font
„ toutes fois écouter comme des oracles et qui s'ac-
„ quierent une maniere d'empire ſur les eſprits ſans
„ qu'on ſache pourquoi: ſi non parce qu'ils ſont plus
„ fiers dans leurs deciſions que les autres, et ces
„ gens la ne ſe donnent de l'autorité, que parce
„ qu'ils ont de la préſomtion et de la hardieſſe.

γ.) Magnum igitur diſcrimen ſpeciei in hoc adverſariorum genere feciſſe oportet, ne forte eruditos cum idiotis, philoſophos cum ſtultiſſimis, et argumentato-

res cum irrisoribus, praeoccupatos cum nugatoribus, id est, SHAFTESBURY cum CHUBB, HUME cum LA METTRIE, MONTESQUIEU cum TOLANDO, et ROUSSEAU cum VOLTAIRE confundas, qua de re plura monui in *Dissert. Belgica ad pag.* 55.

§ 2.

Hisce praemonitis, ad *causas tanti odii*, quo isti veritatem Euangelicam persequuntur, progredimur, quae pro vario illorum ingenio variae, et maxime diversae, inveniuntur.

a.) Communis omnibus causa, eaque omnium prior, dicenda est *superbia*. Sive eam spectes ingenii superbiam, quae, cancellis suis circumscribi nescia, turpe sibi ducit, in rebus maxime obscuris aliquid ignorare, et, licet infinita quotidie occurrant, ad quorum penetralia menti nostrae aditus non patet, coelestia tamen et terrestria sibi patere, et infinitam quoque summi et aeterni numinis naturam, decreta, opera denique cuncta, finito homuncionum ingenio perfecte cognosci posse somniat: longe aliter, quam magni illi duo philosophi, alter CARTESIUS, qui „ memoriae nostrae, inquit, pro summa regula est in„ figendum, ea, quae nobis a Deo revelata sunt, ut „ omnium certissima esse credenda, et quamvis forte „ lumen rationis, quam maxime clarum et evidens, a„ liud nobis suggerere videretur, soli tamen *auctori„ tati divinae* potius, quam *proprio nostro iudicio* fi„ dem esse adhibendam." *Princip. Philos. Part. I.* §76. et RAPINUS *l. l. p.* 447: „La Foi aïant detrompé l'hom„ me des fausses lueurs, qui avoient brillé dans la „ Philosophie des Païens, elle l'accoutuma a ne plus „ raisonner sur les choses, que Dieu n'a pas voulu „ soumettre au raisonnement, et elle lui apprit, qu'il

„ vaut

„ vaut mieux ne pas ſavoir ce, que Dieu a voulu lui „ cacher, et adorer avec une ignorance reſpectueu- „ ſe les ſecrets, qu'il ne nous a pas revelés, que „ d'entreprendre de ſonder cette abime de lumieres „ par la temerité de nos coniectures et par les foi- „ bles vues de notre raiſon." — Sive illam mentis ſpectes philautiam, quae hoc peculiare revelationis dogma reſpuit, „Nos miſerrimos, impura nativitate „ infectos, in quocunque malitiae genus proclives, „ et ad ullam veri nominis virtutem praeſtandam vi- „ ribus penitus deſtitutos, non, niſi ex gratuita ipſi- „ us Dei miſericordia, pretioſiſſimo ſanguine ipſius „ Dei Filii cum illo reconciliandos, et non niſi ipſi- „ us Spiritu regenerandos et ſanctificandos eſſe." Quo per ſuperbiam negato, inviti ipſi et inſcii ſacris literis publicum praebent teſtimonium, quae corruptiſſimi animi, et in ipſum Deum hoſtilis, omnes et ſingulos ADAMI poſteros incuſant. — Sive denique illam conſideres ambitionem, qua doctiores videri cupiunt. Hinc in novas ſententias quotidie ruunt, quae eo magis placent, quo alieniores ſint ab antiquitate et vulgari conſuetudine, cui vitio qui indulgent, non adeo intellectus ſui ductum, quam phantasmata ſequuntur, quorum foetus ineptos, tanquam veritates apodicticas, orbi obtrudunt, aut, ſi minorum gentium ſint, in magiſtrorum ſuorum verba adeo iurant, ut aliorum iudicia, licet ſaniora, tranquille audire nequeant, omnia miſceant, omnia turbent, omnia derideant, ne aut ſui erroris convincantur, aut veritati palmam tradere cogantur.

b.) Accedit *ignorantia*, aut *perverſa et praeconcepta opinio*. Obſervat enim recte STAPFER, *Theol. Polem. T. II. C. X.* § 14., unam ex praecipuis Naturalismi cauſam eſſe perverſum intellectum de religione revelata, ac ſi, per hanc, religionem naturalem veram eſ-

ſe

se et salutarem negaremus: Quod de illa in se spectata concedimus ultro. Quod vero haec non sufficiat homini *lapso*, id nihil detrahit illius veritati et perfectioni in se, sed ex statu hominis, a primaevo mutato, ortum trahit. Conf. quae ibidem leguntur § 73-135. addas ZIMMERMAN, *Medit. de praestantia rel. Christ. collatae cum philosophia Socratis. opp. T. I. p.* 549., I. G. ZIERLIN, *Briefe uber die Frage: Saget denn die vernunft in der that so viel von Gott und seinen Eigenschaften als die Bibel? Berlin* MDCCLXXXI., GELLERT, *Lect. Moral. T. I. Sect. I. Lect.* 3., IACOBI, *gewigtige stukken van den Godsd. Part. II. C. XV. p.* 281-368 edit. Belg., quam adornavit rev. D. VAN VOORST. Haec vero ignorantia, plurium exemplo facile probanda, non excusanda est in hominibus, qui Philosophiam iactant, praesertim Britannis, quibus meliora discendi occasio abundat; magis vero excusanda in Gallis, plerumque, ex genio gentis, levioris ingenii, ad rerum superficiem haerentibus, nec ad interiora penetrantibus, qui praeterea religionem Christianam non, nisi traditionibus, superstitionibus, falsorum miraculorum narrationibus et innumeris fabulis depravatam, noverant; quanquam ex nonnullis ipsius VOLTAIRII scriptis clarissime constat, probe sciviſſe illum, religionem a superstitione, quantum aera lupinis, distare. Liceat unum alterumve locum adiicere ex elegantissimo carmine, quo HENRICUM IV cecinit, unde patebit VOLTAIRIUM unum fuisse τῶν ἑκουσίως ἁμαρτανόντων μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας (*Hebr. X:* 26.) Sic enim *Chant IV* differentiam Romanae et Purioris religionis vivis pinxit coloribus.

Près de ce Capitole, ou régnaient tant d'allarmes
Sur les pompeux débris de Bellone et de Mars
Un Pontife est assis au trône des Césars.
Des Prêtres fortunés foulent d'un pied tranquille

Les

Les tombeaux des Catons et la cendre d'Emile.
Le trône eſt ſur l'autel et l'abſolu pouvoir
Met dans les mêmes mains le ſceptre et l'encenſoir.
Là, Dieu même a fondé ſon Egliſe naiſſante,
Tantôt perſecutée et tantôt triomphante:
Là, ſon premier Apôtre avec la verité
Conduiſit la candeur et la ſimplicité.
Ses ſucceſſeurs heureux quelque tems l'imitèrent
D'autant plus reſpectés que plus ils s'abaiſſèrent.
Leur front d'un vain éclat n'était point revêtu;
La pauvreté ſoutint leur auſtère vertu;
Et jaloux des ſeuls biens, qu'un vrai Chrêtien deſire
Du fond de leur chaumière ils volaient au martyre.
Le tems, qui corrompt tout, changea bientôt leurs moeurs &c.

Et paulo inferius veri nominis Chriſtianismum, ſaepius a ſe deriſum, hisce ornat laudibus:

Loin du faſte de Rome et des pompes mondaines,
Des temples conſacrés aux vanités humaines,
Dont l'appareil ſuperbe inpoſe à l'univers,
L'humble Religion ſe cache en des déſerts,
Elle y vit avec Dieu dans une paix profonde;
Cependant que ſon nom profané dans le monde
Eſt le prétexte ſaint des fureurs des Tyrans,
Le bandeau du vulgaire et le mépris des grands.
Souffrir eſt ſon deſtin, benir eſt ſon partage,
Elle prie én ſecret pour l'ingrat, qui l'outrage;
Sans ornement, ſans art, belle de ſes attraits
Sa modeſte beauté ſe dérobe à jamais
Aux hypocrites yeux de la foule importune,
Qui court à ſes autels adorer la fortune.

Addas elogia, quibus ornat MORNAEUM noſtrum (nobiliſſ. DUPLESSIS-MORNAY) cuius cognovit egregium opuſculum, quod *pro verit. rel. Chriſt.* edidit, ea licet intermiſceat VOLTAIRIUS, quibus Pontificiis placeat.

MORNAY son confident, mais jamais son flatteur,
Trop vertueux soutien du parti de l'erreur,
Qui signalant toujours son zèle et sa prudence,
Servit également son Eglise et la France;
Censeur des courtisans mais à la cour aimé,
Fier ennemi de Rome et de Rome estimé.

Et *Chant IX.*

Non moins prudent ami que Philosophe austère
MORNAY fut l'art discret de reprendre et de plaire.
Son exemple instruisit bien mieux que ses discours,
Les solides vertus furent ses seuls amours,
Avide de travaux, insensible aux délices,
Il marchait d'un pas ferme au bord des précipices.

Plura addi possent, nisi haec sufficerent ad probandum, non singulos, in specie non VOLTAIRIUM, ex insciția et errore, ut alii non pauci, sed ex malitia et odio in religionem Christianam ex libidine orto, res suas egisse.

c.) Iungitur his in aliis *mentis ignavia*, laborem molestae investigationis cane peius et angue effugiens, qua multa in S.S. irridentur, quae, si linguarum indolem, gentium mores, temporum et locorum rationem perspicerent oblocutores, plana et perspicua viderentur: quae maxime crescit ignavia, si, ut plerique, in id tantummodo incumbant, quod *delectat*, non quod *instruit*, adeoque ideas oblatas praecipitanter vel coniungant, vel disiungant, ne delectationi mora iniiciatur, vel aliquid decedat.

d.) Accedit porro in compluribus (multa alia mitto) *vitae dissolutioris flagrans cupido:* hinc naturale sequitur in illas veritates sanctissimas odium, quae vivendi, quem instituunt, modum castigant, conscientiam, Dei vicariam, fatigant, et, ne omnium nefandorum votorum compotes fiant, cum in aliis, tum in iis ipsis, ponunt impedimentum. Quantum enim mens hu-

humana occoecetur affectuum clandestinis blanditiis decepta, exquisite meminit PASCAL. *Pensées. p.* 173. *n. X.* „La volonté est un des principaux organes de „ la creance: non qu'elle forme la creance, mais „ parceque les choses paroissent vraïes ou fausses se- „ lon la face par ou on les regarde. La volonté, „ qui se plait a l'une plus qu' à l'autre, detourne „ l'esprit de considerer les qualités de celle, qu'elle „ n'aime pas: et ainsi l'esprit marchant d'une pièce „ avec la volonté, s'arréte à regarder la face qu'elle „ aime, et en iugeant parce qu'il y voit, il regle in- „ sensiblement sa creance suivant l'inclination de la „ volonté." — „Que ne fait-on point (addit RAPI- „ NUS. *p.* 356.) pour parler autrement, que les autres „ et pour se faire de la reputation de quelque mani- „ ere que ce soit? Mais, comme ce n'est que de la „ licence des moeurs que vient celle des sentimens, „ il faut des barrieres à l'esprit pour le retenir dans „ les bornes. La religion, les loix, la coutume, l'e- „ ducation, les peines, les récompenses sont des con- „ siderations, qui doivent lui servir de frein, quand „ il prend l'effort: encore se revolte t'il quelque fois „ contre tout cela et quand une fois il a secoué le „ joug, pour aller au delà des opinions ordinaires, „ il n'y a point d'extravageance, dont il ne soit ca- „ pable." — Ita enim verum est, quod ipse IESUS O. M. dixit IO. *VII*: 17. Ἐάν τις θέλῃ τὸ θέλημα ποιεῖν τοῦ πέμψαντός με, γνώσεται περὶ τῆς διδαχῆς, πότερον ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστιν, ἢ ἐγὼ ἀπ' ἐμαυτοῦ λαλῶ.

e.) Liceat hic addere, *evertendi omnem in Europa cum religionis, tum* rei Civilis *formam, coniurationem*, maximè coeptam a Cardinali DU BOIS, tempore LUDOVICI XIV, quo pertinent cum labores ROBINETI, auctoris famosissimi libri, *La Nature ou l'homme moral et phisique*, tum DIDEROTI *Systême de la Nature*,

CODORCETI *Les progrès de l'esprit humain*, opera Cosmopolitana MIRABEAVII, et omnium instar *Les archives mystico-hermétiques*, editae sub auspiciis Ducis tum Chartrensis, qui deinceps fuit notior nomine DUC D'ORLEANS et PHILIPPI EGALITÉ: quibus iungas principia Theosophica, disseminata per librum famosissimum, *Des Erreurs et de la verité* et huic simillimum, *Tableau des rapports entre l'homme, Dieu et l'Univers.* — Plurima addere possem, nisi retineret prudentia: sed nemini ignotum sit, oportet, egregium, quod hoc ipso anno, communi bonorum applausu, prodiit opusculum: *Preuves de Conspiration contre toutes les Religions et tous les Gouvernemens de l'Europe, receuillies par* IOHN ROBISON, A. L. M. Prof. Physices et Academiae Regiae Edinburg. à Secretis. *Lond.*, XCVIII, quod omnibus vehementer commendo, non una de causa legendum.

§ 3.

Detectis odii causis, non difficilis erit, quam suscepimus, demonstratio; *hominum istiusmodi obtrectationes nihil detrimenti veritati Christianae attulisse, vel allaturas umquam:* quod itidem brevissime sumus ostensuri.

Haec tamen dicendo non inficior, non quidem *causae nostrae*, sed *nostris* illorum conatus quam plurimum nocuisse: nimis enim nostri temporis credula iuventus; perversa liberos educandi ratio; parentum ipsorum in religione tepor; domesticae institutionis neglectus; quid audiant, legant, faciant, quibuscum versentur liberi, minima cura; mundus intempestivus; colloquia prava; amores illiciti, et, qua omnes deteriores fieri solemus, licentia effrenis, latum istiusmodi magistris ostium aperuerunt. Huc si accc-

cedat ingenium praecox, vis mentis vivida, natura vehemens, repetita libellorum, qui lasciviam suadent et seria rident, lectio, mirum est, si animus iuvenilis, in revelatae religionis veritatibus parum versatus, praeterea, ut consuetudini satisfiat, imperito cuidam Catechistae, obiter et male docenti, traditus, callidissimorum corruptorum retia effugiat. Hic enim, si forte cachinnis, cum argumenta desint, religionem et religiosos explodit, socii ingenuum, imperiti eruditum, puellae facetum et elegantem dicunt, ipse sibi eo generosior, quo infidelior, eo doctior, quo impudentior, videtur: dum alius, in studia incumbens, sibi soli relictus, multa, non multum, legit, sine armis cum hoste congreditur, ac laudibus sui similium efflatus, supra vulgus sapere, magnis viris annumerari et libere cogitandi gloria frui cupit, mox praeconceptis opinionibus occoecatus, et ingenii lucem, animi consolationem et in aerumnis veram fortitudinem licet perdiderit, eo tandem pervenit, ut φιλαυτίαν prae φιλαληθείαν sectetur, veritatis apologias alto supercilio spernat, et, ne errorem professus apud suos erubescat, semel assumtis opinionibus inhaereat, quae potest, in rem suam explicet, quae nequit, detorqueat, divinae clementiae tantummodo commendandus.

Haec sunt, fateor cum intimo animi mei dolore, tropaea, quibus gloriari licet incredulis, qui salutem et solatium tot, optimis ceteroquin, adolescentibus, ipsosque adolescentes parentibus, familiae, societati, Ecclesiae CHRISTI, patriae et ipsi Deo eripuerunt. Vidimus haec et deploravimus hostium tropaea in Universitatibus, militia, oppidis; vidimus inter sodales, amicos, etiam dilectissimos; vidimus in carcere ex nobili vagabundum, ex vagabundo criminosum, ex criminoso damnatum, ex damnato suicidam.

MEYERUM dico infeliciſſimum, cuius hiſtoriam conſcripſi, ut uni alterive (nec voto, Deo ago, habeoque gratias, excidi) prodeſſem; cuius memoriae dum etiamnum, inter ſcribendum, meas lacrymas dico, per Deum obteſtor omnes, qui veritatem infeſtant, ut incautis iuvenibus parcant, neque iis ruinam temporalem cum aeterna meditentur!

Veniam pro digreſſione petens, lector benevole, in viam redeo. Quicquid paſſi ſint noſtrum nonnulli, ipſa tamen religionis veritas, ipſa coeleſtis Chriſtiana doctrina nihil detrimenti cepit, vel capere potuit ex cunctis noviſſimorum, quae protulerunt, ſcriptis, ſeriis, vel iocoſis.

Probant

1.) Ipſae, quas adduximus, infidelitatis cauſae. Quis enim fidet hominibus, qui ſui obliti, et arrogantia ſua abrepti ultra modum ſapiunt, cuncta ſibi ſolis perſpecta iactitant, quicquid percipi queat, ſe ſolos ſcire gloriantur, ceteros omnes deſpicientes; qui Dei immenſitatem nihil, niſi quod homuncionibus notum eſt, habere ſomniant; qui quicquid aut captum ſuum ſuperat, aut minus ad palatum eſt, negant, omnia explicanda ſibi ſumunt; fortiter, ſi omnes Deismum profiterentur, veritatem pro virili defenſuri, ut haberent, quo ſupra vulgus eminerent. Quis ferat homines, an circumforaneos dicam?, qui, quod ignorant, oppugnant, et, quod a ſuorum moribus abhorret, indocte rident? Quis veritati timebit ab iis, qui res ſanctas, quas horreſcunt, ludibrio habent? Quis denique ψευδολόγος non ſpernet, κεκαυτηριασμένος τὴν ἰδίαν συνείδησιν. 1 *Tim.* IV; 2.? — Non repetimus, quod de obtrectationibus ex *odio* natis, quas libido urget, in antecedentibus de Iudaeis et Gentium Philoſophis monuimus.

2.) Adde, quod iidem, qui tot querelas de ſectis

et inteſtinis Chriſtianorum bellis inſtituunt, tam parum inter ſe conveniant, ut vix unum alteri conſentientem reperias, odium religionis Chriſtianae ſi exceperis. Eſt enim, qui divinum noſtrum ſervatorem pro optimo morum magiſtro habeat, eius praecepta comprobet et ſumma etiam laude evehat; — alter vero multum in ipſius mandatis invenit, quod carpat, et, prudentiae iuſtitiaeque regulis parum convenire, doceat. — Invenias, qui humanam rationem ad aeternam ſalutem aeque atque ad cognoſcendam veritatem ſufficere, tibi perſuadere velint; ſed et alios, qui eidem rationi omnem eius, quod certum eſt, inveniendi probandique vim manifeſte ſatis denegent, infeliciſſimi ſcepticismi patroni. — Sunt, qui, cum HERBERTO, dolorem ob commiſſa peccata inter praecipua et neceſſaria religionis, quam ipſa natura docet, officia referant, cum alii eum *virtutis* nomine non tantum ſpolient, ſed hominem *bis miſerum* reddere doceant poſt SPINOZAM, *Ethic. Part. IV. Propoſ.* 54. — Poſt fata ſuperſtites praemiis ornandos, vel poenis afficiendos nos alii pronunciant, negant vero ceteri aperte magis, vel palam futurae vitae adverſarii. — Hic Deum adorat et providentiam reveretur; alter in *Syſteme de la Nature* ne vocabulum quidem *Deus* tolerat. conf. quae ex Abbate IERUSALEM *de praecipuis rel. veritat. T. II. p.* 72. attuli in *Hiſtoria Meyeriana. p.* 238. — Sic VOLTAIRE paſſim et MORGAN, *Moral. Philoſopher. T. II. p.* 31, 38. *cett.*, Iſraelitas, ut Gentium ignariſſimos, derident; contra auctor libelli *Lettre ſur les Juifs*, *Berol.* MDCCLXXXIII literatiſſimos illos dixit; vid. cl. V. HAMELSVELD, *Bibl. Defenſ. T. IV. C. XVIII.* § 7. *p.* 431. Ecquid mireris? cum et a ſemet ipſis ſaepius diſſenſerint et ſuis ipſorum ſcitis aperte obloquantur, quod de ROUSSEAU *Emile. T. III. p.* 89. coll. *p.* 138, idem oſten-

ſtendit cl. v. HAMELSVELD, *Cogitat. Philoſophi de relig. T. II. C. XIV. p.* 262., et multis iſtiusmodi ſpeciminibus ex HOBBES, CHUBB, MANDEVILLE, HUME, BOLINGBROKE, *cett.* probavit G. LESZ, *Beweis der Wahrheit der Chriſt. Relig. Gott.* MDCCLXVIII.

3.) Accedit omnis illorum diſputandi methodus. Scilicet, hi veritatis amore ducantur, qui graviſſima, ſolidiſſima, invictiſſima, quae dudum pro Euangelica veritate allata fuere, argumenta aut aſtute diſſimulant, aut, omni ſua vi prius orbata, et miſere detorta, quaſi refutanda ſibi ſumunt, fucum imperitis facientes! At quomodo tandem veritatem inſectantur? Plerique, et quidem ii, quibus legendis incauta iuventus maxime delectatur, irriſione, ſarcasmis et ſcommatibus ea explodunt, quae, cum de rebus tam ſeriis agatur, non, niſi idoneis rationibus, refellere oporteat, et quae argumentis diſiicere nequeunt, cachinnis excipiunt. Hoc VOLTAIRIO, aliiſque Gallorum maxime proprium: exempli gratia, auctoribus librorum *Euangile du Jour*, *Dictionaire Portatif*, *Syſtême de la Nature*, &c. quod ex genio gentis, hilaritati et iocis deditiſſimae, facile explicandum, quo res minus examinare, penetrare et demonſtrare, quam leviter et obiter tractare ſolent: hinc illa in ipſum Atheismum propenſio, qua illum publice, vel cum applauſu, profiteri IACOBO DU PONT, ANACHARSI CLOOTS et aliis noſtri temporis, aliquamdiu licuit, donec legiſlatores *Dei exiſtentiam* et *animae immortalitatem* decreto civili confirmari poſſe cenſuerunt. conf. quae notavi in *Diſſ. Belg. p.* 227. Hinc tot iſtius gentis facetiae et, quae dicunt, *bon mots*, quibus rident et ridentur ipſi, cuius exemplum (ut ſeriis innocuos iocos interponam) iubet adſcribere ex *Genie de la langue Francaiſe. p.* 69.

„ Mr. BALZAC ſe rejouit aux depens d'un homme

„ qui,

„ qui, pour parler reſpectueuſement, dit à un grand „ Seigneur, qu'il avoit beaucoup de veneration pour „ lui et *Meſſieurs ſes Livres*, et j'ai oui dire, que le „ feu Roi étant à la chaſſe et voiant, qu'un Marquis, „ qui étoit en ſa compagnie, demeura en arriére, „ lui demanda, pourquoi il n'avançoit pas. C'eſt „ que je veux attendre, repondit le Marquis, que „ *Meſſieurs Vos Chiens* aient paſſé &c." Iſtius ingenii homines ſi forte incidant in religionem, quid mirum, ſi ludant in re ſeria, veram eruditionem facetias dicendi amori poſtponant, et ſcriptis ſuis magis delectare, quam erudire cupiant? — Alii quidem, in primis Britanni, nonnulli etiam Galli, HELVETIUS, DIDEROT, D'ALEMBERT &c., et, qui eos imitantur, Germani, magis philoſophari videntur. At quo modo? Hypotheſes et phantasmata pro veritatibus orbi obtrudunt, quibus defendendis ſemper hypotheſi ſuae quemque δελεύοντα invenias. Religionem vero imprudentium animo repraeſentant, non caſtiſſimam eam et Euangelicam, ſed deformatam et peregrinis coloribus adulteratam. Sacras litteras petunt, neglectis apertis iis et perſpicuis, quae vel ſola huic controverſiae dirimendae ſufficiant, ſed nodos quaerunt in iis, quae a noſtris locis et moribus ſunt diſſitiſſima, quaeque ſophismatibus ſuis in ridiculos aut manifeſte falſos ſenſus diſtorquent, ut inveniant, quod contemnere queant; ceterum Iudaeorum vel Gentilium, quas ſupra vidimus, repetunt et novo ornatu induunt, obiectiones, et imperitis, quaſi novas et a ſe inventas, identidem apponunt. Exemplis ſingula probare longum eſt: ſed nullius momenti talem argumentandi rationem eſſe, inter prudentiores et veritatis amantes nemo eſt, qui non videat.

4.) Quid enim ad concutiendam, vel deiiciendam facerent religionem irrita adverſariorum conamina,

cum ab omni tempore exstiterint, et existant etiamnum, quod Deo O. M., sapientiae et veritatis fonti et origini, ac sapientissimo et praepotenti Servatori, invicto Ecclesiae suae regiae statori, acceptum referimus, viri eruditionis et pietatis non minus, quam puri et ardentis pro veritate et adorandi nostri IESU gloria studii laude illustres, qui, aut universam religionem, aut momenti maximi partes et fontes limpidissimos ab hostium impulsu defenderunt, et spolia opima inde reportarunt, ad quorum scripta aut nihil responderunt, aut, cachinnis et sibilis ista refutari posse, censuerunt.

Quis vero omnes enumeret? GROTIUM, ABBADIE, FIDLER, FINDLAY, HOFFMAN, NONNETTE, WERENFELS, LESZ, LELAND, LILIENTHAL, BUDDEUM, SCHERLOCK, LARDNERUM, DITTON, WEST, NIEUWLAND, KROM, LUSSING, sexcentos alios, norunt omnes, reformidarunt hostes, reverenter habent cuncti οἱ ἐν ἀληθείᾳ περιπαλοῦντες: sed et hisce diebus immortale sibi nomen acquisivit cl. HAMELSVELDIUS, qui, omnibus ad hunc laborem dotibus instructus, cum *Bibliis* suis *defensis*, tum *Philosophicis de religione cogitationibus*, tum multis aliis a se editis, et vero *vertendis et interpretandis Sacris utriusque Testamenti libris* industriam summam adhibuit, optime de Christiana veritate meritus.

5.) Per partes vero ituris et quasvis adversariorum sive obiectiones, sive obtrectationes examinaturis, et tempus et locus deesset. Nonnullis eorum ex parte responsa dedi in plus semel citata *Historia Meyeriana*, quae hic repetere, non fert animus. Speciminis vero loco pauca adiiciam, quae, si lubet, ulterius lector conferat.

Revelationis necessitatem contra BOLINGBROKE et TINDALII *Christianismum creationi coaevum* defendit

LE-

LELAND *de Scriptis Deistarum. T. I. Ep.* 8. *p.* 187-225. *T. II. Ep. X. Partis II. p.* 353-405. *Possibilitatem* vero in *Introd. ad Utilit. et Necessitatem Revelat. Christ. Sect. II. p.* 22-25. Conf. MEYER. *p.* 233-237.

S. S. Θεοπνευστίαν pluribus defendit LELAND *l. l.* contra TOLANDUM, qui *mysteria* ridet. *T. I. Ep. IV. p.* 87. contra SCHAFTESBURY et MORGAN, qui *miracula* spernunt, *Ep. V. et IX.*, contra COLLINS. *Ep. VI.*, contra CHUBB. *Ep. XII et XIII.*, contra BOLINGBROKE. *T. II. Part. I. Ep. V. XI. XII. XIII. XVI.* et *T. III. p.* 185-253. conf. ceterum *de S. S. Divinitate* BUDDEUS de *Atheismo et Superstit. C. III.* § 6. 7. et *C. VII.* § 6. *cum not. Cl.* LULOFS., SPANHEMIUS, *Fil. Orat. de div. Script. orig. et auctorit. contra Profanos* in *Misc. S. Antiq. C. X. Orat. I. Opp. T. II. fol.* 1333., WERENFELS, *Opusc. p.* 65. 155., STAPFER, *Theol. Polem. T. II. C. VII.* § 12. *C. X.* § 7-13., WITSIUS, inprimis contra SPINOZAM et CLERICUM, *Misc. S. T. I. L. I. C. XXII.* addatur DODDRIDGE *Dissert.* praefixa Exegesi Theolog. Anglor. in MATTH., Edit. Belgica.

Pentateuchi Auctorem MOSEN *fuisse*, contra VOLTAIRE, defendunt *Iudaei nonnulli in Epistolis ad eundem*, *T. II. Ep. III. p.* 79-113. et *Ep. II. p.* 66-68. *Ep. VIII. p.* 187-209. Idem iam ante vindicaverat, contra HOBBESIUM, COCQUIUS *in Anatome Hobbesian. Loc. III. C. V. p.* 43 45. Contra SIMONII somnia de Scribis et Notariis publicis, a nescio quo in compendium redactis, et CLERICI deliria de Sacerdote Babylonico, vide DE MOOR, *Comment. T. I. p.* 224, et scriptores ab eo laudatos; adde *Lussing Necessitas religionis in genere et certitudo specialis Christianismi. Diss. VI et VII.* et confer, quae ipse scripsi *Dissert. Belg. ad p.* 183. et fusius in MEYER. *p.* 247, 248.

Prophetias, maxime de Messia venturo, in specie locum IES. *VII:* 14, de quo pluribus egimus *Sect. I*, contra

COLLINS in virulentissimo libro, *A discourse of the Grounds and Reasons of the Christian Religion*, masculе defendit DEYLING *Obs. Miscell. Part. IV. Exerc. VIII. p.* 761. Quem ideo nomino, ut constet non novis, sed armis a Iudaeis infeliciter acceptis, adversarios pugnavisse, maximeque dolendum esse, quod LAMY in *Harmon. L. I. C. VIII.*, NICHOLS *Conference with a Theist. T. III.*, CASTALIO *in Not.*, CLERICUS *in Annot.*, EPISCOPIUS *Instit. Theol. L. III. C. XIII.*, aliique fraudem non viderint, sibique ab iis imponi passi sint.

Miracula in sacris narrata voluminibus contra HUME defendit LELAND. *l. l. T. II. Part. I. Ep. III et IV. p.* 52-152. *T. III. Ep. II. p.* 42-81. *Ep. III. p.* 83-93. *Ep. IV. p.* 355-362. conf. LULOFS ad BUDDEUM *de Ath. et Superst. C. I.* §5., A. DRYFHOUD *de Provid. Dei speciali.* adde, quae scripsi *Diss. Belg. p.* 191. et MEYER. *p.* 265 *seqq.* — *Miracula in deserto* speciatim a TOLANDO defendit DEYLING *l. l. Exerc. VII. p.* 743.

Resurrectionem Domini vindicant post multos, antea laudatos, speciatim contra *Anonymum* Anglum, qui Lond. anno huius seculi XLIV ediderat Tractatum, hac inscriptione *Resurrectio* IESU *considerata ad Examen Testium per Philosophum Moralem*, LELAND *l. l. T. I. Ep. XI. p.* 301-352., contra HUME, *T. II. Part. I. Ep. III. p.* 82-88., contra COLLINS, *Ep. VI. p.* 152., contra CHUBB. *Ep. XII. p.* 382. Inprimis contra WOOLSTON. *Ep. VII. p.* 164-186, cui etiam responderunt LUSSING, *Necessitas Religionis etc. Part. III. Diss. IX. C. III. p.* 186-246., DEYLING. *l. l. Exerc. XVII. p.* 849-859., SHERLOK, *Testes Resurrectionis I. C. examinati, Lond. anno huius seculi XXX*, et biennio post a STEPH. LE MOYNE Gallice editi, *Hag. Com.* conf. quae scripsi MEYER. *p.* 297-315.

Dogmata si quaeras. *Providentiam* contra CHUBE defendit LELAND *l. l. Ep. XII. p.* 359. 360. *Ep. XIII. p.* 447.

447., contra BOLINGBROKE, *T. II. Part. I. Ep. V. p.* 176. et *Ep. VII. p.* 229-269. Neque praetermittendus BUDDEUS *l. l. C. III.* et LULOFS *ad eundem C. VII.*

Animae immortalitatem defendunt contra CHUBB LELAND. *l. l. Ep. XII. p.* 362-366., contra varios, *Ep. III. p.* 66-69., contra COLLINS, *Ep. VI. p.* 131., contra BOLINGBROKE, *T. II. Part. I. Ep. V. p.* 176. *Ep. VIII. p.* 271-277., contra VOLTAIRE, *Literae quorundam Iudaeorum ad illum. p.* 352-358.

Remunerationes in vita futura, contra SHAFTESBURY, LELAND, *T. I. Ep. V. p.* 96-111. contra CHUBB, *Ep. XII. p.* 362-369. Quem conferas *de iudicio novissimo*, contra eundem CHUBB, *ibid. et p.* 380. *Ep. XIII. p.* 448., et contra HUME, *T. II. Part. I. Ep. II. p.* 36-51. et de *aeternitate poenarum* contra BOLINGBROKE, *T. II. Part. II. Ep. XVI. p.* 691-724.

Mediatoris necessitatem vindicat a Deistarum obiectionibus LELAND, *T. I. Ep. IV.* Doctrinae Christianae *de Mediatore* θεοπρεπείαν ostendit *Ep. XV. p.* 561-567, et a BOLINGBROKII obiectionibus vindicat *T. II. Part. II. Ep. XV. p.* 656 685. In specie CHRISTI *divinitatem* probarunt sexcenti; vide, quae scripsi MEYER. *p.* 289. *Intaminatam sanctitatem* a CHUBBII obtrectationibus vindicat LELAND, *T. I. Ep. XII. p.* 382. de *Satisfactione*, BOLINGBROKIO negata, vide eundem, *T. II. Part. I. Ep. V.* et confer, quae scripsi in MEYERI *Historia. p.* 315-326.

In *doctrina morali* officium *precandi*, quod CHUBB labefactare studuit, urget LELAND, *T. I. Ep. XII. p.* 360. et *Ep. XIII. p.* 447. Uti et ad obiectionem, „ quod virtutes Societati debitas, inprimis *amorem* „ *Patriae* suis discipulis inculcare penitus IESUS ne„ glexerit," respondent LILIENTHAL *T. XV.* et qua excelluit, accurata eruditione et facundia, Cl. HOLLEBEEK, in *Orat. de Utilitate ex incredulorum con-*

tra S. Litteras conaminibus in Rel. Christ. redundante. p. 31-35.

Restant nonnulla, quae, a nostris moribus aliena, aut per ignorantiam, aut odium, criminando vel irridendo tetigerunt increduli; neque tamen in his etiam doctissimorum virorum erudita diligentia eis defuit. Pauca exempla sufficiant. Si captant cum BOLINGBROKIO et VOLTAIRIO expugnatam ab Israëlitis Palaestinam, habent, quod sibi satisfaciat, apud LELAND, *T. II. Part. II. Epist. XIII. p.* 512-517., FINDLAY *Defens. S. S. adv.* DE VOLTAIRE. *Part. II. C. II. Sect. VII. p.* 289., BACHIENE, *Geogr. S. Part. I. Sect. II. C. XV. p.* 429-447., et IO. GEORG. FABER, *Diss. de Iure Israelitarum occupandae Palaestinae et exstirpandorum eius incolarum*, inserta *Biblioth. Hag. Class. V. Fasc. I. C. I. p.* 1-86. Si *leges severissimas et inhumaniores* urgent, respondent *Iudaei quidam in Epist. ad* VOLTAIRE, *T. II. p.* 422-446., et FINDLAY, *l. l. Sect. IV. p.* 236.

Rideant, si velint, *circumcisionis originem divinam*: stabiliverunt eandem iidem *Iudaei T. II. p.* 283-224. et FINDLAY, *l. l. Sect. XVII. p.* 389-461. Rideant ritum *supponendi manum femori alterius* in iureiurando, sed videant eundem FINDLAY, adversus VOLTAIRIUM disputantem, *l. l. Sect. XVIII. p.* 462. Sic, cum *Tindal*, in libro suo *Christianity as old as the Creation*, *C. XIII.* deridendam sibi sumsisset *nuditatem Iesaiae Prophetae*, (IES. *XX:* 3.) foedam hominis ignorantiam merito perstrinxit DEYLING. *Obs. S. Part. IV. Exerc. XXI. p.* 888-892. Uti et, pro fabula *de angelorum malorum doctrina a Persis oriunda tempore captivitatis Babylonicae*, iuste vapulat VOLTAIRE a FINDLAIO. *l. l. p.* 365-370

Plura non addo: per singula enim doctrinae capita, quae oppugnant, vel S. S. locos, quos rident, si

vel

vel transcurrerem, vix integrum volumen nomina et scripta teneret eorum, qui feliciſſime ad ſingula reſponderint, quae unquam ab ullo adverſariorum in optimam religionem prolata fuere.

Conferantur tamen HALLERI ſcripta: *Briefe über die vornehmſten Wahrheiten der Religion. Bern.* MDCCLXXVI, et *über einige Einwurfe noch lebende Freygeiſter gegen die offenbarung*, tribus tomis edit. *Bern.* LXXVI-LXXVII. Cumque noviſſime religionem Chriſtianam evertere nefario auſu aggreſſi ſint auctores librorum, *vom zwecke Jeſu und ſeiner Junger* (*Brunsw.* anno huius ſeculi LXXVIII) et *in Wolfenbutteleſchen fragmenten etc.*, cuius auctor (Berol. A. MDCCLXXXIV) IESUM ambitionis impudenti ratione accuſat: Item BAHRDT in *Briefen über die Bibel im Volkston*, in *Darſtellung des Plans Jeſu*, et in *Erklärung der ſamtl. Reden* IESU, qui, ſua ſomnia ſcriptoribus N. T. ſubſtituens, nil niſi contemtum meretur; Idem denique cum faceret Anonymus auctor libri, cui titulus HIEROCLES, *oder Prüfung und Vertheidigung der Chriſtl. Religion angeſtellt von den Herren* MICHAËLIS, SEMLER, LESZ &c. (*Halle* A. MDCCLXXXV.) quo ſpecioſo ſub titulo omnem religionem oppugnat; praeclarum his conatibus oppoſuit librum ſumme rev. FR. KLEUKER hoc titulo: *Neue Prüfung und Erklärung der vorzüglichſten Beweiſe fur die Wahrheit und Gottlichkeit des Chriſtenthums.* (*Rigae* A. MDCCLXXXVII-LXXXIX.)

Videt interim, qui aliquid videt, ipſam veritatem nihil perdidiſſe vibratis undecumque horum hoſtium telis, qui nunquam aliquid vel ſerio, vel iocoſe ſcripſerunt, cui non ſatisfactum fuit ab Euangelicae veritatis defenſoribus, quorum reſponſa dum illi diſſimulant, et eandem cramben identidem imperitae et incautae iuventuti apponunt, certe eruditioribus iſta, haud bis, ſed centies repetita, non placent, ſilentio for-

forte quam ulteriori responsione (nisi id ob deceptos simpliciores fiat) digniora.

6.) Huc denique accedit, quod nemo sanus facile timeat religioni, quae per confirmatas Euangelicas promissiones, et, quam iis benignissime addit, Spiritus sui gratiam et internam animi pacem Deus O. M., fideles in veritate corroborat, in prosperis dirigit, in adversis fortes facit, in vita gubernat et in ipsa mortis hora omni solatio et gaudio replet, — tali, inquam, religioni timeat ab eorum infelicissimo systemate, unde omne omnino in aerumnis solatium exsulat. O! quot, qualesque vidi, incredulitatis retibus implicitos, qui in communis vitae molestiis mihi et aliis religionis solatia invidebant, quibus carebant ipsi: quot vidi et quales, qui, deficiente mundo et rebus mundanis, quo se verterent, aut, quibus solatium accipiunt, nesciebant, nihil sibi restare, praeter infelicissimum αὐτοχειρίας refugium, palam professi, qua in nihilum se reversuros miserrimi somniabant. Haec qui secum reputat, certe non verebitur exoptatissimae religionis, optimae vitae ducis, et mortis solatii, interitum, per opiniones, ipsa, foedissima ceteroquin, superstitione deteriores.

§ 4.

At, ne sic quidem dissertationis scopo satisfecimus. Restat, ut brevissime demonstremus, non tantum nihil per Deistarum obtrectationes perdidisse, sed et *multum lucratam fuisse* illam, quam profitemur, veritatem.

In his enimvero brevioribus esse licebit, cum maximum in his nobis otium fecerint clarissimi duumviri, quos in Theologicis Praeceptores olim me habuisse, vehementer gaudeo: alter cl. ALGIDIUS GIL-

LIE-

LISSEN, Academiae Lugdunensis lumen splendidissimum (cui venerando admodum seni sine nubibus senectutis dies apprecor) in Oratione, quam *de Deistis, praestantiam religionis Christianae declarantibus*, habuit *Franekerae A. huius seculi* LXI. — Alter cl. EW. HOLLEBEEK, iam pie defunctus, in Oratione, *de Utilitate ex incredulorum contra S. Litteras conaminibus in religionem Christianam redundante*, habita *Lugd. Bat.* A. MDCCLXXXI, vir, si quis alius, in optimum Servatorem, eiusque salutarem institutionem pius, uti merito illum depinxit ven. P. DE WILDE, in *Praefat.* quam huic, a se editae, Orationi praemisit. Idem praestitit Dissert. singulari Cl. SZATHMARI in *Opp. Societ. Hag. ad Annum* MDCCXC. — Speciminis ergo loco consideres, velim,

1.) Per ipsas incredulorum obtrectationes factum esse, quod nunquam antea salutaris religionis cum dogmata, tum officia cum fontibus ipsis, clariore et pulcriore luce perfusa, aut adeo firmis rationibus confirmata sint, quam etiamnum. Fundamenta, sintne satis solida, magis indagata, quae ad illa corroboranda faciant, studiosissime conquisita, et quae ad inimicorum artes repellendas faciant, diligentius adhibita fuere, ita ut nec humanae mentis socordia, nec plerorumque imperitia quid aliud desiderare posse videatur. Hinc illa, quae § praecedenti adduximus, doctissima clarissimorum virorum scripta. Hinc in Anglia *Institutum illud Boylianum*, cuius iussu quotannis VIII habentur contra incredulos pro veritate religionis Christianae conciones publicae in *Bowchurch* sive *S. Mary le bow*, Londini in *Cheapside:* vide, quae de hoc instituto notarunt DERHAM in *Not. ad Dedicat. Theologiae Physicae*, et WENDEBORN in *Magn. Britt. hodierno statu. T. II. p.* 199, et ipsemet in *Diss. Belg. p.* 250, 251. Hinc eiusdem naturae *Insti-*

tutum *Sinserfianum* apud meos *Roterodamenses*, cui iam, (post Cl. PATINUM, doctiss. HABBEMAM et ven. VIERVANTIUM, olim muneris, nunc aerumnarum, mihi socium) diligenter inservit collega facundissimus VAN EYK, quod ei felix faustumque diu sit, ex animo precor.

2.) Per easdem incredulorum obtrectationes, convicia et exprobrationes effectum est, (de quo non laetari non possumus) ut ipsa docendi, explicandi, defendendi et vindicandi religionem methodus inter nostros mirum quantum emendata, melior et solidior evaserit. *Philosophiam* magis excolunt nostri doctores (quod utinam verecunde et solide faciant singuli!) et praeterierunt ignorantiae secula, quibus R. BARONIUS *Scotus* librum edidit, quem *Philosophia Theologiae Ancillans* inscripsit, de cuius tituli usu, maiori vero abusu, vide, quae ex HAMELSVELD, NIEUWLAND et ARROWSMITH notavi in *Historia Meyeriana ad p.* 137. *Critica*, quam sanam et modestam ab insolente et temeraria probe dignoscunt prudentiores, magis culta videt. *Literarum*, tam Graecarum et Romanarum, quam inprimis Orientalium, studium et cognitio, post SCHULTENSIORUM, SCHROEDERI, ALBERTI, HEMSTERHUSII, SAXII, ERNESTI, VALCKENARII, RUHNKENII, RUARDI, HOGEVEENII, KLUITII, aliorumque clarissimorum virorum tempora, vel ipsorum etiamnum laboribus, maxime crevit. *Historia*, *Antiquitates* et *Exegesis* diligentius elaborantur. Ingenii lusus, arbitrariae hypotheses, et allegoriae magis evitantur, praesertim in Propheticis et Typicis, quod tamen ne nimium negligatur utilissimum studium, caveat, qui modeste et vere sapit. Stilus in dicendo scribendoque magis exercetur, et ex ipsis hostium spoliis templum Dei ornatur. Hoc scilicet Euangelii vituperatoribus, invitis tamen et insciis, vel, ut veriora dicam,

cam, hoc noſtri fideliſſimi Servatoris pro Eccleſia ſua curae debemus, quod, quicquid in religionis interitum molirentur inſenſiſſimi hoſtes, id tandem in illius gloriam et commodum direxerit benigniſſime.

3.) Accedit quoque, quod, quantum pro religione militet, nemo non intelligit, accedit, inquam, ut ipſi illi, qui S. literis omnem inter homines fidem eripere e re ſua eſſe putabant, nonnunquam nobis ea conceſſerint, quae, ſi apte argumentari didicisſent, ad confirmandam Euangelicam veritatem maxime facere, perſpexiſſent. Ea enim vis veritatis invitis extorſit, vel praecipitantis ingenii temeritas incautis, vel volentibus aſtutia, ad minus circumſpectos lectores eo facilius laqueis ſuis irretiendos. Quicquid tandem eligas, forte enim aliae in aliis cauſae operantur, haec ita iuſſit, qui aſtutos aſtutia ſua capere ſolet, infinita Dei ſapientia, quo nominis ſui adverſarios ſuo ipſorum gladio iugulandi occaſionem veritatis defenſoribus praeberet. Huc pertinet, quod ſcripſit ROUSSEAU. *Emile. T. III. p.* 111. „ Ie vous avoue, que la majeſté des Ecritures m'é-
„ tonne, la ſainteté de l'Evangile parle à mon coeur.
„ — Se peut-il, qu'un livre, à la fois ſi ſublime et
„ ſi ſimple, ſoit l'ouvrage des hommes? ſe peut-il,
„ que celui, dont il fait l'hiſtoire, ne ſoit qu'un
„ homme lui-même? — Quelle douceur, quelle pu-
„ reté dans ſes moeurs! quelle grace touchante dans
„ ſes inſtructions! quelle élevation dans ſes maxi-
„ mes! quelle profonde ſageſſe dans ſes diſcours!
„ quelle preſence d'eſprit! quelle fineſſe et quelle
„ juſtice dans ſes reponſes! quel empire ſur les paſ-
„ ſions! ou eſt l'homme, ou eſt le Sage, qui ſait a-
„ gir, ſouffrir et mourir ſans foibleſſe et ſans oſten-
„ tation? — Oui, ſi la vie et la mort de SOCRATE
„ ſont d'un *Sage*, la vie et la mort de IESUS ſont

„ d'un DIEU. Dirons nous que l'hiſtoire de l'Evan-
„ gile eſt inventée à plaiſir? Mon Ami! ce n'eſt pas
„ ainſi qu'on invente, et les faits de SOCRATE ſont
„ moins atteſtés que ceux de IESUS CHRIST." Haud diſſimilia invenies apud auctorem libri *La Philoſophie de la Nature. T. VI. p.* 211 et 411., et apud ſcriptorem *Hori. p.* 247 et 300. conf. quae habet HAMELSVELDIUS, *Bibl. Defenſ. T. IV. C. XIV.*, et NIEMEYER, *Characteriſt. T. I. p.* 22. Quid vero inde ſequatur pro cauſa noſtra, nemo adeo hebes eſt, quin facile animadvertat. Si enim talis fuerit Servator noſter, certe veteratoris perſonam non egit, et revera ILLE fuit, Dei Legatus, Dei Filius ἀγαπητὸς, peccatorum ἀντίλυτρον, Meſſias, de quo MOSES et Prophetae locuti ſunt, ἐξουσίαν omnem habens in coelis et in terra, futurus olim totius mundi iudex, &c. quem toties ſe palam ipſe profitebatur. confer, quae in hanc rem diſputavi in *Hiſt. Meyeriana. p.* 289-292. — Denique, ſi (quod pleroſque feciſſe conſtat) Euangelii *doctrinam moralem* collaudant ipſi adverſarii, et de *Theoreticis* indifferentismum, qui dicitur, profitentur, ut, quid credat, cui cultui quis ſe addixerit, perinde ſit, dummodo virtutem ſectetur, cetera nihil curante Numine; hoc ſi verum, reſpondeant, quaeſo, cur tanto animi ſervore Euangelium oppugnent, optimas vitae regulas quod continet? cur veritates, ipſis iudicibus innocuas et indifferentes, conviciis et riſu infringere conentur, quibus maxima pars hominum, eruditiſſimi etiam et probatiſſimi viri, ad virtutem et mandatorum obedientiam ſe maxime incitari et moveri profitentur? Hoc niſi ex ſtolidiſſima arrogantia, obloquendi temeritate, propriae conſcientiae metu, ipſius virtutis odio, aut alia ſimili cauſa natum ſit, aliam adducant.

4.) Plura adiicere liceret, ſed, brevitatis memores,

res, hoc unum addere satis habeamus. Scilicet, longe aliter de rebus huius seculi et de aeternis iudicare solent homines, praesentis vitae dum vescuntur aura, aut dum fatalis hora imminet, et, quod Poëta gentilis cecinit, *Numina nobis Mors instans maiora facit.* Quid mirum? Momentum adest, quo nil, nisi fugientis umbrae imaginem, praeterita relinquunt; futura horrenda, tenebricosis obtecta nubibus, instant; silent affectus; fallaces mundi praestigiae cessant; socii aut fugiunt, aut silent; contemta veritas sua luce radiat; iura sua conscientia reclamat.

Quid vero tum audacissimis accidere solet? — Multos eorum (miserrimos eheu!) ludendo, iocando, calumnias dicendo, blasphemias evomendo mortem tranquillo et laetissimo animo exspectasse, nobis persuadere studuit Anonymus Gallus impio opusculo. (quem DESLAUDES fuisse dicit BRUCKER, *Hist. Crit. Phil. T. I. p.* 37., sed conf. WEISMAN, *Introd. in Mem. Eccl. T. II. p.* 760. 1237. et *Hist. Crit. de la Rep. des Lettres: addit. ad T. VI.* et *T. VII. p.* 321.) Titulus est: *Reflexions sur les grands hommes, qui sont morts en plaisantant.* A. MDCCXIV. Facta non negamus, cum veneremur oraculum illud Paulinum, *Rom. I:* 28. Καθὼς οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς εἰς ἀδόκιμον νοῦν, ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα. Sed longe plures fuerunt, qui impietatis suae sensu lacerati et conscientiae stimulis cruciati, in pectoris sui tormentis ipsi suas poenas faterentur. Fuerunt, nec pauci numero, qui, quas ipsi propagaverant, sententias, summo cum pudore detestarentur; fuerunt, qui religionis Christianae veritates, a se antea explosas, summa cum veneratione reciperent; fuerunt denique, qui, maiori et gratiosa luce collustrati, sub atrocissimi peccati pondere gementes, divinam in CHRISTO gratiam, olim irrisam, quaererent,

et desperatam fere salutem per clementissimi Dei misericordiam adipiscerentur, summa cum laetitia et gratiarum actione morientes. — Haec dum affirmo, mihi, per XXI fere annos Pastori, qui plurimis illorum in periculo mortis affui, fides habeatur; plura tamen si cupias, legas summe venerandi Bergensium Episcopi, PONTOPPIDANI, *Kracht der Wahrheit gegen der Unglauber*, *Koppenh. A. huius seculi* LIX, ubi RADICATI, *Passerani Comitis*, WILMOTI *Comitis Rossensis*, IORDANI, GARDINERI, SERRII, aliorumque exempla invenies; adde, quae contulit doct. RUTZ, Lutheranorum Hagiensium Pastor, in *Additamentis ad Historiam Deisticam.* STRUENSII Comitis exemplum, quod nostro tempore notissimum, et VOLTAIRII ipsius, lippis et tonsoribus cognitum est, quibus ô utinam MEYERUM meum addere potuissem! conf. quae de illo notavi in *Hist. p.* 400.

Neque me, quod increduli excipiant, fugit. Dicunt enim, „homines eiusmodi, morbi vel mortis „ metus violentia oppressos, mentis suae minus com„ potes, iuventutis et educationis suae praeconcep„ tis opinionibus victos fuisse, iisque, ut prope amen„ tibus, nullam fidem habendam esse." Verum, istud non, nisi desperatae causae, effugium esse, exinde persuasum habeo, quod non unum cognovi, cognosco etiamnum, qui plus semel mihi repetiit, nullam sibi, vel poenitentiae suae fidem habendam fore, si forte in periculo mortis aliquid eiusmodi sibi accideret. Unde non, nisi arrogantiae, hoc tribuendum esse constat, cum coram sociis erubescendum sibi esse ducant, si, quae semel dixerint, negare, vel se erravisse profiterentur. Quid enim ad talia responderint exemplа, ubi gravissime aegrotantes, vel etiam corpore sanos, appropinquante vitae termino, omnino mente sana esse, et de omnibus aliis

iis rectissime iudicare, videmus, quod de STRUENSIO, fortissime ceteroquin se gerente, et aliis bene multis, est certissimum? Quid porro afferunt, cur non aliae iuventutis praeiudicatae opiniones, quibus a pueris imbuti fuerunt, sed ea tantum se animo obtulerint, quae animi immortalitatem et Deum cuiusvis mali vindicem spectant? — ô! si saperent mature iuvenes, inani gloriae cupidine decepti, et, Deo Servatorique suo restituti, ex animi sententia hilares profiterentur: πρότερον ὢν βλάσφημος καὶ διώκτης καὶ ὑβριστής. ἀλλ' ἠλεήθην, ὅτι ἀγνοῶν ἐποίησα ἐν ἀπιστίᾳ. 1 TIM. *I:* 13.

Concludimus ergo, quicquid obtrectationum in salutarem Euangelii doctrinam recentior aetas tulit, perinde ac Iudaeorum, Gentilium et Mollemorum illae, nihil effeciisse ad veritatem aliquantulum labefactandam, sed contra fulciviisse eam et corroborasse. Q. E. D.

CAPUT III.

§ 1.

Novitas (inquit BERNARDUS) *est mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis. Epist. CLXXIV ad Canonicos Lugdunenses. T. I. p.* 76. Quo verissimo adagio (quod non omne, quia *novum* est, respuit, sed tamen maxime circumspecte et caute agendum esse monet, ne, *novitatis* specie decepti, *antiquam et probatissimam veritatis viam* deseramus) ad novissimos adversarios procedimus, quos, *Novatorum*, *Neologorum*, vel *Novae Reformationis Patronorum* nomine insignitos, inimicos experta est antiqua et vere Euangelica Christianorum religio, cuius defensores hi (soli scili-

li-

licet! illuminati et facem orbi in tenebris praeferentes) Idiotarum, Obscurorum et Obscurantium titulo condecorare solent. Fateor, (quod tamen de singulis minime dicendum,) permultos eorum numero inesse viros, doctrina et animi dotibus clarissimos, eruditione eximios, moribus et vitae genere laudatissimos, sed de quibus et hoc PLATONIS verissimum: Αἱ μεγάλαι φύσεις μεγάλας ἐκφέρουσι τὰς κακίας. *Heroica ingenia magnis vitiis laborant.* De his autem dum agimus, omnino brevissimis esse licebit, non adeo, quod hoc intestinum bellum, cum magno Ecclesiae damno et aliorum offensione, geratur quotidie, ita ut, qui ista ignoret, fere nullus sit; sed inprimis, cum ante hoc quinquennium, ex publico Roterodamensium instituto, hanc rem ex professo egerim, edita (ad quam saepius iam provocare debui) Dissertatione Belgica, sive *Godgeleerd-Historische Verhandeling; over de gevoelens, de gronden, het gewigtige voor de eeuwigheid en burgermaatschappyen, den voortgang en den tegenstand der hedendaagsche zoogenaamde verlichting en Godsdienst-bestryding.* Quo scripto, inter multa alia, *Historiam Neologicam* contexui *pag.* 102-129; porro nonnullas, unde haec omnia orta sint, *causas* addidi *pag.* 180-194; de *remediis propagandi* differui *pag.* 206-225; quid ab aliis *oppositum* fuerit, enarravi *pag.* 237-255; optimam *refutandi viam* exploravi *pag.* 255-276; denique, rem admodum gravem esse, etiam pro regnorum et rerumpublicarum tranquillitate publica, solidis (ut mihi videtur) argumentis evici, *pag.* 194-206: quae cuncta, si volupe fuerit, lector consulat.

Ego vero haec omnia minime repetam, ob materiae ubertatem, qua dissertatio, iam satis grandis, in immensum creseret. Postulat tamen instituti ratio, ut, nonnulla hic adiiciantur, ne aut ab instruc-

tio-

ctiſſima acie nobis timere videamur, aut deſperatae religionis cauſae tribuatur, quod brevitatis cauſa praetermiſſum foret. Ergo, ut coepimus, tandem finiamus, et, contractis velis, poſt indicatos, quibuscum bellamus, hoſtes, ℵ. obtrectationum cauſas, ב. quid ab iis timendum ſit veritati, ג. quid commodi attulerint, -- videamus.

Hoſtes cum dico, non invidioſe *Neologos* dixerim, qui (cum a nonnullis peccatum ſit in quibusdam S. S. locis explicandis, et, nulla contextus aut propoſiti habita ratione, ad hanc illamve opinionem defendendam, ſine iudicio trahendis) in verum ſcripturae ſenſum ſedulo inquiſiverunt, et multum ei lucis ex linguarum dialectis, gentium moribus, vel etiam iuſtis regulis Hermeneuticis, attulerunt. Debita eos potius laude efferamus, illorumque opera grati et laeti fruamur, probe ſcientes, eos magis veritatem prodere, quam ei prodeſſe, qui futilibus, levibus et male adhibitis, ſaepe etiam indignis, pro ea argumentis utuntur. Neque eos ſtatim Neologorum numero adſcribimus, qui in rebus minoris momenti a conſueto tramite diſcedunt, ceterum in doctrina Euangelica perſeverantes: multo minus, qui exegetice, non vero dogmatice differunt; aut qui Euangelice magis cum vere orthodoxis Reformatoribus et Liturgiis publicis, quam cum quibusdam recentiorum ad certam analyſin, cui Deum ipſum alligant, loqui volunt. Damnamus enim φιλαδελφικῶς, et damnavimus dudum (*Diſſ. Belg. p.* 63-66.) rixas et odia, quae plerumque *Diotrephum* invidia, vel ambitio, de *veteri* et *novo lumine*, ut loquuntur noſtri temporis homines, hic illic excitavit; ſed et eos damnavimus, qui elati et imprudentes iis rixis cauſas dederunt, iſta odia foverunt, vel etiam fallaci ſub logomachiae, vel rei minoris momenti larva ipſi veritati Euangelicae in-

teritum meditabantur. In hos enim quadrat, quod PAULUS dixit, τινῶν ἀνθρώπων αἱ ἁμαρτίαι πρόδηλοί ἐισι, προάγουσαι εἰς κρίσιν. τισὶ δὲ καὶ ἐπακολουθοῦσιν. I TIM. *V*: 24.

Illos vero volo *Novatores*, qui Deistarum, Naturalistarum et Incredulorum nomen exosi, in re tamen fere nulla ab iis differunt, hoc si excipias, quod censeri velint *Christiani*, vel etiam *Protestantes*, et *Doctorum* vel *Pastorum* munus ambiant, et de CHRISTO, *Euangelio* et *Christiana religione* saepius magnifice loquantur; ceterum divinitatem S. Codicis variis modis minuentes, aut fere plane tollentes, omnia religionis dogmata ita explicantes, vel potius distorquentes, ut parum, vel nihil a rationis sibi relictae dictamine abire videantur: quod nempe *Novam Reformationem* dicunt, quae religionem ad Apostolicam simplicitatem (ita enim iactitant) reducat.

§ 2.

Verum, si forte quaeras, *quali* tandem, et *quo modo* hoc novum adversariorum agmen rem Christianam aggrediatur? multis ad hanc quaestionem Dissertatione modo laudata respondi, quae hic repetere non vacat. Mitto igitur, quos ibi notavi *Neo-arianos*, PURGOLDIUM, aliosque, praesertim Britannos, *pag.* 68 et 76-91. Mitto, qui aperte se *Socinianis* adiungunt, CRELLII plerumque sectatores, quales post Britannos (de quibus conf. WENDEBORN, in *Regni Brit. hodierno statu. T. III.*) in Germania cum EBERHARDO, TELLERO, complures (conf. SEMLERUS, in *Defens. Edicti Regii*, *p.* 123.) *Ibid. pag.* 92 102. Mitto etiam magis proprie dictos *Neologos*, vel *Christiano-Deistas*, DAMMIUM, STEINBART, BASEDOW, SALTZMAN,

MAN, NICOLAÏ, FISCHER, RIEM, sexcentos alios, de quorum nonnullorum scriptis et doctrina fusius egi, *ibid. p.* 103-129. uti etiam, qui cum iis tantum non in omnibus conveniunt, vulgo dictis *Illuminatis*, et de eorum cum quibusdam veterum convenientia vel dissensu, *ibid. p.* 130-175, ubi multa, non adeo singulis cognita, cognitu tamen haud inutilia, in compendium quasi redegi.

Sed, missis iis omnibus, nonnulla supersunt, quae huius dissertationis instituto conveniant, et quae brevissime adiiciam. Iam vero, cum meis ipsius libris uti, ob rationes in praefatione memoratas, non potuerim, multum me hic debere gratus agnosco doctissimo viro METGER, *S. Min. Cand.* et *Gymnasii Leerani Rectori vigilantissimo*, cuius libris uti, cuius opera sublevari, mihi, pro eo, quo fertur in religionem, in literas, et in me etiam, amore, feliciter contigit. — Ad rem ipsam progredimur.

Fuerunt primo, qui optime se religioni consuluisse somniarent, si statuerent, Israëlitas, supra omnes fere gentes, rudes plane et inscios fuisse, et ruinis quasi MOSIS et Prophetarum sapientiam IESU et Apostolorum superstruere conarentur. His praeclarissimum libellum opposuit doctiss. HASENKAMP: *Die Israëliten, die aufgeklarteste Nation unter den ältesten völkern. Anno* MDCCXC.; immo et doctrinas eas, quas illi plerumque CHRISTO et *Apostolis* proprias statuunt, iam in V. T. libris esse traditas, multi probarunt. v. c. SEILERUS pluribus locis, et inprimis KÖPPEN libro egregio (de quo deinceps) *Die Bibel, ein Werk der Gotl. Weisheit. T. I. p.* 491.

Alii bene multi Dei κατάβασιν in docendis hominibus (e qua saepius πολυποικίλη αὐτῆ σοφία elucet) nimis distendunt, ac si IESUS, eiusque Apostoli sese ad erroneas Iudaeorum ideas accomodassent, atque

adeo non semper ipsas veritates docuissent. Hoc non tantum multis in Germania post STEINBART, SEMLERUM, et TELLERUM (cui, in aliis etiam, satisfecit G. H. LANG. *Zur beförderung des nutzlichen gebrauches des* WILH. ABR. TELLERISCHEN *Wörterbuch des N. T.* IV Tomis, forma octava, Edit. *Anspach* A. MDCCLXXVIII-LXXXV.) placuit, sed et inter Batavos. vid. VAN HEMERT *Orat. speciali* et *Societatis* TEYLERIANAE *T. III.* His vero egregiam Dissert. oppositi cl. IOD. HERINGA *in Opp. Societatis Hag. pro defend. rel. ad* A. MDCCLXXXIX. Conf. de *Accommodatione* inter alios HESS. *Lehren, Thaten, und Schikfale unsers Herrn. Zurich* MDCCLXXXII. HAUFF. *Bemerkungen über die Lehrart* IESU, *mit Rucksicht auf Judische Sprache und Denkart. Offenbach* MDCCLXXXVIII. HASENKAMP, *Briefe über Propheten und Weissagungen. T. II. p.* 30. et SEILER, *über die Gotl. Offenbarung. T. II. C. XIV.*

Alii, novam viam ingressi, *perfectibilem* esse Christianismum docuerunt, et *de religione Perfectiorum* loquuntur. Scilicet TELLER tres gradus statuit Christianismi: *Fidei Christianismum*, *Rationis Christianismum* et *Puriorem Christianismum*, in libro: *Die Religion der Volkommnern. Berlin* A. MDCCXCII. *p.* 54., quod quantum differat a *Tribus de persona Christi Theoriis*, alii iudicent, de quibus, addita brevi refutatione, egi in *Diss. Belg. p.* 104-106. Quartum gradum adiunxit OCKEL, nempe *Philosophicum Christianismum*, quo quis secundum certas Hermeneutices regulas *sensum veri rationalem* e S. S. eruat. Distinguunt enim inter formam et materiam, inter putamina et nucleos, inter temporalia et essentialia doctrinae IESU, eiusque Apostolorum, atque ideo non solum, quod de *Angelis* et *Diabolis*, sed et, quod de *Suscitatione mortuorum* et *novissimo Iudicio* occurrit, in dubium vo-

vocant, aut plane negant. Interim, quantum exegesis et regulae Hermeneuticae Orthodoxorum Neologicis praestent, variis exemplis probatum dedi in Notis ad *Hist. Meyerianam. pag.* 146. *seqq.* Porro IAC. CHR. RUD. ECKERMANN in *Praefat. Compendii Theol. Christ. Theoreticae, Biblico-historicae. Altonae* MDCCXCI, scribit: „se tantum omnia ista, *quae* IESUS *primus* „ *inter Iudaeos docuerat*, vel quae in litteris sacris „ V. T. *de digno ac pio veri Dei cultu* tradita, et a „ IESU atque Apostolis iterum iterumque tractata et „ confirmata sunt, una cum iis, quae cum his do„ ctrinae sacrae capitibus ipsa natura sua arctissime „ coniunguntur, salutari doctrinae CHRISTI propria „ esse, existimare: reliqua vero ipsi quidem idcirco „ ad hanc doctrinam nequaquam pertinere videri, „ quia haec omnia nec ad IESUM CHRISTUM, *neque* „ *ad Apostolos auctores referri possint*, quum diu ante, „ quam IESUS docuerat, a Iudaeorum Doctoribus in„ venta et per doctrinam publicam inter Iudaeos dis„ seminata sint, nec cum salutari doctrina CHRISTI „ necessario cohaereant." Has vero quoque ideas cl. SEILER in libro *über die Gotl. Offenbarung* respexit, refellitque.

Alius postea, auctor nempe tractatus, *Etwas zur kritik der bisherigen Dogmatik* in dem *Henkischen Magazin für Religions Philosophie, Exegese und Kirchengeschichte. B. I. pag.* 353 *seqq.* a theoria dogmaticae *Historiam* separari voluit, et ad eam non magis *vitam* IESU CHRISTI, quam historiam ZENONIS ad tractationem Stoicae Philosophiae pertinere contendit. Illam in historia, non in tractatu religionis describi oportere, neque doctrinam *de Fide et Iustificatione* esse in religionis theoria tractandam. *p.* 362. Et ipse HENR. PH. CONR. HENCKE in *Lineamentis Institutionum Fidei Christ. Historico-Criticarum. Helmst.* MDCCXCIII.

libros dogmaticos *Christolatriae*, tanquam criminis accusat. Verum religionis *theoriam* cum *historia* et in V. et in N. T. maxime coniunctam esse, ita ut utraque separari non queat, a multis demonstratum est. Conf. praeter SEILER. l. l. IO. IAC. HESS in tractatu *über die wichtigkeit des Bibliſchen Geſchichts Studiums*, tomo primo operis, inscripti, *Bibliothek der heiligen Geſchichte*, A. MDCCXCI, inserto.

Multi totam religionem Christianam nil, nisi *Ethicam*, continere, et ad hanc stabiliendam fidem in Deum et spem futurae vitae vel sufficere, vel ne necessariam quidem esse, arbitrantur.

Licet enim ipse KANTIUS declaraverit, *Criticam Philosophiam Revelationi non nocere*, attamen, ex quo tempore libri *Verſuch einer kritiq aller Offenbarung* (*Koningsb.* MDCCXCII) *über den verſuch einer kritiq aller Offenbarung, von* M. NIETHAMMER. (*Iena* MDCCXCII) et KANT's *Religion, innerhalt der gränzen der Vernunft.* MDCCXCIII. prodierunt, quis apologeticos illos esse pro vera et Euangelica Christiana religione sibi persuadeat? Auctor enim *prioris libri* „eatenus tantum possibilitatem revelationis admittit, quatenus nos ea „ indigeamus; — eatenus autem nobis necessariam „ esse, quatenus lex moralis inde fulciatur; — Legem autem moralem iam rationis ope cognosci, „ rationemque iam existentiam Dei, opificem mundi moralis, nostramque durationem post mortem „ *postulare.*" (non *demonstrare*, quod ceteri profitentur; conf. IAKOBS *Allgemeine Religion. Halle* MDCCXCVII.) Nobis ergo re vera revelatione non opus sit; sed confer, quae de ratione, non sufficiente hoc generis humani statu, notavi, *Diss. Belg. pag.* 114-117. Alter, NIETHAMMER, *lib. laud.* et *Doctrinae de Revelationis modo rationis praeceptis consentaneis ſtabiliendae periculum* (*Ienae* MDCCXCVII.) „omnes graves sen-

„ ten-

„ tentias, *quibus ad morale bonum instigamur*, sive a „ nobis inventas, sive aliunde depromtas, nobis *Re-* „ *velationem* esse," contendit; a quo non multum abest AMMON in libro, *Von dem Ursprunge und der Beschaffenheit einer unmittelbar Göttlichen Offenbarung*, qui, hoc ipso anno, *Gottingae* prodiit, statuens „omnes, qui impetu quodam in amorem boni (sicuti „ Poëtae) raperentur, eos Revelationem ore preme- „ re." Neque multum abludit ipse KANTIUS, qui in libro, modo laudato, re vera non, quod spondebat, se *intra* merae rationis limites continuit, sed *extra* eos evagatus, *Polemicam* potius contra Christianismum, quam eius *Apologeticen* scripsisse censendus est. *Historicam* enim interpretationem plane deseruit, et alteram, sic dictam, *Moralem* adhibuit, qua omnia *hieroglyphice* tractat, et CHRISTUM ipsum mutat in *Prosopopoeiam boni principii*, seu *Deo probati hominis*, Eiusque *mortem vicariam* in Mysticum typum eius, *quod cuivis, in transitu a malo ad bonum, sentiendum est*: adeo ut, vel ex Corano, aut quavis fabula Romanensi, idem haurire queas. Scilicet hi sunt *illi* Philosophi reformatores et accuratae Hermeneuticae Professores, qui veteres nostros Scripturae interpretes ob insanum allegorias captandi studium explodunt! Neque ita quid novi dixit vir magnus, in cuius verba tot tantique asseclae, vel defensores iurarunt. Methodus variat, forma mutata, res vero haud diversa a SEMLERI, aliorumque sententia, qui revelationem ex *sensu quodam morali* diiudicandam statuebant, et *S. Litteras eatenus esse divinas dixerunt, quatenus utiles esse deprehenderentur*. Vide, quae in illos animadverti in *Diss. Belg. pag.* 110, 111. Invenit ergo gravissimos adversarios vir acutissimus. Eius enim interpretandi rationem solide refellit Cl. ROSENMÜLLER in tractatu: *über einige Aussерungen des Herrn Prof.* KANTS,

KANTS, *die Auslegung der Bibel betreffend*, adiunctis, *Einige Bemerkungen das Studium der Theologie betreffend &c.* cuius editio altera prodiit. *Erlang.* MDCCXCIV. Illius systema ipsum concusserunt inter alios vener. STORR, *Tubingensis*, in *Annotationibus quibusdam Theologicis ad Philosophicam* KANTII *de Religione doctrinam.* MDCCXCIII., SEILER. *Der vernunftige Glaube an die Wahrheit des Christenthums.* (*Erlang.* MDCCXCV.) et in saepius iam laudato praeclarissimo libro: *über die Gottlichen Offenbarung*, qui duobus tomis prodiit. A. MDCCXCVI-XCVII. et denique, hoc ipso Anno Hannoverae EWALD edidit, *über die gröſſe Jesu und ihren Einfluſz in seine Sittenlehre.*

Habes hic recentissimorum, quae aut post dissertationem meam Belgicam prodierunt, aut ad meam saltem cognitionem pervenerunt, Neologicorum scriptorum epitomen, quibus tela vibrasse illorum auctores, eruditissimos illos et dictionis elegantia praeclaros, in illam Christianam religionem, quam maiores nostri professi sunt, nos vero etiamnum profitemur, ab optimo Magistro IESU, eiusque Apostolis acceptam, nemo est, qui non videat, nec ipsi inficiantur, merito igitur adversariorum numero adscribendi.

Non tamen eos recensui, qui alicuius sectae, diu et solide refutatae, *Arianorum* nempe, *Sabellianorum*, aut *Socinianorum*, placita ex professo sibi defendenda sumserunt, quorum ingens numerus quotidie prodit. Quos inter, ante biennium, IOSIAS FRIED. CHRIST. LÖFFLER, (longe diversus ab illo LOEFFLERO, qui ante hoc seculum fere vixit, laudatus *Sect. II. Cap. IV.* § 3.) edidit tractatum: *über die Kirchliche Genugthuungslehre*, quo vicariam Iesu satisfactionem acerrime impugnat, qui utrum et de Trinitate recte sentiat, iudicent alii ex eiusdem *Versuch uber den Platonismus der Kirchenväter — aus dem Franz. übersezt*

sezst (tractatum enim scripserat SOUVERAINIUS) *und mit Vorrede und Anmerkung begleitet von* I. F. C. LÖFFLER. (*Züllich* MDCCXCII.) — Verum, sicut ad *hoc* solidissime rescripsit cl. CAR. AUG. THEOPH. KEIL, Lipsiensis, *Exercit. de Doctoribus veteris Ecclesiae, culpa corruptae per Platonicas sententias Theologiae liberandis.* (*Lipsi.* MDCCXCIII.) ita et *illud* κατὰ πόδα refutat auctor tractatus: *Prufung der Schrift des Herrn* D. LÖFFLERS *über die Kirchliche Genugthuungslehre, herausgegeben von einen alten Landprediger in Chursachsen*, cuius pars prior A. MDCCXCVII prodiit: ut ex aliis iam pridem sapere potuisset LÖFFLERUS, V. C. IOACH. HARTMANNI *Vernunftmässigen Beweise von der Nothwendigkeit und Wirklichkeit eines Erlösers.*, IO. DAV. MICHAËLIS *Gedanken über die in heiliger Schrift offenbarte Lehre von der Genugthuung* CHRISTI *als einer hochstvernünftigen und der Weisheit und Güte Gottes gemässen Lehre.*, S. V. MARPERGER, *Das grosse Sühn- und Sündopfer des grossen Versohntages.*, GOTTHILF TRAUGOTT ZACHARIAE, *Bibliscber Theologie. Part. II.*, aliis. At de his, inquam, nihil adiicio, cum, quia non *Theologiam Didactico-Elenchticam* scribo, sed de his tantummodo differo, qui revelationi violentas manus iniiciunt, quos inter non adeo recensendus LÖFFLERUS, qui potius S. S. locis, contortis licet, Socinianorum haeresin confirmare studet; tum, quia nihil fere novi, saltem quod ad materiam, pro re sua afferunt, sed tantum non omnes ex *Bibliotheca Fratrum Polonorum*, (cuius summam dedi *Diss. Belg. ad pag.* 93.) aliisque veterum Socinianorum scriptis sapiunt, incautis Theologiae studiosis fucum facientes, qui, a veterum lectione et verae Theologiae studendi methodo in dies magis alieni, doctorum suorum in verba unice iurant, praesertim, postquam Neologi artibus suis latinam linguam e multis Aca-

demiis exsulare iussserunt, quo incauti iuvenes a veterum lectione arcentur, et, quo minus purissimos fontes adeant, prohibentur, ad turbatos rivulos deducti. Hoc unum addidisse liceat, omnes SOCINI et Assectarum errores et παρερμηνείας iam dudum resutatas fuisse ab HOORNBEEKIO in *Socinianismo confutato*, in tria voll. quartae formae diviso., ARNOLDI, *Resut. Catecheseos Racovianae.*, MARESIO, *Hydra Socinianismi expugnata* adverss. VOLKELIUM, tribus in quarto voluminibus., CALOVIO, *Scriptis Antisocinianis*, III voluminibus in folio., et STAPFERO, *Theol. Polem. T. III. C. XII. p.* 350-583. Quin ne sic quidem Socinianos novi quid docuisse, sed ex antiquioribus Haereticis sapuisse, ostendit MARCKIUS, *Orat. IV. post Exerc. Misc.*

Multo minus eorum nos detinent nomina et scripta, qui, omni abiecto pudore, et furore quasi abrepti, insanientibus potius, quam adversariis responsione dignis, adiungantur. Hi enim, primis bene argumentandi posthabitis regulis et praeceptis, magna cum eruditionis, perperam adhibitae, ostentatione, omnia, etsi probatissima, negant, Christolatriam ex Gentium *Deificationibus* derivant (quibus tamen Iudaeos abhorruisse plane, tironibus notum) et vero tam absurda, ac sano et communi sensui contraria, docent ipsi, ut vix ulli, mentis compoti, noceant, ipsis autem honestioribus incredulis displiceant. Hos inter, post VOLNEÏ *Ruïnes &c.*, primum facile locum occupat THOMAS PAINE, non adeo ob scripta politica, quae iam nihil ad nos, — sed ob editum a se *Seculum Rationis*, librum dicam ne? *stolidum*, an *impium*, qui, ex nostrorum temporum licentia, Belgico idiomate donatus et Batavorum legislatoribus, qui tum erant, dedicatus, benignissime acceptus et in bibliothecam Batavam (dignissimus scilicet, qui asser-

ſervaretur theſaurus!) relatus fuit, ſi *diariis* fides ſit, *N. XXIII ad diem XXIII Maii huius anni.* Libro, blaſphemiis, impudentiſſimis mendaciis, hiſtoriarum corruptionibus, et millies refutatis in S. S. obtrectationibus, repleto, reſponſa dare coeperunt unus et alter, quos inter ven. IO. STEENMEYER, Flardingenſium Paſtor fideliſſimus, E. KIST apud Dordracenos V. D. M. laudatiſſimus et C. P. SANDER Lutheranorum Roterodamenſium Paſtor legitimus, amicus meus et συμπάσχων, quin et in Germania refutationem a viro doctiſſimo parari his diebus audivi, libro melius forte contemnendo, et oblivioni, cum multis eiusmodi, quae exiſtentiae ſuae vix memoriam reliquerunt, quam citiſſime tradendo.

Hos vero amentes Neologos inter non recenſui, quia, quicquid tandem hi contra veritatem Euangelicam attulerint, non ad eum tamen inſaniae vel impietatis gradum progrediuntur, BAHRDTIUM ſi cum uno alterove alio exceperis, quos ideo apertis Deiſtis, quam Novatoribus potius adſcripſi.

Verbo: eos tantum innuo, qui, cuius doctores et vindices ex muneris ſui ratione eſſe debeant, veritatem inſectantur, et de quibus recte venerandus ille, qui LÖFFLERO ſe oppoſuit, ſenex, in *Praefat. pag. IV.* „Der *Genius* unſerer zeit heiszt REFORMA„ TIONSSUCHT. Man denkt ſich unſer Evangeliſches „ Chriſtenthum wie ein rohes Pabſtthum. Ein jeder „ will ein LUTHER ſeyn, der es reiniget und beſſert. „ Alle alte Wahrheiten, die unſere Väter für ſehr „ zuverläſſig hielten, werden in Reviſion genommen. „ Man prüft ſie mit der Geſinnung, ſie falſch zu fin„ den und etwas Neues zu ſagen. Man nimmt he„ terodoxe meynungen an und ſucht ſie mit der Bi„ bel in Harmonie zu bringen. Man verbindet mit „ den Worten der Bibel, dadurch die hauptbegriffe

„ ausgedrückt werden, andere vorstellungen. So ist „ es möglich alles in der Bibel zu finden was man „ will. Wer am kuhnsten ist, solche meynungen „ zu erfinden, sie mit der Philosophie und mit der „ Bibel aufzustutzen, der ist ein *Aufklärer*, der thut „ die Fenster auf. — Wer vollends beweisen kann, „ dasz die Christliche Religion keine geoffenbarte „ sondern eine blosze Vernunftreligion sey, — dasz „ IESUS durch seine Lehre nur der Vernunft einen „ Schwung gegeben habe, dasz diese sich nun sel- „ ber helfen und viel weiter als er fortschreiten kön- „ ne. — Der ist ein *Genie*, denn er unternimmt et- „ was Grosses, indem er daran arbeitet, uns Chri- „ sten ins Heydenthum zurückzufuhren — vielleicht „ in ein schlimmeres als das wovon uns CHRISTUS „ erlöset hat."

Gravissimas omnino tractamus quaestiones; respiciunt enim omnem nobis peccatoribus consolationis, aeternae salutis, atque ipsius virtutis et verae pietatis viam. Agitur de maxima in nos Dei O. M. misericordia, et unigeniti sui amore et gratia. Agitur de maximis et nobilissimis ad officia nostra sedulo et pie obeunda incitamentis, non ut Deum nobis miseris debitorem reddamus, sed immeritam illius erga nos benignitatem grati agnoscamus; agitur de nostra peccatorum in mortis momento consolatione, fortitudine, et spe salutis; agitur denique de communi Ecclesiae et rei publicae tranquillitate et ordinis conservatione, cum opinionibus de religione mire coniuncta, de quibus omnibus pluribus disserui *Dissert. laud. pag.* 198. *seqq.*

§ 3.

Causas novitatum earum si quaeris, brevissime respondeo. *a.*)

α.) Fuerunt, qui, non quidem dolo malo, sed imprudentes, religionem ab infidelium obiectionibus defendi tutius posse existimarent, si concedendo, IESUM et Apostolos se multis Iudaeorum praeconceptis opinionibus accommodasse, multas illorum obtrectationes effugerent. Hoc itaque primo in doctrina *de Angelis et Diabolis* ultro dederunt, istud minoris momenti iudicantes, nec, quid inde consequeretur, perspicientes. Cum vero postea istius *de accommodatione* canonis abusum in doctrina de θεοπνευσίᾳ, de *miraculis*, de *officio Messiae*, de *Satisfactione*, cett. viderent, se retibus quidem adversariorum implicitos viderunt, mirati, quo inconsiderantes essent abrepti; verum, φιλαυτίᾳ efflati, non illud CICERONIS sequebantur: *cuiusvis hominis est errare; nullius, nisi insipientis, in errore perseverare*: (*Philipp. XII. C.* 2.) et, licet AUGUSTINUS II Libros *Retractationum*, et I. H. FAUSTING integram Exercitationem scripserit *De Retractationibus Theologorum in rebus fidei* (*Wittenb.* MDCCXI), illi tamen turpe sibi putarunt, deceptos se profiteri, et ab errore in veritatis viam regredi, hanc potius in se damnationem trahentes: ὁ ἀδικῶν ἀδικησάτω ἔτι. καὶ ὁ ῥυπῶν ῥυπωσάτω ἔτι. (*Apocal. XXII:* 11.

β.) In reliquis autem praecipua eadem est, quae Deistis et Naturalistis, causa, nempe ingenii *superbia*, cuncta sibi patere fingens; mentis *arrogantia*, magnifice de suis viribus, praecipue moralibus, sentiens; et sui plenissima *ambitio*, quae nil, nisi quod ipsi faciunt, probat, et cum aliis sentire erubescit; quibus vitiis infecti novitates ambiunt, veritates, quas pueri didicerunt, aspernantur, eas inprimis, quae nil a nobis recte, nisi per Dei illustrationem, cognosci, nil veri nominis boni, nisi per veram regenerationem a nobis effici, atque nos ipsos, non nisi per stupendam Dei misericordiam, et Mediatoris

obedientiam, fide sola acceptam, salvari posse, ex ipsius Dei testimonio, docuerunt.

γ.) Accedit *Avaritia.* Cum enim haud pauci, sive animi levitate, sive mentis socordia, sive vitae morumque dissolutiorum amore, veritates Euangelicas odio haberent, neque tamen aperte illas negare, et in Naturalistarum castra transilire auderent, ut titulis, honoribus, existimatione, et muneris, sive Ecclesiastici, sive Academici, sive etiam Politici, ex iure conscripto, privandi, aliam sibi viam munire tentarunt, et, sumta religionis sublimioris larva, abusus, superstitiones, hominum commenta se oppugnaturos, ipsam vero religionem, simplicitati et puritati pristinae restitutam, defensuros et vindicaturos pollicebantur; incautos variis artibus ludentes, et omnem scripturae S. auctoritatem infringentes: quo quidem facto hypocritae et periuri, homines, et (si possent) Deum fallentes, honestis et cordatis Deismi patronis longe peiores censendi sunt. Mitto, quos auri sacra fames ad impugnandam religionem pellexit, cum in ea inciderimus tempora, de quibus recte Dr. BENGELIUS in *Apoc. XIV*: 17-20: „Es fehlt „ nicht viel (inquit) dasz Leute, die den grund der „ Christlichen Religion mit der Feder umreiszen, „ vollends öffentliche Pensioneu dafür von ihres glei„ chen bekommen: heimlich werden sie schon un„ derstützet." conf. quae pluribus extra dubium posuit ROBISONIUS *l. l.*

δ.) Absit vero, ut omnes et singulos eiusdem impietatis accusemus, cum multi ex *insciti*a peccent, quod pace illorum dixerim, qui se cognitionis lumine omnibus antecellere, et ingenio, eruditione et iudicio solos pollere existimant. Sunt, nec pauci, qui iuvenes ad Academias deducantur, nulla, aut tenui saltem religionis cognitione imbuti, statim ad Nova-

torum placita pellecti, nil, nisi eorum scripta legentes, quicquid audiunt, ut verum, admittentes; vix nomina, prorsus non opera illorum cognoscentes, qui vel antea veterum haereses refutarunt, vel etiamnum Neologis se opposuerunt. Hi, cum in verba magistrorum iurare, eos solos *magnos*, *eruditos*, *illuminatos* dicere, orthodoxos vero, ut *idiotas*, *homines nihili* et *obscurantes*, despicere didicerunt, Philosophiae principia quaedam primis labiis gustavere, et circumforaneam inprimis pseudo-critices scientiam acquisivere, statim calamum exercent, ipsi religionem, vulgo receptam, aggrediuntur, et, quo impudentiores sunt, eo in *Recensionibus*, ab ipsis praeceptoribus et amicis conscriptis, laudibus efferuntur maioribus; quo tandem veri Theologastri evadunt, non, nisi (quod nobis obiicere solent) ex systemate doctorum suorum, sapientes, veterum scriptorum, et, quas illi ediderunt, veritatis vindiciarum ignarissimi, ac veris modestisque eruditis vere irridendi. Exempla HEILMANNI (qui, ἑτεροδοξίας accusatus, se omnia ex *Biblioth. Univers.* et TELLERO descripsisse professus est) et aliorum excitavi in *Diss. Belg. pag.* 181-187. Hi vero, quorum non tam *impietas*, quam *ignorantia* culpanda est, non, nisi sibi, *magni* sunt, quibus vetus illud adagium: *Aiacis risus:* dictum sit, qui, cum porcos occideret, magnus sibi heros videbatur, et, cum forte duos maiores necasset, quasi de caesis AGAMEMNONE et ULYSSE triumphos agebat.

ε.) Omnium vero maxime communis causa est *publicae laudis captatio.* A quo enim tempore novi reformatores principatum in Republica literaria invaserunt, iidem omnis generis *Annales*, *Bibliothecas* et *Recensiones* scribere coeperunt; quibus *Vae! Vae!* omnibus et singulis, qui religionis causam defendere audent, *Laurcola* vero Novatoribus. Tempus fuit, quo cla-

clariſſimum WALCHIUM *Satanam* dixerit SEMLERUS, neque, quid ZIMMERMANNUS, SEILERUS, HERDERUS etiam nonnumquam, ab iis paſſi ſint, quemvis fugit. *A. huius ſeculi* LXXXI auctor tractatus, *Apologia rationis ad* D. SEILERUM, omnes, qui doctrinae *de Satisfactione* fidem adderent, *non homines, ſed ſimias* (ourang outangs) dixit, *pag.* 110. conf. quae de LAVATERO et SEILERO, peſſime habitis in *Bibliotheca*, quam NICOLAI edere ſolebat, *Germanica*, in exemplum protuli, *Diſſ. Belg. pag.* 6. Neque dubito, quin, ſi forte per καταβασιν hanc diſſertationem inſpicere dignentur noſtri Priſciani, ferulam experiar, iſta, quae nunc ſcribo, exemplo meo ipſe comprobaturus. Conferri meretur doctiſſ. HEINZMANNI, Libarii Bernenſis, *Appel à mon païs, concernant un complot, formé par les écrivains et les libraires d' Allemagne, pour diriger l'uſage de la Litterature, à inſpirer le mepris pour tous les établiſſemens civils et religieux de l' Empire.* Iam vero, ut fit, a publica famae deminutione ſibi cavendum eſſe, plerique e re ſua exiſtimant, praeſertim iuniores, aut, qui publica munera ambiunt, cum vulgus eruditorum e Recenſionibus de libris iudicare ſoleat. Hinc pauciſſimi pro veritate, ſicuti in CHRISTO eſt, arma ſumunt, niſi qui τὴν δόξαν τὴν παρὰ τοῦ Θεοῦ hominum vaniſſimorum applauſui anteponere, divina gratia, didicerint; plerique vero, laudis cupidi, errores defendunt, quibus ſe placituros eſſe ſciunt, vel ſaltem cognitam veritatem diſſimulant, ab hoſte ſibi timentes, et genio ſui temporis ſe accommodant, obliti illorum, quae in doctores Iudaeos Dominus dixit, IO. *V*: 44. Πῶς δύνασθε ὑμεῖς πιστεῦσαι, δόξαν παρὰ ἀλλήλων λαμβάνοντες, καὶ τὴν δόξαν τὴν παρὰ τοῦ μόνου Θεοῦ οὐ ζητεῖτε; — — De morum licentia habeo, quae addere poſſim; ſed, ne

ne calumniis pugnare videar, abſtineo, lectorem dimittens ad ea, quae ROBISONIUS de C. F. BAHRDT, WEISHAUFT, ZWACK, et de *Filiabus Minervalibus* probata dedit libro ſaepius laudato, horrenda quidem et nefanda adeo, ut ſine pudore iſta deſcribere haud ſuſtineam.

§ 4.

Inveſtigatis tanti in verum et genuinum Chriſtianismum odii cauſis, poſtulat inſtituti ratio, ut ne hos quidem ipſi veritati nocuiſſe, vel nocituros umquam (quicquid tandem ſibi polliceantur) breviter demonſtremus. —

Hoc enim lugemus, illorum ſive ignorantiam, ſive impietatem et ſuperbiam multum mali Eccleſiae Dei attuliſſe et afferre quotidie. Quot enim praeclara iuvenum ingenia pellecta fuere! quot doctores, animi et corporis dotibus eximios, qui Eccleſiae fulcra, et honor CHRISTI eſſe poterant, male ſuada κρίσει τῦ Διαβόλυ ſuperbientis implicuit ambitio! quot Paſtores, in via Domini talpis coeciores, ſibi praeeſſe dolent ovilia CHRISTI, quae ἀρχιποιμένος ſui vocem norunt! quot (niſi prohibeat Deus) peribunt animae, quae a CHRISTO ad KANTIUM; ab *Euangelio* ad *Pſeudophiloſophiam*; a *fide* ad *opera*; ab *animi ſubmiſſione* ad φιλαυτίαν; a *ſcientia coeleſti* ad *ſophiſmata*; a *vera pietate* ad *virtutes mere civiles*; a *conſolatione aeterna* ad *ſpem inanem*; verbo, a *Chriſtianiſmo* ad *Ethniciſmum* abducuntur.

In dies creſcit error, impudentia, impietas, et ridetur, qui, Servatori ſuo fidelis, in cruce Domini, ſui redemtoris, gloriatur, et quem miſeret ruinarum Sionis.

Verum vivit et regit, qui Ecclesiam suo ipsius sanguine redemit, summus Rex et Pontifex in throno. Stabit promissis, et his etiam *Deus providebit!* Egregia, non possum, quin adscribam beati HOLLEBEEKII, *l.l.*, verba: „ Ne unquam in hoc cum tenebrarum „ principe eiusque satellitibus certamine despondea- „ mus animum! sed cum orci portae, secundum cer- „ tissimam CHRITI promissionem, nullo tempore Ec- „ clesiam sint superaturae, quo magis illi cristas eri- „ gant, lacertos moveant, suisque nos telis inpe- „ tant, eo contra, veritatis clypeo obtecti, eamus „ audentiores, de victoria, sub Ducis nostri auspi- „ ciis, certo certius reportanda, nihil quidquam du- „ bitantes.

Certe licet quid detrimenti hic illic tulisse videatur Ecclesia CHRISTI, ob neglectum vitae Euangelicae forte castiganda, stat tamen, stabitque ipsa religionis inconcussa veritas, neque etiam Novatorum obtrectationibus quicquam amisit; nam

1.) *Philosophia*, quam iactant, communi sensui in multis et maximis obloquitur. *Regulae Hermeneuticae*, quas excogitarunt, ab iis ipsis exploderentur, si ad HOMERUM, VIRGILIUM vel TACITUM eas applicares. *Criticam*, qua adeo superbiunt, aut ipsi ignorant, aut mala fide ea abutuntur, vel coniecturis, quas in Socinianis iam ante duo secula refutarunt viri doctissimi, contaminant. Arma igitur illorum non nocent, nisi incautis, vel imperitis.

2.) Religionem, quam impugnant, ipsi laudibus extollunt, nec *Christianorum*, vel etiam *Pastorum* et *Doctorum* titulum respuunt. Cur vero CHRISTUM vocant, qui SOCRATEM et SENECAM sibi sufficere dicunt? Cur ad *Euangelium* provocant, qui de *Corano*, vel EPICTETI *Enchiridio* eadem pronunciant? Cur nobiscum computari volunt, qui nos odio per-

se-

sequuntur? Cur *Naturalismi* nomen effugiunt, qui naturae viribus se cuncta debere profitentur? Cur e nostris haberi optant, qui *simias* nos dicere non erubescunt?

3.) Nova multa (nam vix tres consentientes inter ὁδοηγὸς invenias) licet condidisse Systemata videantur, nihil tamen unquam *novi* in religionem Christianam proferre potuerunt. Sive enim DAMMIUS, quem BAHRDT secutus est, convicia et calumnias Iudaeorum ex *Toledoth*, sive LESSING et alii CELSI et PORPHYRII commenta, sive STEINBART Deistas, sive TELLER et plerique SOCINUM, sive BASSEDOW (omnibus ceteris cordatior) Arianos, sive KANT Fanaticorum deliria et allegorias morales sequatur, vel alii alios Haereticos imitentur; nullus tamen horum aliquid *novi*, quod ad *materiam*, protulit. Quin ipse fatuus ille PAINE suam Christologiae cum veterum Mythologia comparationem nec ipse, nec primus, invenit: exstat enim iam in libello, cui titulus: *Commentarius in Edictum Regium, Amst.* MDCCLXXXVIII, cuius blasphemias in S. S. Trinitatem, *pag.* 27, et in doctrinam *de Satisfactione*, *pag.* 60, descriptas dedi in *Diss. Belg. pag.* 244. Sit etiam, antequam PRIESTLEYUS mala fide historiam Ecclesiasticam detorsit in famosissimo libro: *Geschiedenis der verbasteringen van het Christendom.* A. MDCCLXXXIV, idem fecit A. MDCCLXXX scriptor tractatus *Freymuthige Anmerkungen uber das Christenthum*, cui imprimendi facultatem denegavit *Facultas Hallensis*, sed quem *Tellerus* edi permisit. Solidissime illud duobus tomis refutavit cl. HEGELMAIER *Tubingensis.* vid. *Diss. Belg. p.* 217. Legi in hanc rem meretur clar. T. C. PIPER, *Gryphswaldensis*, Dissert. *de Antiquorum et Recentiorum relig. Christ. Adversariorum Convenientia et Dissensu*, inserta *Opp. Societ. Hag. pro Defend. Rel.* ad annum MDCCLXXXVIII.

4.) Neque tamen ullum vel syſtema, vel argumentum, quod *novi* ſpeciem haberet, unquam ab iis prodiit, quod non a doctiſſimis viris, CHRISTUM ſuum et Euangelicam veritatem amantibus, cito et ſolide refutatum fuit. — Hoc iam ſupra in enarratione noviſſimorum ſcriptorum Neologicorum, et quid iis repoſitum fuerit, oſtendi.

Quid de integritate S.S. et inprimis Prophetiarum contra recentiorum obtrectationes obſervatum fuerit, inprimis a modo memorato Cl. PIPERO, Diſſ. cuius argumentum: *Integritas Ieſaiae a recentiorum conatibus vindicata*, A. MDCCXCIII, et ven. BEEKHAUSIO, Gladbachenſium Paſtore, in *Soc. Hag. ad* A. MDCCXCVI, notavi in MEYER. *pag.* 248-250.

De *Iuſtitia vindicativa* et doctrinae capitibus, quae eo ſpectant, fuſius diſſerui contra recentiores *ibid. pag.* 220-228 et 165-174. 177-203 *et* alibi, qui iam ex A. GELLIO, *Noct. Att. L. VI. C. XIV*, diſcere potuiſſent, quid interſit inter νεθεσίαν, ſive κόλασιν, ſive παραίνεσιν, quae *emendationem caſtigando* intendit, et τιμωρίαν, quae iudicis eſt *legem vindicantis* et παράδειγμα, quod *ad alios deterrendos* reo infligitur.

Porro, quid pro religionis veritate, a Novatoribus defendenda, factum ſit a LUDERWALDO et MARESIO, *Superintendentibus*, hoc *Anhaltino*, illo *Brunswicenſi*, SCHUBERTO, IACOBI, HALLERO, LORENZIO *Straatsburgenſi*, SILBERSLACHIO, qui *Hiſtoriam Diluvii* ex profeſſo defendit, SEILERO praeſertim, diligentiſſimo viro, et ſexcentis aliis, uberius docui in *Diſſ. Belg. pag.* 245-249. Ubi et *Inſtitutum Anti-arianum* narravi, quod *Lady* MOYER *Londini ad D. Pauli* fundavit (ex WENDEBORN *M. Brittann. hod. Stat. T. II. p.* 199.) uti et alia eiusdem generis. *pag.* 251-255.

Silentio tamen praeteriviſſe, nefas eſſet, egregium librum, quem ven. D. I. KOPPEN debemus, a ven. Her-

Harlemenſium Paſtore VAN DER ROEST Belgico idiomate donatum. Hic enim vir doctiſſimus novam quodammodo ingreſſus eſt viam, in demonſtranda divina Codicis ſacri origine, edito excellentiſſimo (maximam partem) libro: *Die Bibel ein Werk der Gottl. Weisheit* (*Roſtock et Leipz.* MDCCLXXXVII *et* VIII.) in duobus tomis diviſo, qui liber ante hunc annum auctior prodiit. Ibi *triplicem ſcopum Codicis* S. ſtatuit: א. Deſcriptionis genealogiae a primo homine uſque ad IESUM CHRISTUM. ב. Singularis repraeſentationis divinae potentiae in miraculis et omniſcientiae in vaticiniis. ג. Continui fundamenti verae religionis et Ethices. *Tum* demonſtrat, ad haec tria Biblia plene planeque ſufficere. *Deinde* evincit, haec ſine *ſingulari influxu divino* praeſtari non potuiſſe. *Denique* de *diverſo genere* influxus divini in conſcribendis Bibliis ſententiam ſuam adiecit.

Omnia, quae breviſſime et digito quaſi monſtravi, ſi recte perpendas, mecum ſtatues, ipſam Euangelicam veritatem ex recentiſſimorum etiam obtrectationibus, callidiſſime novitatis ſpecie indutis, et neſcio qua clarioris lucis laude ornatis, *nihil detrimenti tuliſſe, aut aliquantulum labefactatam fuiſſe*; multi etſi, prima fronte decepti, fuerunt, et etiamnum ſunt νήπιοι, κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας, ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, ἐν πανουργίᾳ πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης. (*Eph. IV:* 14.) qui

— — iuſto ſine pondere labant,
Perque mare inſtabiles nimia levitate feruntur.

§ 5.

Reſtat, ut pro diſſertationis inſtituto evincamus, non tantum nihil perdidiſſe, ſed *multum omnino per*

recentissimam impugnationem lucratam fuisse religionis veritatem.

In his autem multum otii nobis fecit vir clariss. I. H. PAREAU Theol. et l. l. o. o. Professor et in Eccles. Wallon. Daventriensi V. D. M. habita, A. MDCCLXXXIX, Orat. Inaug. *De conatibus Incredulorum, rei Christianae plus emolumenti quam detrimenti afferentibus:* Hic enim licet *incredulorum* nomine eos praecipue intellexisse videatur, de quibus capite praecedenti egimus, multa tamen addidit, quae ad causam nostram apprime faciant. Displicet enim viro cl. „ hodierna Theologorum atque Interpretum temeritas et audacia; „ displicet, quo magis rationi consentanea reddatur „ religio Christiana, labefactari gravissima eius dogmata; displicet, obscura quaevis aut difficilia ad „ arbitrium mutari ac corrigi; displicet (quod recentissime factum, ex EICHORNII *allgemeine Bibliothek der biblischen Litteratur. T. I. Part.* 1 *et* 2. observat) „ ad aucupandam veluti gratiam incredulorum, inter fallacia somnia numerari mandatum de immolando ABRAHAMI filio; legislationem Mosaicam sine peculiari Numinis interventu explicari, pleraque, si non omnia, miracula tolli, &c." *pag.* 29. 30. Quanquam enim viri, orientalium dictione assueti, hyperbolen non ad literam sequamur, qui ipsius *mali* augmentum, quo scilicet homines non, nisi ab eo, quod nimium est, avocandi essent et absterrendi, optavisse videri possit, quo uberiora ex ipsis erroribus in veritatem emolumenta redundarent, in eo tamen rectissime iudicasse censemus, felicissimos ex eorum, qui religionem nostram impugnant, conatibus, pro sacri codicis interpretatione atque adeo pro ipsa Christianismi veritate, fructus carpi posse.

Hi vero cum plerique eiusdem generis sint, atque illi, quos ex Deistarum obtrectationibus nasci solere vidimus, paucis rem absolvemus. I.)

1.) *Authentia* librorum, e quibus potissimum haurienda est notitia religionis Christianae, sedulo magis examinata, solidius vindicata, et LARDNERI, LESZII, SEILERI, HAMELSVELDII, aliorumque opera et studio ad eum certi gradum perducta fuit, ut de HERODOTO, PLUTARCHO, CICERONE certiores non simus, quam de sacris, nisi HARDUINO similes esse malimus, cuivis sano irridendi.

2.) *Exegesis* vero et recta scripturas interpretandi ratio, quantum a pristina illa mutata, quam laetiori facie fulget! Utriusque Foederis, quotquot reperiri possent, manuscripti et impressi codices collati, antiquissimae versiones in sacrae Critices subsidium vocatae, linguarum indoles investigata, dialecti adhibitae, veterum mores, ritus, cogitandi agendique ratio magis perspecta, omnia denique remedia collata fuere, quibus cum totius scripturae, tum variorum locorum verus sensus investigari, et a Neologorum haud secus ac ceterorum contorsionibus, calumniis, exceptionibus et risu defendi et vindicari possit.

3.) *Revelationis* possibilitas et necessitas, utriusque codicis θεοπνευσία, divini *influxus* indoles et natura, *historiarum* fides, *vaticiniorum* veritas et scopus, *miraculorum* certitudo et vis probandi, *locorum* gravissimorum αὐθεντία, *dogmatum* pondera, *Ethices* praestantia, omnium religionis partium *nexus* et *harmonia*, et si qua alia novatoribus, nihil fere intactum relinquentibus, explosa fuere, adeo confirmata ac demonstrata fuerunt, ut haec pertractaturam fuisse, sine horum criminationibus, humanam socordiam, et vulgarem in rebus fidei securitatem, nemo sibi, qui homines norit, facile persuadeat.

4.) Ipsius religionis vere Euangelicae dogmata, ad Deum cognoscendum et hominem peccatorem beandum necessaria, et quae cum iis arctissimo nexu coniun-

iunguntur, ea nunquam simplicitate tractata, ea modestia et sedulitate (quantum hominibus licuit) explorata, ea ratione veri nominis Philosophis probata, ea persuasione stabilita, eo pio ardore defensa, ea eruditione a conviciandi libidine vindicata fuere, quam post novissimos in eam impetus, reformationis novae specie obductos.

5.) *Historia et Antiquitates Ecclesiasticae*, quarum studium a multis neglectum iacuit, ab aliis obiter tractatum fuit, cum ea impudenter et pessima fide abuterentur adversarii, discipulis et lectoribus, quos harum rerum imperitos scirent, quasi ex tripode narrantes, quae aperte falsa scirent ipsi, maiori cura et diligentia investigatae fuerunt, et plurima pro re nostra argumenta dedere, cum ad malam adversariorum fidem et impostura depellendas, tum ad remotissimorum seculorum de dogmatibus fidem explicandam, quod, uti saepius contra PRIESTLEY, alios, in antecedentibus, ita uberius monui in *Diss. Belg. pag. 262. seqq.*

6.) Denique (nam quid multis, ubi tot adsunt rerum testimonia, verbis utar?) crevit, et utinam in dies magis crescat!, mutua illorum caritas, qui Dominum IESUM, suum et nostrum, pia et gratissima mente diligunt: silere incipiunt rixae, et, quibus delacerabamur, intestina odia. Omnes ingenui ac veri Theologi, spretis illis de rebus minoris momenti dissidiis et mutuis avorum calumniis, laudabili aemulatione ad compescendos adversariorum clamores certatim concurrunt, et posthabitis Recensentium cum laude, tum vituperio, coelestem Christianismi originem, S. Codicis auctoritatem, veram Domini sui Deitatem, vicarium mortis suae ἀντίλυτρον, Spiritus operationes saluberrimas et Sacramentorum gratiam et consolationem, communibus viribus defendunt. „No-

„ bi-

„ bismet ipsi (inquit HOLLEBEEKIUS *l. l.*) ne desi-
„ mus unquam, sed rem nostram dextre semper et
„ strenue agamus; atque sociatis animis coniun-
„ ctisque viribus, abiecto partium studio, missa con-
„ tentione, sopitisque in perpetuum, quibus nunc
„ toties inter nos collidimur, simultatibus, litibus,
„ factionibus, pro fide, semel sanctis tradita, adver-
„ sus communem hunc Christianismi hostem ita de-
„ certemus, ut propediem illa illucescere videamus
„ tempora, quibus, deletis ZWINGLII, LUTHERI,
„ CALVINI, COCCEII, VOETII, LAMPII, aliorumque
„ eximiorum hominum nominibus, solius CHRISTI
„ nomine totus, qua late patet, orbis personaturus
„ sit." Conf. quae in hanc rem conscripsi *Diss. Belg. p.* 257. *seqq.*

Dictis finem imponam. Vidimus, quod me ostensurum spoponderam, *neque Neologorum nostri aevi, neque ceterorum, obtrectationibus, calumniis aut inventis, aliquid perdidisse, multum vero lucratam fuisse genuinae et Euangelicae religionis Christianae veritatem.* Q. E. D. „Eant igitur (verba sunt PAREAVII. *p.* 35.)
„ eant, et invisae religioni interitum minentur! glo-
„ rientur sua audacia! Sui et ingenii acumine et ani-
„ mi robore superbiant! Deus ridet eorum insaniam,
„ et ex perversis eorum consiliis ac nefariis conati-
„ bus multos et uberes in rem Christianam produ-
„ cit fructus, qui plurium et uberiorum fructuum
„ spem faciant non fallacem."

CAPUT IV.

§ I.

Non vereor, ne me nimium confidere quisquam
Arguat, ingeniique putet luctamen inire.
Sum memor ipse mei, satis et mea frivola novi. —
Sed liceat rectum servare a vulnere pectus,
Oppositaque volans iaculum depellere parma.
Nam si nostra fides seclo iam tuta quieto
Viribus infestis, hostilique arte petita est,
Cur mihi fas non sit, lateris sinuamine flexi
Ludere ventosas iactu pereunte sagittas? —
Sed iam tempus iter longi cohibere libelli,
Ne tractum sine fine ferat fastidia carmen.

Hisce AURELII PRUDENTII egregiis, quibus librum priorem in SYMMACHUM, pro defendenda religione Christiana finivit, versibus meliora non reperio, quibus et huic dissertationi, quibusvis omnis aevi Symmachis, id est, Euangelicae veritatis hostibus et errorum patronis, oppositae, finem imponam.

Hostili arte religionem peti, et ab ipsis incunabilis petitam fuisse, vidimus; hostilem audaciam *seculis quietis*, quae a Reformatione, sine Inquisitionis metu, effluxere, maxime crevisse, et *ventosas sagittas* in veritatem emisisse constat. Has vero *ludere*, haec *volantia iacula oppositа parma depellere*, pro viribus, conati sumus.

Iudaeorum odia et coecitatem, quae avitam doctrinam asspernantur, gentis suae oracula detorquent, nugis et calumniis, sibi invicem obloquentibus, veritatem insectantur, explosimus; nihil ab iis unquam allatum, quo eam labefactarint, multa vero, quibus eam confirmarint inviti, ostendimus. *Philosophorum Gen-*

Gentilium Elenchi ignorantiam, in contradicendo absurditates, ex odio et invidio natas calumnias, examinavimus; nihil tamen illorum acutissimos, a CRESCENTE usque ad SYMMACHUM, inveniisse, quo Christianismi fidem everterent, plurima vero, et maximi quidem momenti, ex ipsorum scriptis pro veritate Christiana erui posse argumenta, evicimus. Quid *Arabes*, ceterique *Mosemici doctores* Christianis obiecerint, et ad infringenda praecipua religionis dogmata, cum ex S.S., tum aliunde congesserint, examinavimus, et, quid *pro nobis* ab iisdem effectum sit, demonstravimus. Ad serioris aevi novissima tempora delapsi *Deistarum et Naturalistarum* agmina perlustravimus, odii causas et bella gesta, victores etiam, qui laetos ab iis triumphos egerunt, narravimus, et nihil detrimenti ab iis cepisse coelestem religionis Christianae veritatem, multum vero per eorundem conatus lucratam fuisse, indicavimus. Mutato nomine quid egerint, qui *Christiani* haberi cupiunt, nostri temporis recentissimi hostes, quibus armis nos opprimere conati, quibus et ipsi devicti fuerint, ostendimus. Neque illorum pertinaciam, et, quem timidis incutere solent, terrorem, obstare docuimus, quo minus pede suo firmissimo nitatur veritas, et per novissima bella novas etiam vires adepta fuerit. Quibus dissertationis nostrae instituto satisfecisse nobis videmur. Fertilissimae materiae hic illic haud pauca, ad causam spectantia, neque scitu indigna, neque (ni fallimur) iniucunda, inseruimus, quibus, si facile, quod concedo, careant eruditi, forte iuvenes erudiantur, et veterum lectione minus instructi ab errorum callida fraude liberentur, talia saltem, quibus ipse, vel addiscendis vel etiam docendis, inter tot aerumnas et vitae infortunia, consolater, et taedium effugerem.

Multa, scio, addenda forent, si recentiorum commenta omnia enarrarem, et ad singula responderem; verum deterruit ipsius materiae ubertas, et finem dissertationi imponendum duxi, *tempus esse*, cum PRUDENTIO ratus, *iter longi cohibere libelli, ne tractus sine fine ferat fastidia.*

Veniam pro laude in plerisque ab *aequo* lectore iam petii in *Praefatione*, peto etiamnum. Non enim *nimium confido*, nec *ingenii luctamen ineo*,

Sum memor ipse mei, satis et mea frivola novi.

Venia pro sermonis longitudine, quam ubertas materiae suasit. — Venia pro omni, quod eruditioni verae et accuratae deficit. — Venia pro stilo minus excuito, et ad Latinitatem composito mihi detur. Verum enim vero, pro ipsa, quam elegi, materia, pro religionis Christianae amore et ardore pio, verbo, pro veritate, a quorumvis obtrectationibus defensa, veniam a nemine peto; *Cur* enim *mihi fas non sit* cum PRUDENTIO, ignoro. Crede mihi, non sum *Enthusiasta*, coeco rerum supernaturalium amore, vel Phantasmatum somniis abreptus; conf. quae ipse in id hominum genus notavi *Diss. Belg. p.* 129-175: Literas amo, neque religioni, cuius divina origo solidis non confirmaretur argumentis, me addicerem. Neque me supra alios etiam extollo, aut pietate me superare alios, existimo: Peccator sum et communi hominum labe infectus, sed, hoc cum sentiam, Euangelii necessitatem, Dei in homines miseros benignitatem, et IESU, servatoris mei, nomen eo magis suspicio, veneror, amplector, PRUDENTIO nostro ὁμόψηφος, *in Apotheosi:*

ô Nomen praedulce mihi, lux et decus et spes,
Praesidiumque meum, requies ô certa laborum,
Blandus in ore sapor, flagrans odor, irriguus fons,
Castus amor, pulchra species, sincera voluptas!

Cur

Cur mihi fas non sit? qui intimam de religionis veritate, quam sentio, persuasionem, ingenua exploratione omnium, quae contra eam attulerunt increduli, et eorum, qui iis responsa fuerunt, auxi et confirmavi. *Cur non mihi?* qui eadem, qua oblocutores, utor *cogitandi et scribendi* facultate et *libertate;* quae saltem viris priscae fidei haud deneganda, cum per illam sibi quicquid carpendi licentiam datam esse Annalistae, Bibliothecarii, et quicquid est Recensentium, autumant, quod et hisce diebus factum vidimus in NICOLAI programmate, de renovanda, ab anni sequentis primordiis, editione *von das neue Berlinische Monatschrift von Hernn* BIESTER, Diariis publicis inserto. *Cur* denique *non mihi?* qui, Ecclesiae reformatae per plures annos minister, doctrinam Euangelicam, quam ore et animo profiteor, pro virili defendere debeo, et novo doctoris munere, iure iurando obstringor, ad eandem veritatem, *exclusis omnibus* novitatibus *et haeresibus*, docendo et disputando tuendam, et vindicandam.

§ 2.

At forte animosior fui, quam par est, recentiores Neologos Christianismi hostibus annumerando, quos inter tot eruditionis et laudatae probitatis viri reperiuntur.

Sunt, fateor; sed multi etiam eiusmodi inter Arianos, Eulogianos, Socinianos, et vero, reformationis tempore, inter Pontificios fuerunt, quorum erroribus si ob ingenii dotes, vel vitae integritatem peperciſſent nostri maiores, nos certe laetissima, qua fruimur, luce non collustraremur. Veneror virorum excellentium eruditionem accuratam, ingenii acumen, linguarum, inprimis orientalium, cognitionem,

et flexanimam, qua pollent, eloquentiam; veneror in ſtudia amorem, in laboribus aſſiduitatem, in moribus elegantiam, in humanitate exemplum. Perſonas non odi, neque divinum ſolium, temere iudicando, occupare ſtudeo. Sed ſint, licet non omnes, pleriſque orthodoxorum et inſtructiores et perſpicaciores; quid inde? num licet propterea eorum maximos errores diſſimulare, animum elatum et in veritatis amantes iniurioſum perferre? licetne ad hiſtorias detortas, linguarum et Philoſophiae abuſum, ſacrorum vituperium, optimae religionis irriſionem, et ſexcenties refutatorum recoctam cramben ſilere, tantum ut eorum laudes emendicemus, aut tremendum fuſtis ictum evitemus? licetne tandem, quia *Chriſtianorum* nomen tantum non reſpuunt, hoſtes *amicos* ſalutare, et τὸ χαίρειν iis acclamare, qui veram de CHRISTO doctrinam φέρουσιν? — Amicus PLATO, amicus SOCRATES, ſed magis amica VERITAS.

Deum obteſtor καρδιογνώστην, qui intima cordis penetralia ſcrutatur, pacis Eccleſiae me ſemper fuiſſe amantiſſimum, neque ob rem exiguam theologicum, quod aiunt, odium foviſſe, ſaepe illud IACOBI meditantem: μὴ καταλαλεῖτε ἀλλήλων, ἀδελφοί. *C. IV*: 11. Vid., quae pro mutua Proteſtantium, *qui fundamenta tenent*, non tam *tolerantia*, quam *unione* ſcripſi, cum in *Praefat. ad* CHRISTIANI *Chriſtocratiam*, tum in *Diſſ. Belg. p.* 257-261: et quid in genere de *Tolerantia* et *Fraternitate* ſcripſi in *amica reſponſione ad Dom.* STOLKERUM, et ex ven. HAEFELI in *Praefat. ad Concionem meam in* LUC. *I*: 32. Verum, cum quis miſero mihi *Euangelium Salutis*, impotenti *Divinum Servatorem*, peccatori ἀντίλυτρον, et quotidie πολλὰ πταίοντι *Spiritum* παράκλητον auferre conatur, adverſarium habe-

Franckesche Stiftungen zu Halle

beo, quocum neque pax, neque induciae. Cum vero Neologorum omnia tela in haec fere capita directa sint, maxime his resistendum duxi, Paulinum iussum secutus, *Rom. XVI:* 17. παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, σκοπεῖν τὺς τὰς διχοστασίας καὶ τὰ σκάνδαλα παρὰ τὴν διδαχὴν, ἣν ὑμεῖς ἐμάθετε, ποιοῦντας. καὶ ἐκκλίνατε ἀπ' αὐτῶν.

Quid enim de Ecclesia, quid de religione Euangelica fiat, si ad quodvis novum, vel potius ex antiquitate revocatum dogma, sub vana spe *Tolerantiae* tacendum sit? recte enim CICERO, *ad Div. L. VI. Ep. 7.*, *Scalarum gradus*, inquit, *si alios tollas, alios incidas, nonnullos male haerentes relinquas, ruinae periculum struis, non adscensum paras.* Habeo, quos nemo facile recusset, pro sententia mea testes. GROTIUM dico, qui Socinianismum esse haeresin ait, *ad cuius mentionem Pii omnes exhorrent*, in *Ordd. Holl. Piet. Opp. T. III. fol.* 112. „Scimus (inquit *fol.* 99.) „ quam exosum, quam horrendum omnibus olim fu„ erit ARII dogma, qui CHRISTUM, Dominum no„ strum, Patri consubstantialem negabat. At ille ta„ men exstitisse eum, priusquam Mundus existeret, „ et Patri simillimum fatebatur. Quanto in CHRI„ STUM contumeliosior SAMOSATENUS, aut QUICUM„ QUE ALIUS fundamentum illud evertit, quod Eu„ angelio substernitur, *in principio erat verbum et* „ *Deus erat verbum et verbum caro factum est:* qui „ ereptum it CHRISTO gloriam, quam apud Patrem „ habuit, antequam Mundus existeret: qui abnega„ re mavult, quam agnoscere, inenarrabile benefici„ um, quod, qui in forma erat Dei, semet inanivit, „ servi formam accipiens." Sic GROTIUS, qui in Epist. ad WALAEUM, a. d. XI Nov. MDCXI, addit: „ Eos non modo non *Christianorum*, sed nec *Haere-*

„ *ti-*

„ *ticorum* nomine dignor. Quae enim ipsi docent, „ cum universali omnium aetatum atque gentium fi„ de pugnant, et Christianitatem, quantum ego in„ telligo, *nomine* retinent, *re* destruunt. Itaque hos „ a Mahumetistis non longe separo, qui ne ipsi qui„ dem IESU maledicunt." Vid. opp. WALAEI. *T. II. fol.* 399. Hanc ideo Haeresin *omnino se abominari* scribit IO. UYTTENBOGAARD, vir Arminianis partibus nimis addictus, ceterum doctus et pius, in *Epist. Praestant. Vir. N. CCII. p.* 345. *Ed.* MDCCIV. Quin SAMOSATENUM SOCINO ὁμόψηφον ipse faterur FAUSTUS SOCINUS *ad Respons.* ANDR. VELANI. *Partic. LVIII.* — Quicquid ergo dicant novi reformatores, in hoc me cum Remonstrantibus sentire profiteor: „ Nec „ corpus stare, neque Ecclesiam rite aedificari pos„ se, ubi publice coram ea, in coetu, in quo im„ becilles peritis idoneisque ad res discernendas ho„ minibus sunt permixti, omnia in dubium vocan„ tur, alterque alteri contrariam explicationem pro„ fert." in tractatu Belgico, cui titulus: *Acte van de Handelingen der Dienaren, synde by de Broederschap in het Land genomineert ende by een geroepen, aangevangen den* 26 *May* 1624. *C. III.* § 4.

Haberem, si causa peroranda esset, quae adderem, et quibus Neologorum moliminum nexum et cohaerentiam (insciis forte ipsorum Novatorum nonnullis) cum maxima illa in omnes religiones et Politias coniuratione, de qua Cap. II. locutus sum, probarem, sed, ne quis me odii accuset, legat, qui plura cupit rerum testimonia, quem ibi laudavimus, ROBISONIUM. *Vol. I. p.* 115. *seqq.* et inprimis *Vol. I. part.* 3. Neque etiamnum quiescunt, qui *Unioni Germanicae*, mutato *Illuminatorum* nomine, inserviunt, cuius secreta demonstravit ROBISON; nam in *Jahrbucher der Preuszischen Monarchie*, ad mensem Octob. huius anni

ni, novos indicatos inveni libellos, v. c. *Antitaumaturgie oder die Bezweiflung der Wunder. Die falschen Brüder, oder die Wahrheit in einem hellen Lichte. Predigt über die falsche Lehre von ewigen höllenstrafen. Das einzige wahre System der christlichen Religion*, et omnium instar *übrige noch ungedruckte Werke des Wolffenbuttelschen Fragmentisten: Ein Nachlasz von* H. E. E. LESSING. Quare, cum nec ipsi arma ponant, a defensione non desistendum duco, nec habent, quod mirentur, si Christianismi veri nominis hostibus annumerentur, istius commatis Novatores.

§ 3.

Causam defendi et *religionis* et *meam*. Si vero in ea infeliciter incidimus tempora, quibus

Veritas crimen putatur, vox fidelis plectitur,

et magnifice in propria causa iudices se constituunt, qui Neologi; fortiores simus, quotquot Christo Servatori et Domino nomen dedimus, veritatem modeste, pie, constanter, et sepositio partium studio, defendamus, nunquam nos pudeat Euangelii, quo cordatum sequamur LAVATERUM, *Prosp. in Aetern. T. IV. pag.* 31, *inprimis* 49. Quid convicia timemus? quos ipsa

Ne mors terreat; est parata palma.
Carcer Christicolis gradus coronae est,
Carcer provehit ad superna coeli,
Carcer conciliat Deum beatis.

PRUDENT. περὶ στεφανῶν. *Hymn. VI. vers.* 24. Ceterum: Εἰ δέ τις ἀγνοεῖ, ἀγνοείτω. 1 *Cor. XIV*: 38.

Rideat iam sublimia Christianismi mysteria, salutis pleniſſima, tenebrosus et occoecatus in ipsa sapientia sua mundus, cum terroris iustissimi dissimulatione, nonnunquam satis conspicua; concutire conetur ea-

dem corruptiſſima, qua vivimus, aetas; ſuffodiat illa male ſana multorum induſtria; ſtabunt tamen illa, et ſtare facient omnes, qui IESUM Dominum vere diligunt. Felices animae! quae non abripi ſe patiantur a ſpei ſuae firmitate, ſeculi atque inferni ipſius fraudes et inſultus ſpernentes! Felix et ego, ſi, minimus inter συνεργὸς, per hunc qualemcunque meum laborem vel unum forte incautum iuvenem malorum fraudibus eripiam! quod felix, fauſtumque ſit! —

Scripſi a. d. XV Decembris MDCCXCVIII.

THE-